



Christiany Rise



I. N. J.

M. ANDREÆ HEDIONIS
Professoris Regiomontani

ORGANON ARISTOTELEUM,

AD VERAM ARISTOTELIS ET GRÆCORUM MENTEM AC METHODUM

Ex optimis Interpretibus vetustioribus ac recentioribus concinnatum.

Additis Indicibus necessariis.

Cum Privilegiô Serenissimi ac Potentissimi Electoris Brandenburgici.

as: 87.

Christianus Rise.

REGIOMONTI PRUSSORUM.
Impensis PAULI NICOLAI Bibliopolæ.
Typis FRIDERICI REUSNERI, Sereniss. Elect. Brandenb. & Acad. Typographi Hæredum.
ANNO M. DC. LXXXVI.

Extraum Cumalde. C. M. C. in Insula Wigrensi ex Legato F. Agathangeli.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO & PRINCIPI
ELECTORI,
SUPREMO IN PRUSSIA, MAGDEBURGI,
JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI,
POMERANORUM, CASSUBIORUM,
VANDALORUM, IN SILESIA ITEM,
CROSNÆ, CARNOVIÆQVE

DUCI;
BURGGRABIO NORIBERGENSI;
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ
ET CAMINI;
COMITI HOHENZOLLERN, MARCÆ
ET RAVENSBERGÆ;
DOMINO RAVENSTEINI, LAWENBURGI
ET BUTOVI, &c. &c. &c.

PATRIÆ PATRI
PIO, FELICI, AUGUSTO,
PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO,

Imperii pacisqve æternitatem
precor

(a.)

ACcipe serenâ fronte, SERENISSIME ac POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, DOMINE ac NUTRITIE MUNIFICENTISSIME, chartaceum hoc & tenue munusculum, quod offert animus subjectissimô cultu & perpetuâ veneratione TIBI dudum devotus. Indignum id esse MAJESTATE TUA ac DIVINA, ad quam tot Heroica facinora, tot supra hominum vires vel publicô hostium testimoniô obtentæ victoriæ TE evexerunt, con-

ditione, non inficior: at & Diis lacte ſupplicatur, ac molâ tantùm ſalsâ litant, qui non habent thura, nec ulli fuit vitio, Deos colere, quoquo modo poſſet. TU PRINCEPS SERENISSIME, *poſt magnum illum totius univerſi, peculiaris meus & proprius in his terris fuiſti* DEUS *& benefactor, qui otia mihi conſtituiſti Academica, & extraordinariâ quoque munificentiâ literario me ludere calamo clementisſimè permiſiſti: cujus aram ea propter hæ meæ qualescunque oblationes piâ alacritate imbuunt & adorant.*

rant. Injurius forem in tanta beneficia, si, quicquid à me gratitudinis proficisci potest, ad aliena transferrem Numina; quod accideret, si chartæ hæ ad alium, quàm sub cujus clementissimis auspiciis sunt elaboratæ, redirent: quô ipsô tamen, ut fert conditio eorum, qui Diis supplicant, meum, quô SERENITATI TUÆ obstrictus sum, debitum non solvo, sed tantùm profiteor, qui solvendo illi non sum, neq; unquam ero. Tot ac tantis rebus Tuis domi belloqve gestis ac cœlo æquatis, Nominisqve magnitudine & æstimatione orbem

 ter-

terrarum, quaqva verſus, dudum implevisti; Virtutem TUAM ſupra calumniam & invidiam poſuiſti; Victoriis Tuis ac trophæis aliisq; immortalitatis monumentis, & injuriam oblivionis, & dubia cæſpitantis famæ profligâſti: Sed nec minori clementiâ humiles hactenus complexus es Muſas, TUAMQUE poſt ſecula gloriam, non ſolùm in areâ Martis per manus fortium militum, ſed & in palæſtrâ Minervæ per mentes & ſcripta Doctorum, ſuperfuturam eſſe credo. Suſcipe ergò SERENISSIME PRINCEPS, utriusq; pariter

Ordinis

Ordinis Tutelaris, me & hoc meum Opuſculum, quod debitâ ſubmiſſione ad pedes Tuos depono, aſpice illud benignioribus clementiæ radiis, & ſub Magni Tui Nominis clypeô ab invidorum morſu tutum præſta; ſub tantô enim patrociniô, id quod reliquum eſt, vitæ tempus juventuti Academicæ lætus impendam, & feliciter agam. DEus ter O. M. SERENITATEM TUAM ſervet Eccleſiæ, ſervet Reipublicæ, & reparandæ in utraq; aureæ paci, vitam concedat prolixam, viriumq; in provectiori ætate ac auguſtæ proſperitatis incre-

menta, imperium largiatur securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, & quæcunq; pii ac boni Principis vota esse possunt: id quod Veteri Christianorum formulâ ex animô precor, qui æternùm ero

SERENISSIME AC POTENTISSIME PRINCEPS

Serenitatis Tuæ

Dabam Regiomonti Prussorum è museô meô Electoralis Collegii A.C. M.DC.LXXXVI. Pridie Calend. Junij.

humillimus subditus

M. ANDREAS HEDIO, Log. & Philos. Primæ PP. Ord. Electoral. Alumnor. Collegii & Convict. Inspector Primarius.



PRÆFATIO
ad Lectorem.

IN publicum tandem, levatô quaſi velô, prodit Organon hoc, ut vocari vulgò ſuevit, Ariſtoteleum, ante plures quidem annos cœptum, poſteà verò variis impedimentis & novis indies obortis difficultatibus ſub prælô diu detentum; ut eâ de causâ prior ejusdem pars, Dialectica, quanquam ſine titulô, multorum manibus dudum trita & jam ferè diſtracta ſit, priuſquam Analytica & poſterior operis pars ad finem deduci potuerit: ut nunc demum totum opus ex utrâqve organi parte, ſive Dialecticâ & Analyticâ, junctum cum titulô & nomine autoris in lucem erumpat. Quamvis autem prorſus carere hâc meâ qualicunqve opellâ Rempubl. literariam facilè potuiſſe non diffitear, fuerunt tamen nihilominus cauſæ honeſtæ & minimè contemnendæ, quæ facere, quod

 feci,

feci, jusserunt; cùm enim Synopsis vel Organon *Piccarti*, quô hactenus Dialecticæ & Analyticæ, ac in universum Philosophiæ Aristotelicæ Studiosi usi fuerant, direptis undiqve exemplaribus, à paucissimis haberi posset, alius verò autor, qui pari brevitate ac dexteritate totum Organon & utramqve ejusdem simul partem publicè descripsisset, nullus extaret, operæ pretium me facturum existimavi, si admonitionibus partim Superiorum, partim amicorum quorundam morem gererem, & tale compendium adornarem, quô damnum, quod ex defectu Synopseos *Piccarti* sentire Studiosi hactenus cogebantur, non modò resarciretur, sed etiam, quæ in illô autore vel justô abundantius, vel parcius, vel non satis ad sensum Aristotelis, vel minus concinnô sæpè ordine dicta sunt, resecarentur, restituerentur, & ad mentem deniqve Philosophi ac commodiorem seriem revocarentur: ut silentiô prætercam plura alia, quæ me ad laborem hunc suscipiendum jure impulerunt. Præcipuorum intereà me votorum summâ potitum esse ducam, dummodò iis placuero, quibus studia Philosophica non sordent, & quibus so-

lis

lis prodesse volui; iis verò placere, qui altô supercilió talia despiciunt, & se tantùm aut sua tanquam alteri Suffeni amant, in minimis habeo: prout neqve his me obtrudo, qui susqve deqve habitâ reconditâ illâ & abeunte quasi Priscorum, inprimis Aristotelis, cujus sententiam præsente opere explicavi, sapientiâ, recentiorum quorundam sequuntur statuta, cùm magnam oporteat esse doctrinam, quæ invitis placeat, meâqve insuper parùm referat, sive quis ex ipsô fonte bibat, sive rivulos qualescunqve amet, modò id sine me rivali fiat. Minimè verò erubesco profiteri, per quos profecerim, & ne habeant, de quô conquerantur plagiarii nonnulli, qui quamvis solenne ipsis sit, ex aliis autoribus, suppressô eorum nomine, adeò fideliter sua exscribere, ut vitia etiam simul transferant, plagii tamen alios postulare audacter solent; ingenuè laudo Viros doctos, quorum quasi manuductione limpidos illos purioris Philosophiæ fontes, ex quibus, quæ præsente opere comprehenduntur, hausta sunt, feliciter investigavi. Ex mortuis enim præter antiquos Aristotelis Interpretes Græcos, Alexandrum Aphrodis. Simplicium, Ammonium,

Philo-

Philoponum, Themiſtium, & alios, optimi mihi conſultores fuerunt, Accorombonius, Cœſalpinus, Monlorius, Nunneſius, Balforeus, Scherbius, Piccartus, Sonerus, Höpfnerus, Neldelius, Pacius, Urſinus, Sthalius, Wichelmannus, Falckius, & alii; ex quorum lucubrationibus totum hoc opus ita conſtitutum eſſe, candidè confiteor, ut nihil ferè in eôdem reperiatur, quod non ex aliquô horum oſtendi poſſit: quanquam etiam ſolum ſæpè ſecutus Ariſtotelem in eadem tamen cum illis autoribus nec inſpectis nec conſultis inciderim, cùm facile imò poſſibile non ſit, ut viâ quis ab infinitis ferè aliis tritâ ſic ingrediatur, ut in eorum veſtigia nunquam incurrat. Inter vivos verò primô locô nominandus mihi eſt Zeidlerus ille, magnum Academiæ noſtræ ornamentum, qui primis poſt reditum meum in Academiam hanc Patriam annis Bibliothecâ & manuſcriptis ſuis me multùm juvit, quam gratiam non niſi gratiſſimâ ſemper mente revolvam; cui jure ſuô meritôqve celeberrimum illum in illuſtri ad Salam Phyſicum, Poſnerum, jungo, qui, cum Muſis Salanis litarem, manuſcriptum Soneri Commentarium

rium in Organon Ariſtotelis benevolè mecum communicavit, pro quâ humanitate ipſi nunc publicè gratias ago. Methodô uſus ſum, uti vocari ea à nonnullis vulgò ſolet, Euclideâ, quæ omni diſciplinarum generi communis eſt, & in ipſô Ariſtotele latet, mihi verò ejus ad Organon Ariſtotelis applicatio primùm quidem ſub initium ſtudii mei Salani à Joh. Chriſtoph. Sturmiô nunc Proteſſ. Publ. Phyſices & Matheſeos apud Altorphinos celeberrimo plenè detecta & ob oculos poſita eſt, in eâ, quam de conſequentiis Syllogiſticis & ἀσυλλογίστοις tum temporis ediderat, diſputatione; deinde verò indicata hujus methodi in Organô Ariſtoteleô veſtigia à Monloriô, Höpfnerô & ipſô Piccartô deprehendi, ac hodie publicè proſtant, partim Diſputationes à Wichelmannô, Falckiô & aliis conſcriptæ, quæ eâdem methodô gaudent, partim integra ſcientiarum ſyſtemata, ut Grammatica Latina à M. Chriſtoph. Vinholdô edita, Geographia à Vareniô, Phyſica, ac Metaphyſica ab Honoratô Fabri & alia ab aliis ſimili methodô, quanquam non æquè feliciter ab omnibus elaborata: quæ exempla intuitus, commo-

diori

diori magisqve perſpicuâ methodô præſentes quoqve diſciplinas tractari non poſſe, ex ipſâ earundem indole & naturâ intellexi. De Orationis porrò ſtructurâ ac ſtylô non fui anxiè ſolicitus, rebus enim quàm verbis magis intentus, non declamatiunculas, ſed diſciplinas Philoſophicas me ſcribere cogitavi, ad quas, ſi lingvâ intelligibili, aut eâ ſaltem, qua potui, uterer, ſufficere putavi; quamobrem ſi aliqua, imò fortè plurima minus Latinè alicui locutus eſſe videar, veniam me facilè impetraturum eſſe confido: modò res ipſa & rationes, quas adduxi, rectè fuerint explicatæ. Sed & hîc quoqve ſi lapſus fortè ac humani quidpiam paſſus fuero, homo aliis officiis præoccupatus & pluribus ſæpè curis diſtractus, cui aliena negotia centum per caput & circum ſaliunt latus, iterum mihi hujuſmodi nævos ab æquis & bonis condonatum iri ſpero, cùm & in otiô ac quiete nemo ſit tam Lynceus, ut nihil prorſus offendat aut nuſquam incurrat; ad calcem verò utriusqve operis hujus partis in addendis & mutandis ipſe quædam mutavi & correxi, ac ſi vitam

DEUS

DEUS concesserit, totum opus prolixioribus Commentariis & Disputationibus publicis recognoscere, retractare ac veluti refingere, & si quid porrò animadversione dignum deprehensum fuerit, fideliter & sine omni fucô auditoribus indicare, eosdemqve monere, animus est: vitia tandem Typographica imputari mihi nisi ab iniquioribus non possunt. Inter hos autem si qui exstiterint, & tantam à me, quantam ne ipsi quidem promittere sibi possunt, vel in verbis vel in rebus requisiverint ἀκρίβειαν, horum quidem gratiâ vix manum verterim, cùm in apricô sit, nimiô tales ac ineptô teneri reprehendendi pruritu, ut censura illorum nihil sit nisi temeritas, correctio arrogantia, elenchus malitia, quam arrosione alienæ famæ pascunt; qui si tanta lumina sunt, quantis tenebris propria scripta involvantur, videant, & trabem prius ejiciant ex suis oculis, antequam festucas ex alienis tollere laborent: aut itaque, quod rogo, eô animi candore hæc mea æstiment, quô vel ipse ea scripsi, vel de alienis judicavi, vel ut sua ab aliis æstimari volunt, ut non minor sit in ignoscendo

ſcendo æquanimitas, quàm in judicando dexteritas; aut ſi nihilominus omnia ſibi diſplicere pertinaciter obvertent, ſeſe proſtituent, & quibuslibet Doctis & bonis ipſimet diſplicebunt.

PRO-

I. N. J.
PROLEGOMENA
In
ORGANON ARISTOTELEUM.
PARS PRIMA.
DE
PHILOSOPHIA IN GENERE.
§. I.



Hiloſophia ſi vim vocis & etymologiam ſpectes, deſiderium & *amorem ſapientiæ* notat, ſi verò rem ipſam & uſum dicendi conſideres, nihil aliud, quàm ipſam *σοφίαν vel ſapientiam* ſignificat; idem enim, quod antea σοφίαν vel ſapientiam homines vocârunt, Pythagoras, quem poſtea omnes in univerſum ſecuti ſunt, Philoſophiam nuncupare cœpit, uti *Cic. l. 1. Tuſcul. n. 8. Plutarchus l. 1. de placit. cap. 3. Diogenes Laërt. lib. 8. in vita Pythagoræ*, teſtantur: undè ipſe quoqve Ariſtoteles hæc duo vocabula, tanquam idem ſignificantia, paſſim permutat. *Confer l. 4. Met. 2. & 3. l. 13. c. 3. l. 1. de Anim.*

c. 1. l. 2. Phyſ. c. 2. l. 3. Phyſ. c. 3. & l. 6. Met. 2. Meliùs itaqve ratio ac natura Philoſophiæ, quid ſcilicet ac quotuplex ea ſit, inveſtigari non poterit, quàm ſi ad ipſius ſapientiæ ac ſapientis definitionem attendatur: quæ ut feliciter inveniatur, ad varias, quæ apud antiquos obtinent, ſapientis & ſapientiæ ſignificationes reſpiciendum erit.

§. 2. In genere autem illi dixerunt omnes eos *ſapientes, qui in arte quadam, quæcunqꝫ etiam illa fuerit, ita excelluerunt, ut cognitionis & artis ſuæ cauſas & rationes reddere posſent*, quo ſenſu pictores quidam, itemqve ſtatuarii, foſſores, aratores, fabri, gubernatores, medici, muſici, aurigæ, & alii tales, ſapientes nuncupati ſunt, apud Ariſtotelem *lib. 6. Ethic. 7. & l. 5. Eud. 7. Homer. Iliad. 15.* & alios plures pasſim. In ſpecie verò & arctiori ſignificatione *ſapientes olim vocabantur, non qui cauſas & principia qualiacunqꝫ aut cujusvis artis tenebant, ſed qui cauſas & principia omnium in univerſum rerum ſimpliciter & abſolutè prima cognoſcebant;* quorum Scientia non circa vulgaria & in communi hominum uſu obvia verſabatur, ſed circa ſublimia & admirabilia, quæ omnem hujus vitæ utilitatem tranſcendebant. Hinc eos, qui utilia & necesſaria hujus vitæ quærebant, *prudentes* vocabant; *ſapientes* verò hos dicebant, qui 1. circa recondita, eximia & excellentia, 2. admirabilia, 3. difficilia, 4. divina, & deniqve 5. circa talia, quæ ad comparandum aliquod humanum bonum inutilia esſent, occupati erant *lib. 6. Ethic. 7. & l. 5.*

& l. 5. Eud. c. 7. Conditiones & requiſita hujus poſterioris ſapientis & ſapientiæ ſtrictè ſic dictæ prolixiùs recenſet Ariſtoteles *l. 1. Metaph. c. 2.* & dicit, talem ſapientem 1. ſcire omnia, quantum ſcilicet posſibile eſt, & in univerſali, non in particulari, non ſolùm, quæ ex principiis colliguntur, ſed ipſa quoqve principia. *cit. lib. 6. Ethic. cap. 7.* 2. Scire difficillima, quæ alii non facilè comprehendunt. 3. Scientiam ejus esſe certisſimam & exquiſitisſimam. 4. Ipſum maximè docere posſe, quia docere eſt cauſas rei tradere, ipſe verò cauſas maximè tales & principia omnium prima novit. 5. Ejus ſcientiam propter ſe expeti, nullius planè utilitatis gratiâ, cùm omni utilitate major ſit. 6. Sapientem idoneum esſe, ut aliis imperet; quia enim principia abſolutè prima cognoſcit, finem etiam abſolutè talem, id eſt, primum ac præſtantisſimum, propter quem omnia ſunt, intelligit & aliis præſcribit: qui verò aliis finem & ſcopum præſcribit, in quem omnes ſuas operationes dirigant, non immeritò imperare iisdem dici poteſt.

§. 3. Hinc itaqve patet, *vocabulum ſapientiæ non univocum esſe, ſed æquivocum*; non equidem purè tale, ſed eô æquivocationis modô, quem aliàs *ad unum aut ab uno* vocare ſolemus; primi enim generis ſapientes, cùm principia non abſolutè ac ſimpliciter, ſed in certo tantùm genere & ſecundùm quid talia intelligerent, ſapientes quoqve cum addito & ſecundùm quid tales fuerunt, eorumqve ſapientia ſecundùm quid ac cum addito dicta

est: posterioris generis sapientes verò cùm principia non ad certum tantum genus restricta, sed universalissima, simpliciter ac absolutè talia cognoscerent, sapientes quoqve simpliciter ac absolutè tales vocati sunt, eorumqve sapientia primò, propriè, ac simpliciter talis fuit. Hâc de causâ Philosophiæ quoq;, quæ idem quod σοφία vel sapientia significat, vocabulum multipliciter dictum erit; alia scilicet Philosophia primò, propriè, simpliciter ac absolutè, alia verò impropriè, cum addito & secundùm quid, atqve sic æquivocè dicetur: eodem scilicet, quem ante sapientiæ adjudicavimus, æquivocationis modô.

§. 4. At verò, si ita se res habet, jam rursus patet, *unâ definitione propriè dictâ Philosophiam comprehendi non posse*; per inductionem enim certum est, ea quæ ab uno & ad unum dicuntur, unam quandam definitionem non admittere, cùm universalem & communem naturam, cui æqualiter definitio tribui possit, non habeant, sed solô vocabulô conveniant, naturâ verò & essentiâ communi destituantur, ut Aristoteles etiam *l. 1. Polit. 3. l. 1. Eud. 8.* & alibi docet. Hinc nec Ens, prout dicitur de Substantia & Accidente, nec sanum, prout dicitur de animali, colore, medicamento, urina, & aliis talibus, nec cætera hujusmodi sub unam propriè dictam definitionẽ cadunt; sed quamvis interdum unâ definitione comprehendi videantur, uti quidem sani definitio datur *l. 1. Topic. 15.* æquivoca tamen est & hæc ipsa definitio, nec u-

nô

nô modô aut æqualiter rebus ſub definito comprehenſis attribui poteſt: quod cùm definitioni bonæ & verè tali adverſũ ſit, patet, vocabula ab uno & ad unum, ac per conſequens ipſam etiam Philoſophiã, unâ quadam definitione comprehendi non poſſe.

§. 5. Eſt tamen alia ratio, quâ *hujusmodi vocabula quadantenus & aliquô ſaltem modô, licèt rudiùs, definiri aut deſcribi posſunt;* nempe 1. aliquando, quia totum genus æquivocô tali vocabulô ſignificatum, unâ definitione concludi non poteſt, *ſolemus primariam iſtius generis ſpeciem, quæ primò & maximè per vocabulum iſtud ſignificatur, definire;* ex quâ definitione deinceps judicamus de reliquis ſubſequentibus ac inferioribus iſtô vocabulô ſignificatis ſpeciebus, quæ quò propiùs ad definitionem primæ & principis ſpeciei accedunt, vel quò magis ab eâ abeunt, eò magis quoqve vel minùs propriè iſtô vocabulô dici posſunt. Talis eſt definitio demonſtrationis *l. 1. Poſter. 2.* quæ ſanè non cujusvis demonſtrationis eſt aut totius generis, ſed perfectisſimæ & primæ ſpeciei, nempe demonſtrationis τοῦ διότι, ad quam definitionem quò magis vel minùs reliquæ ſpecies accedunt, vel ab eâ recedunt, eò magis vel minùs demonſtrationes dici merentur: eôdem modô Ariſtoteles ſervũ *lib. 1. Polit. 4.* civem *lib. 3. Polit. 1.*, & alia alibi definit. 2. *Aliquando verò definiri talia vocabula ſolent per enumerationem rerum ſignificatarum;* quomodo v. c. Ariſtoteles Ens definit, quod ſit vel quid, vel quale, vel quantum, vel aliud eorum,

quæ ita dicuntur *l. 7. Metaphyſ. 1.* propoſitionem, quod ſit vel affirmatio vel negatio *l. 1. Prior. 1.* ita quoqve Civem *l. 1. Polit. c. 1.* ſubſtantiam *l. Categ. 5.* & alia plura alibi deſcribit. Ut itaqve & Philoſophiæ ratio feliciter inveniatur, utrâqve viâ incedendum, & primò quidem princeps ac perfectisſima Philoſophiæ ſpecies definienda, deinde verò ſimul totum iſtud genus, quod nomine Philoſophiæ comprehendi ſolet, in ſua ſignificata dispeſcendum, & quomodo quodlibet eorum ad primam ſpeciem referatur, ſignificandum erit: ex quibus ipſa Philoſophiæ natura abundè conſtabit.

§. 6. Scilicet *eam eſſe principem & perfectisſimam Philoſophiæ ſpeciem*, quæ circa principia ſimpliciter ac abſolutè talia & univerſalisſima verſatur, ex §. 3. conſtat; principia verò & cauſæ cùm quatuor ſint, finis, Efficiens, materia, & forma *l. 1. Metaph. c. 3. l. 5. c. 2. & l. 2. Phyſ. 3.* prima in his erunt primum efficiens, primus ac ultimus finis, prima materia, prima forma *l. 2. Metaphyſ. 2.* Sed neq; hæc prima principia æqualiter prima ſunt, verùm ordinem quendam inter ſeſe agnoſcunt; quemadmodum enim ex cauſis & principiis in genere conſideratis, omnium abſolutè prima ſunt finis & forma, his autem poſteriora efficiens & materia, non tantum, quia finis & forma actu in rebus omnium abſolutè primis, nempe immobilibus & immateriatis reperiuntur, ſed etiam ad omnia entia univerſaliter extenduntur, ut nulla planè res ſit, quæ fine & formâ careat, cùm è contrario efficiens &

mate-

materia in immobilibus non reperiantur, nec ad omnia universaliter extendantur, sed ad sola corruptibilia & materiata pertineant, eorumqve solummodò respectu, non verò simpliciter, principia prima dicantur *l. 2. de gener. An. 6. l. 3. Metaph. 2. l. 8. c. 5. l. 13. c. 1. & 2.* & alibi passim; ita quoqve primam formam & ultimum finem, primô efficiente & primâ materiâ simpliciter priora esse necesse erit. *Prima ergò & perfectissima sapientiæ & Philosophiæ species ea erit, quæ circa primam formam & primum vel ultimum finem versatur*, id est, *quæ de re omnium honorabilissimâ, nempe de ipso DEO tractat*, quippe qui nihil aliud, quàm prima forma & ultimus finis existit *l. 14. Metaphys. 6. & 7. hæc autem est Metaphysica*, quæ omnes illas supra enarratas verè & propriè dictæ sapientiæ conditiones comprehendit, quam eapropter Aristoteles definit esse *intellectum primorum principiorum & scientiam rerum naturâ suâ honorabilissimarum l. 6. Ethic. c. 7. l. 5. Eud. 7.* quamque eâdem de causâ *Philosophiam primam, Philosophiam simpliciter, architectonicam, dominam & caput reliquarum*, cui reliquas contradicere nefas sit, *divinissimam, honorabilissimã, Theologiam* &c. vocat *l. 1. de An. 2. lib. 2. Phys. 2. l. 1. Metaph. 2. l. 2. c. 2. l. 4. c. 3. l. 7. c. 1. l. 1. poster. 9. l. 1. Magn. Moral. ult.* & alibi passim.

§. 7. Huic primæ Sapientiæ & Philosophiæ speciei *succedit altera, quæ circa reliqua duo principiorum genera*, primum efficiens & primam materi-

teriam, ac ea, quæ inde dependent, verſatur, *nempe Phyſica, quæ de ſubſtantiâ mobili tractat*, & propterea etiam primas motûs cauſas, nempe primam materiam, mobiliũ, tam corruptibiliũ, quàm incorruptibiliũ, quæ ad ſolum motũ localem diſpoſita eſt, *l.8. Met. 4. & l.14. c.2.* & primam efficientẽ, quæ cœlũ eſt, *l.1. Meteor. 3. l.2. Phyſ. 2. l.2. de Gen. & Corr. 10. &c.* inveſtigat: unde etiam ſuâ quadam ratione *ſapientia & Philoſophia, at non prima l. 4. Metaph. 3. ſed conſequens l. 4. Met. 2.* & *ſecunda l. 7. Metaph. 11.* vocatur, quia ſcilicet circa principia non ſimpliciter prima, ſed in certo tantùm genere, ſubſtantiæ mobilis ſcilicet, talia, proximè tamen ad principiorum ſimpliciter primorum univerſalitatem accedentia, occupatur. Atqve ita hæ duæ, *Metaphyſica* nempe & *Phyſica*, conſiderationem primarum cauſarum propriè talium inter ſe partiuntur, & eapropter *ſolæ nomen Sapientiæ & Philoſophiæ mereri videntur*; quod inde quoqve patet, quia principia ſimpliciter prima ſine dubio in primo Entis genere quærenda ſunt, hoc autem eſt *ſubſtantia*, hæc autem triplex, *una immobilis*, nempe DEUS, *altera mobilis incorruptibilis*, nempe Cœlũ, *tertia mobilis corruptibilis*, quæ eſt ſublunarium *l. 14. Met. 2. & 6.* ex quibus prima ad Metaphyſicam ſpectat *l. 6. Metaph. 1.* poſterior verò utraqve ad Phyſicam refertur *l. 2. Phyſ. 2.* quod cùm ita ſit, patet, Metaphyſicam & Phyſicam totam primi Entis generis, ſcilicet ſubſtantiæ, latitudinem exhaurire, atqve adeo omnia prima principia in ſe concludere,

& per

& per conſeqvens ſolas eas ſapientiæ nomine dicendas esſe. Quamvis enim aliàs Ariſtoteles tres Philoſophias nominet *l. 6. Metaph. 1.* & tot esſe dicat, quot ſunt ſubſtantiæ, *l. 4. Metaph. 2.* ac circa ſubſtantiam tertiam, ſcilicet incorruptibilem mobilem, *Aſtrologiam* verſari dicat, *l. 14. Metaph. 8. neutiquam tamen hæc æquali ratione cum Phyſica ſapientiæ vel Philoſophiæ nomine appellari poteſt*, neq; circa ſubſtantiam incorruptibilem mobilem, nempe cœlum, æqualiter ac Phyſica verſatur, ſed *Phyſica* quidem ſubſtantiam eam per ſe conſiderat, ſecundùm ſubſtantiales qualitates, lumen, motũ &c. & tanquam univerſalior quædam ſcientia horum omnium cauſas reddit; *Aſtrologia* verò ſubſtantiam hanc non per ſe aut quatenus ſubſtantia eſt, conſiderat, neqve vel motûs vel alius cujusdam esſentialis qualitatis cauſam reddit, ſed ſolùm de numero & quantitate motûs, qui in eâ ſubſtantiâ eſt, tractat, ac quæ inde in cœlo oriuntur φαινόμενα, exponit, & propterea potiùs circa quantitatem, quæ eſt in motu corporis cœleſtis, quàm circa ipſum corpus cœleſte occupatur, *l. 2. Phyſ. 2. verſari tamen circa ſubſtantiam hanc ad differentiam reliquarum Mathematicarum Scientiarum dicitur*, ideo, quia præcisè de hujus ſubſtantiæ ſenſibilis motu ejusqve quantitate agit, cùm reliquæ Scientiæ Mathematicæ, v. c. Arithmetica, Geometria &c. abſtrahant ab omni ſenſibili materia, neq; de hujus vel illius ſubſtantiæ numero vel magnitudine tractent, ſed de numero & magnitudine ſimplici-

pliciter, sive in hâc sive in aliâ substantia quâcunqve existat *l. 6. Met. 1.* & aliis pluribus locis. Manet ergò solam Metaphysicam & Physicam, illam quidem primariò & absolutè ac simpliciter, hanc verò consequenter & respectivè, nomine sapientiæ vel Philosophiæ dici posse, quia solæ circa substantiam & prima principia, quæ non nisi in substantiæ genere sunt, occupantur; *Astrologiam verò, ut & reliquas scientias Mathematicas omnes, & deniq; Ethicam, Politicam, Rhetoricam,* & si quæ plures sunt, quas vulgus Philosophias appellat, *nomen hoc propriè non mereri,* sed omnes eas, unà cum ipsâ Physicâ, sapientiæ primò & absolutè sic dictæ, nempe Metaphysicæ, tanquam dominæ suæ, velut ancillas ministrare, & quamlibet suô modô inservire. *l. 3. Metaph. 2. Ministrat nempe eidem* (1.) *Physica,* quando per motum nos deducit ad primum motorem, quem ipsa etiam Metaphysica, quamquam aliô respectu, considerat. (2.) *Mathematicæ disciplinæ,* dum nos adsvefaciunt ad considerationem rerum sine materiâ, & sic quasi gradus sunt ad intelligenda divina, quæ materiam non habent. (3.) *Ethica & Politica*, dum affectus tranquillos reddunt, dum de utilibus vitæ prospiciunt, quietem, otium & reliqua procurant, ut DEUM & divina sine impedimento contemplari possimus; propter quam causam quoqve *Politica, atriensis sapientiæ* vocatur *l. 1. Magn. Moral. 35.* (4.) *Reliquæ verò scientiæ,* nempe *Rhetorica, Oeconomica &c.* iterum inserviunt sapientiæ eatenus, quatenus Politicæ sunt

subor-

ſubordinatæ, ac ad ejus finem tendunt, qui cùm ad finem ſapientiæ referatur, ſimul ex eo, omnes illas reliquas ſcientias referri ad ſapientiam ac ſubordinari eidem, necesſe erit; quamobrem & hæ & præcedentes ſcientiæ omnes nomine Philoſophiæ & Sapientiæ, non niſi planè impropriè, & eatenus tantùm, quatenus ad ſapientiam ac Philoſophiam referuntur, eiqve miniſtrant, dici posſunt, alia magis, alia minùs, prout miniſterium alicujus vel magis vel minùs ad ſapientiam accedit: quemadmodum aliàs & culter, & medicamentum, & liber, & alia talia, ſana, vel magis vel minùs dici ſolent, quia ſanitati propriè & primò ſic dictæ, alia magis alia minùs, inſerviunt ac miniſtrant. *l. 4. Met. 2.* Atqve hæc de voce Sapientiæ & Philoſophiæ, ſecundùm utramqve ſignificationem §. 2. poſitam ſimul conſideratâ ſufficiant.

§. 8. Si verò ad priorem ſignificationem, quâ *Philoſophia vel Sapientia cum addito*, ea dicitur, quæ cauſas quascunqve in hoc vel illo genere primas contemplatur, ſolùm reſpiciamus, *nihil ea aliud quàm ſcientia esſe videtur*; hæc enim quôd ſit cognitio rei per cauſam, definitur *l. 1. Poſter. 2.* unde etiam Ariſtoteles quas *l. 6. Metaph. 1.* Philoſophias theoreticas vocat, *l. 13. c. 7.* Scientias theoreticas appellat. Hinc quoqve ſpecies Philoſophiæ rectiùs intelligere non poterimus, quàm ſi ipſam ſcientiam, quotuplex ea ſit, & quot ſpecies contineat, conſideremus; hujus autem ſpecies rurſus meliùs cognoſci non posſunt, quàm ſi partim

ad

ad objectum, partim ad finem ejusdem attendatur: hæc enim quotuplicia erunt, totuplicem quoqve ipsam scientiam esse oportebit. Scilicet 1. aliquando causas & principia alicujus rei investigamus, & ex eisdem scientificas elicimus conclusiones, non propter aliam quandam causam, sed solùm ut sciamus, seu propter solam scientiam, quam per & propter se expetimus, etiamsi nulla alia exinde utilitas consequatur; quomodo v. c. eclipsin, iridem, Cometam, & alia hujusmodi consideramus, tantùm ut sciamus, non verò ut vel agamus, vel efficiamus talia, aut alium ex iis usum obtineamus. 2. Interdum quærimus causas & principia quarundam rerum, non eô fine, ut eas res tantummodò sciamus, vel in ipsâ scientiâ acquiescamus, sed ut agamus aliquid secundùm istam scientiam, seu, ut ea, quæ in universali scimus, ad singulares actiones transferamus; sicuti v. c. Politica, principia virtuosæ actionis ac instituendæ Reip. investigat, non eô fine, ut hæc solùm sciat, verùm ut agat virtuosè, & ut tandem ipso actu Remp. aliquam instituat ac informet. *l. 1. Ethic. 1. l. 2. c. 2. l. 2. Eud. 5.* 3. Tandem dantur res quædam, quarum Causas indagamus, iterum non eô fine, ut eas solùm sciamus, sed ut efficiamus in singulari id, quod per scientiam istam in universali contemplati sumus; quâ ratione v. c. Rhetor considerat, quomodo conficienda sit oratio, quomodo disponenda enthymemata, quomodo affectus sint excitandi, & alia talia, non ut sciat ea, sed ut efficiat orationem,

ut

ut disponat enthymemata, ut excitet affectus, atq; sic fidem aliquam efficiat ac relinquat in animis auditorum. Ex his *triplex oritur scientiæ ac Philosophiæ genus*. *1. CONTEMPLATIVUM vel THEORETICUM*, quod circa primi generis res versatur, & in solâ acquiescit scientiâ vel contemplatione, neqve ulterius ad alium quendam usum progreditur; nisi fortè aliquis per accidens tali genere ad alios usus utatur. 2. *PRACTICUM vel ACTIVUM*, quod circa res secundi generis occupatur & cognitionem ad actionem vel praxin dirigit, eamqve pro fine habet. 3. *EFFECTIVUM*, quod rerum tertii generis est, & pro fine habet effectionem alicujus operis, ad quam cognitione suâ tendit: unde ipse Aristoteles scientias triplices esse ait, contemplativas, activas, & effectivas *l. 6. Top. 6. l. 8. c. 1. l. 6. Metaph. 1. & l. 13. c. 7.* quamobrem Philosophiam quoqve triplicem esse, & pari ratione dividi, oportebit. Accedit, quòd Philosophia, quippe quæ nihil aliud est quàm scientia, propria intellectûs scientifici perfectio ac dispositio sit, & eapropter quotuplex intellectus scientificus est, totuplex ipsa quoqve Philosophia existat; quâ de causâ cùm intellectus scientificus triplex sit, contemplativus, activus, & effectivus, tot quoqve Philosophiæ species & partes esse, necesse erit. Vid. *l. 6. Metaph. 1.*

§. 9. Praxis verò & actio, ut & ποίησις & effectio, hîc non in qualicunqve sed propriâ accipiuntur significatione, quatenus sibi invicem contra-

tradiſtinguuntur & opponuntur. In actione enim propriè dictâ finis non eſt aliquod diſtinctum ab ipſa actione, ſed in eâ ipsâ ſpectatur, v. c. actio ſecundùm fortitudinem ſuſcipitur propter certum finem, qui eſt honeſtas, ideo enim fortiter aliquis pugnat, quia ita pugnare honeſtum eſt; at verò honeſtas non ſeparata aut diverſa ab illâ actione, ſed in eâ ipsâ ſita eſt, ac proinde ipſa actio finis rationē in ſe habet. Contra autem in effectione; ibi enim finis non in ipsâ operatione vel effectione ſpectatur, ſed eſt opus aliquod ab effectione planè diverſum ac ſeparatū, v.c. ædificatio ſuſcipitur propter certum finem, qui eſt domus, domus autem non in ipsâ ædificatione conſiſtit, ſed aliud quid eſt ab ædificatione & eandem conſequitur, tanquā opus poſt eam relictū. Vide *Ariſtot. l. 6. Eth. 2. 4. & 5. l. 2. Eud. 2. 4. & 5. l. 1. M. M. ult.* Hinc Philoſophia practica circa res practicas & agibiles, id eſt, tales, quæ esſe ſuum & formā in ipsâ actione habent, verſatur, quales v.c. ſunt, fortitudo, temperantia, juſtitia &c. quæ in actione conſiſtunt, & ipſum finem in ſe comprehendunt: effectiva verò circa res, quæ effici posſunt & esſe ſuum ac formam non in actione vel operatione quâdam, ſed in opere poſt operationem relicto habent, in quibus eapropter non actio vel operatio, ſed ipſum illud opus ab operatione diverſum finis rationem ſubit. Porrò autem hîc nemo putet per Philoſophiam practicam & effectivam comprehendi quemvis habitum practicum & effectivum, etiam prudentiam & artem, quarum

illa habitus practicus, hæc verò effectivus est, *l. 6. Ethic. 4. & 5.* sed cùm Philosophia nihil aliud sit quàm scientia, inde practica quidem Philosophia scientia de prudentia, effectiva verò scientia de artibus erit. Maximè autem inter se differunt, scientia de prudentia vel arte & ipsa prudentia ac ars, quia 1. prudentia viros bonos reddit, scientia verò de prudentia etiam malos comitatur: itemqve ars promptè ac expeditè operantes facit, scientia de arte verò etiam in iis sæpe est, qui operari vel planè non vel ægré possunt. 2. Prudentia & ars versantur circa singularia & ea, quæ aliter ac aliter se habere possunt *l. 6. Ethic. 4. & 5. l. 1. Metaph. 1.* Scientia verò circa universalia, hæc autem sunt necessaria *l. 1. Post. 6. 8. & 13.* 3. Ars & Prudentia deliberant, & eà de causâ dicuntur esse cum ratione *l. 6. Eth. 4. & 5.* id est, deliberatione, quæ idem est cum ratione *l. 6. Eth. 2.* scientia verò nunquam deliberat, quia de necessariis & universalibus est, deliberatio verò de iis solùm instituitur, quæ singularia sunt & in nostrâ potestate, quæqve aliter ac aliter se habere possunt. *l. 3. Ethic. 5.* 4. Prudentia & Ars non ex institutione aut ex libris acquiritur, sed ex usu & per frequentes actiones & effectiones comparatur *l. 6. Eth. 9.* Scientia verò tantùm ex libris & institutione, nunquam verò aliunde addisci potest *l. 6. Eth. 3.* Ex quibus & aliis pluribus studiô brevitatis hâc vice omissis, constat, aliud esse scientiam dè prudentia & arte, aliud verò ipsam prudentiam & artem, & propterea cùm

Philo-

Philoſophia ſit Scientia, Philoſophiam practicam, non esſe ipſam prudentiam, nec effectivam esſe ipſam artem, ſed utramqve esſe ſcientiam, quæ de prudentia ac arte habetur.

§. 10. Sed non placet aliquibus diviſio Philoſophiæ in tres ſpecies antè dictas, verùm duplicem ſolùm eam eſſe putant, theoreticam nempe & practicam; eâ de causâ, quia 1. Philoſophia nihil aliud eſt quàm perfectio animæ noſtræ, ſeu eſt correctrix earum imperfectionum, quæ in facultatibus animæ noſtræ reperiuntur; quam ob rem, quot vel quotuplices ſunt facultates animæ, totuplicem quoqve Philoſophiam eſſe oportebit. Facultates autem hujusmodi, quæ huc ſpectant, ut illi ajunt, duæ ſunt, nempe intellectus & appetitus, quorum ille in cognitione veri & diſcretione falſi, hic verò in electione boni & rejectione mali, occupatur; unde & duæ tantùm erunt Philoſophiæ ſpecies, alia theoretica, quæ intellectum in cognitione veritatis perficit, alia verò practica, quæ appetitum in electione boni juvat. *Conf. Ammon. præfat. in Porphyr.* 2. Idem quoqve ex objecto Philoſophiæ evincere contendunt; res enim dicunt eſſe duplices, alias quidem necesſarias, id eſt tales, quæ non ſunt in noſtrâ poteſtate, nec ab arbitrio noſtro dependent, ſed cauſas, cur ſint vel fiant, extra nos habent: aliás verò contingentes, id eſt tales, quæ ſunt in noſtrâ poteſtate & arbitrio, quarumque cauſæ in nobis exiſtunt. Hinc duplicem quoqve eliciunt eſſe Philoſophiam; alteram verſari

ſari circa necesſaria, & cùm agere vel mutare hæc non poſſit, contemplari ſolùm eadem ac propterea etiam contemplativam vocari: alteram verò circa contingentia, quæ agi ac mutari à nobis posſunt, occupari, ita quidem ut ea mutet & prout viſum fuerit, agat, & eâ de causâ practicam vel activam dici.

§. 11. Verùm exigua planè horum argumentorum vis esſe videtur. *Quod enim primum concernit*, ut multa, quæ reponi hìc posſunt, reticeantur, id tantùm regeritur, *falſum esſe, quòd Philoſophia perficiat appetitum*, vel ejus correctrix exiſtat; appetitûs enim perfectio in eo conſiſtit, ut rectæ rationi obediat, & id, quod ipſa jubet, appetat ac velit: id autem *non à Philoſophia vel Scientia* habet, *ſed à virtute morali*, quæ in appetitu reſidet, ut in ſubjecto *l. 1. Eth ult.* Philoſophia verò non in appetitu, ſed intellectu ſedem habet, ut ex fine §. 8. conſtat. Per accidens equidem aliquid commodi Philoſophia ad appetitûs perfectionem confert, quatenus ſcilicet ſcientificè tractat de prudentia, quæ præſcribit, quomodo appetitus ſe gerere ac rationi parere debeat; per ſe verò & propriè eundem non perficit, nec immediatè ei præſcribit, nec in ipſo eſt, ſed in intellectu, qui eapropter tantùm ab eâ perficitur: quâ de causâ, ſi ex numero facultatum, quas Philoſophia perficit, ſpecies ipſius Philoſophiæ cognoſcendæ ſunt, utiqve non duplex, ſed triplex ea erit, cùm intellectus totuplex exiſtat *l. 6. Metaph. 1.* uti §. 8.

evictum eſt. *In altero verò argumento iterum negatur, necesſarium id esſe, quod ab arbitrio noſtro non dependet, contingens verò id, quod in poteſtate noſtrâ ſitum eſt;* ſtantibus enim his definitionibus, in totâ natura pauca remanebunt contingentia, ſed omnia ferè necesſaria erunt, v. c. hac æſtate frigere, illâ hyeme calere, pluere hoc tempore, altero ningere &c. cùm in noſtrâ poteſtate non ſint, non contingentia ampliùs, ſed necesſaria dicenda erunt: quod quàm abſurdum ſit, cuivis patet. Sed *nec iſtud concedi poteſt, quòd ulla unquam Philoſophiæ aut Scientiæ pars circa contingentia verſetur;* cùm expreſsè dicat Ariſtoteles *l. 1. Prior. 13. 27. & 30. l. 2. Phyſ. 5. l. 6. Metaph. 2.* & alibi pasſim, omnem ſcientiam esſe aut ejus, quod necesſarium eſt & ſemper, aut ejus quod ut plurimum ita ſe habet: quod quanquam interdum contingens vocari ſoleat, cum addito tamen tantùm ita dicitur, revera autem necesſariis annumeratur, quia quando talia ſunt, ſemper unô eôdemqve modô ſeſe habent. Adde & hoc, quòd omnis ſcientia & Philoſophia verſetur circa univerſale *l. 1. Poſt. 31. & l. 2. c. 19.* hoc autem propriè & per ſe nec generatur nec corrumpitur, & per conſequens non eſt in meâ poteſtate, ut illud pro lubitu vel efficiam vel tollam, ſed, quàmvis in ſingulari v. c. hanc vel iſtam domum in meâ poteſtate habeam & pro arbitrio meo vel exſtruere vel deſtruere posſim, ut tamen univerſalem domum vel ædificem vel disſolvam, planè imposſibile eſt: quam ob rem nul-

lum

lum universale in meâ potestate est nec contingens dici potest, sed necessarium vel ex datâ adversariorum definitione appellandum est, ac per consequens cùm omnis scientia circa universale versetur, hinc omnis quoqve circa necessarium, nulla verò circa contingens occupata erit. Si verò ideò scientias practicas circa contingentia versari dicas, quia res, quas in universali considerant, in singulari sumptæ ab arbitrio nostro dependent & pro lubitu agi à nobis possunt; *eodem planè jure dicere potero & scientias theoreticas v. c. physicam circa contingentia versari,* nam & hominem in singulari generare homo potest, itemqve vocem reddere, sonum edere, & alia talia multa valet: *mathematica quoq; circa contingentia versabitur*, cùm & circulum & triangulum & quadrangulum efficere vel tollere quilibet pro lubitu possit: at verò contingentia in his scientiis tractari, ipsimet illi, qui antè ita objecerunt, negant.

§. 12. Sed tandem sunt aliqui, qui *ipsum Aristotelem non aliter, quàm in duas tantùm species, Philosophiam divisisse dicunt,* nempe *l. 2. Metaph. 1.* ubi Philosophiæ contemplativæ finem dicit esse veritatem, practicæ verò opus: tertiæ autem speciei, scilicet effectivæ, nullam planè injicit mentionem. Responderi posset, *non esse hic omissam tertiam speciem, effectivam, sed comprehendi eam sub ipsâ practicâ Philosophiâ;* quamvis enim hæc vocabula, practicum & effectivum, propriè accepta, diversa significent, uti ex *l. 6. Ethic. 5.* pa-

tet, ſæpe tamen apud Ariſtotelem, quando in loco quodam peregrino occurrunt, & incidenter eorum mentio fit, impropriè & æquivocè accipiuntur, ita ut ſub practico etiam effectivum comprehendatur, uti ex *l. 1. Ethic. 6. l. 2. Eud. 3. l. 7. Polit. 3.* & aliis pluribus locis manifeſtum eſt: in quâ ſignificatione hôc quoqve locò, nempe *l. 2. Metaph. 1.* τὸ practicum accipi, vel inde conſtat, quia practicæ finem dicit esſe opus, opus verò finem effectivæ vel effectionis vocat *l. 6. Eth. 5.* Sed accuſari ferè hâc Reſponſione videtur Ariſtoteles, quòd Philoſophiam per differentiam quandam æquivocam ac proinde obſcuram diviſerit, cùm differentiam non æquivocè, ſed propriè & æqualiter dici, itemqve manifeſtam esſe oporteat, ut ad conſtituendam definitionem apta ſit: ex differentiis enim omnis definitio conſtat *l. 1. Top. 8. l. 6. c. 6. l. 7. Metaph. 3. & 12.* hæc autem manifeſtis conſtare nominibus, obſcuris verò, impropriis & ad ſignificandum ineptis carere debet. *l. 6. Top. 2. & l. 2. Poſt. 13.* Hinc aliter reſpondendum eſt, nempe *Ariſtotelem citatô locô de Philoſophiâ dividendâ ne quidem cogitâsſe*, ſed longè aliud egisſe, ut ex ipſo contextu apparet. Poſtquam enim dixerat, veritatis contemplationem partim facilem, partim difficilem eſſe, idqve ſignis quibusdam probaverat, & cauſas quoqve difficultatis expoſuerat, itemqve iis, qui vel minimam illius partem attigerunt, gratias habendas eſſe docuerat, tandem hæc ad Philoſophiam, quam præ manibus habet applicat,

cat, & eam hanc ipsam veritatis contemplationem vel contemplatricem esse dicit, nullô modô verò activam vocari posse ex fine probat, quia contemplativarum finis veritas est, practicarum verò opus, & eapropter cùm hujus Philosophiæ finis non opus sed veritas sit, eam quoqve non activam, sed contemplatricem ipsius veritatis dici oportere: quæ omnia ex *Comm. 5. Alex. Aphrod. in l. 2. Metaph.* constant. Quemadmodum itaqve non sequitur, si quis dicat; hic vel ille Syllogismus, quia victoriam vel lucrum vel tale quid pro fine habet, non dialecticus est, sed contentiosus & Sophisticus, dialecticorum enim finis opinio est ad scientiam ducens, sophisticorũ verò & contentiosorum ad victoriam aut lucrum; ergò duo tantum sunt syllogismorum genera, dialecticum & Sophisticum: datur enim & tertium, nempe demonstrativum seu analyticum, & alia fortè plura genera. Ita quoqve non licet inferre: hæc vel illa disciplina, quia veritatem pro fine habet, non activa sed contemplativa est, quia contemplativarum finis veritas est, practicarum verò opus; ergò duo tantùm sunt disciplinarum genera, nempe contemplativum & practicum: sed neutiquam hoc impedit, quò minùs & aliud adhuc genus præter hæc, nempe effectivum dari & ab Aristotele statui possit, cùm præprimis illud aliis in locis ab ipso expressè nominatum sit, ut ex §. 8. patet. Atqve hæc de Philosophia in genere dicta sint.

PARS SECUNDA.
DE
PHILOSOPHIA CONTEMPLATIVA.

§. 1.

QUod itaqve distinctè *Philosophiam contemplativam* attinet, ea, ut ex §. 8. innotuit, est, *quæ circa talia versatur, quæ nec sub actionem, nec sub effectionem cadunt, sed solius cognitionis & scientiæ gratiâ addiscuntur:* ac per consequens, quot sunt genera talium rerum, quæ solius contemplationis causâ cognoscuntur, tot quoqve Philosophias speculativas esse necesse erit. Tria autem sunt harum rerum genera; quædam enim 1. ab omni materiâ per naturam suam aliena & separata sunt, ut prima illa Entia immaterialia & immobilia, Deus nempe & divina; quædam verò 2. materialia vel cum materia concreta sunt & ab eâdem inseparabilia, quæ eapropter etiam conjunctim cum materiâ considerantur, ut res naturales & mobiles: quædam tandem 3. ita se habent, ut per se quidem sine materiâ non sint, abstrahi tamen per mentis operationem ab eâ & sine materiâ considerari possint, ut numerus, circulus, triangulum &c. quæ semper quidem vel in ære vel auro vel ferro vel aliâ materiâ existunt, sine his tamen considerari ac per intellectum ab iisdem abstrahi possunt. Hinc

tres oriunturPhilosophiæ contemplativæ; 1. *METAPHYSICA*, quæ res primi generis contemplatur, ut ex §. 6. constat. 2. *PHYSICA*, quæ res secundi generis sibi vendicat: & tandem 3. *MATHEMATICA*, quæ de numeris & figuris, prout à materiâ abstracta sunt, agit. *Conf. Aristot. l. 6. Met. 1. l. 13. c.3. & 7. l. 2. Phys. 2. l. 1. de Anim. 1.* & alibi passim. Atqve hanc eandem Philosophiæ contemplativæ divisionem *amplectuntur quidem & Scholastici*, rationem verò ejusdem longe aliam adferunt, *ex diversis nempe abstractionum speciebus*, quas cuiqve scientiarum contemplativarum accommodare sine ratione & frustra laborant; sola enim mathematica sub abstractionem cadunt aut abstracta dici possunt, Physica verò tantum abest, ut à materiâ abstrahi queant, ut potiùs non nisi cum materiâ conjuncta & quatenus cum ipsâ concreta sunt, considerari possint, uti locis proximè citatis ab Aristotele docetur: metaphysica autem vel ideo abstractionem intellectùs à materiâ non admittunt, quia per se materiæ sunt expertia, neqve unquam eidem conjuncta fuerunt.

§. 2. Magis autem adhuc *alii ab hâc sententiâ abeunt, qui non contenti ternario contemplativarum scientiarum numero, in plures particulas hanc Philosophiam miserè discerpunt*; quidam enim 1. dari præter scientias enarratas aliam quandam scientiam dicunt, *quæ contemplatur Ens quatenus ens est*, & quæ ei per se insunt *l. 4. Met. 1.* quæ universalis est scientia, quia simplici-

 ter

ter Ens considerat, non verò particulam Entis abscindit & contemplatur, ut v. c. Geometria & aliæ omnes faciunt: hanc autem aliam esse ajunt à Metaphysica, cùm & hæc particulam entis abscindat, & Deum ac divina consideret, uti §. præcedente dictum est: quam ob rem præter supra positas contemplativas scientias *quarta adhuc ponenda erit*, quæ Ens in universali considerat & *ONTOLOGIA* vocatur. 2. His contrarii alii considerationem Dei ad Metaphysicam pertinere negant, contra verò contemplationem Entis quà Ens est, ipsi adscribunt; unde inferunt, cùm Metaphysica universalis scientia sit, quæ non de Ente, quatenus vel mobile est, vel alium respectum particularem subit, sed simpliciter prout Ens est, tractat & proinde universale habet objectum, nec ad considerationem Entis in particulari descendit, *fieri non posse, ut consideratio Dei ad Metaphysicam spectet*, sed referendam eam esse ad aliam disciplinam ab ipsâ Metaphysicâ distinctam, quàm *THEOLOGIAM*, vel communiori etiam nomine *PNEVMATICAM* vocant. 3. Rursus quidam *principia prima complexa vel axiomata Metaphysicæ adimunt*; hæc enim & ab Ente quà Ens est & à Deo ac divinis diversa esse patet, & eapropter itidem peculiarem & à reliquis distinctam scientiam his adjudicant, quam *NOOLOGIAM* appellant. 4. Deniqve nonnulli novam, planè aliam, *de cognoscibili*, *Philosophiam theoreticam addunt*; cùm enim & de cognoscibili, quatenus tale

le eſt, detur cognitio quædam ſpeculativa, ea verò ad aliquam ex prædictis ſcientiis, reduci planè non poſſit, patet peculiarem ac à reliquis diſtinctam Philoſophiæ theoreticæ ſpeciem vel partem inde conſtitui: quam *GNOSTOLOGIAM* eſſe dicunt.

§. 3. At facilè ſatisfieri his objectionibus ex ſuperioribus poteſt; *quod enim primam concernit*, conceditur quidem dari ſcientiam quandam contemplativam de Ente quatenus Ens eſt, prout dicitur *l. 4. Met. 1. at verò ſpecie eam diſtinctam & aliam à Metaphyſica esſe, negatur.* Semper enim ea ſcientia, quæ primam alicujus generis ſpeciem conſiderat, de toto ſimul genere agit, *uti patet ex Analyticâ*, quæ cùm de demonſtratione, primâ Syllogiſmi ſpecie, tractet, ideo de toto etiam genere ſeu de Syllogiſmo agit, itemq; *ex Politicâ*, quæ quia primam ſocietatis ſpeciem, nempe Rempublicam, conſiderat, ideo quoqve de Societate in genere agit: quam ob rem & hîc unius ejusdemqve diſciplinæ erit agere de Ente in univerſali, quatenus Ens eſt, & de primâ Entis ſpecie, nempe Deo, ac proinde quam Ontologiam vocant, alia à Metaphyſicâ ſcientia dici non poteſt. Sed *neq; rectè Deus particula Entis vocatur*, uti nec animal particula ſani dici poteſt, verùm prout animal ipſummet ſanum eſt, non particula ejus, ita quoqve Deus ipſum Ens eſt, non particula Entis; ratio enim Entis ipſi primò & propriè, reliquis verò ſecundariò & quadantenus competit, ſicuti animal primò & ſimpliciter ſanum

vocatur, reliqua verò, ut color, urina, herba &c. ſecundariò & ſecundùm quid talia dicuntur: unde etiam Deum τὸ πᾶν antiquitus appellârunt, quaſi totum esſe in ſe comprehenſum habeat, & immenſum quoddam esſentiæ pelagus exiſtat. Imò ſi dicendum quod res eſt, *Ens quatenus Ens, ſi abſolutè illud, & citra omnem reſpectum accipias, nihil aliud quàm ipſummet Deum ſignificat*; hîc enim τὸ quatenus non denotat rationem quandam univerſalem & omnibus Entis ſpeciebus communem, ut in Synonymis ſolet, talem enim omnibus communem naturam nec Ens, nec alia gènera, quæ ad unum & ab uno vocantur, habent *l. 1. Ethic. 4. l. 3. Pol. 1. l. 3. Met. 3.* ſed quemadmodum aliàs in his generibus, v. c. bono, ſano &c. ita & hîc per τὸ quatenus prima ſpecies, vel id, quod primò & maximè tali nomine dicitur, indigitatur. Unde cùm prima Entis ſpecies extra controverſiam Deus ſit, patet, idem eſſe Deum & Ens quatenus Ens, ac proinde, quæ ſcientia unum horum conſiderat, eam conſiderare & alterum; quamobrem quia Metaphyſica Deum contemplatur, contemplabitur quoqve Ens quatenus Ens eſt, ac propterea nova quædam à Metaphyſicâ ſpecie diſtincta ſcientia, nempe Ontologia, neutiquam ponenda erit. *Neq; deſinit hôc ipsô Metaphyſica univerſalis esſe ſcientia, quamvis Ens quatenus Ens Deum ſignificet*, ſed hæc ipſa potiùs cauſa eſt, propter quam univerſalis dici debet; non enim univerſalis ideo dici-

dicitur, quia universale Ens vel universaliter omne Ens considerat, sic enim & dialectica & sophistica, quæ æqvè latè cum Metaphysica patent *l. 4. Met. 2.* universales dicendæ essent: quò & illud accedit, quòd Ens universale, vel alicujus rei genus, propriè loquendo dici planè non possit *l. 4. Top. 3. l. 1. Soph. 11. l. 2. Post. 7. l. 2. Met. 3.* Verùm *universalis dicitur Metaphysica hâc ratione*, quia primum inter Entia, nempe Deum considerat, ad quem omnia reliqua Entia referuntur, & quia omnium in universum Entium primam & universalem causam, quæ sine dubio Deus est, assignat, neqve circa principia certi ac determinati Entis generis, ut Physica, aut Astrologia, verùm omnium absolutè rerum versatur: quemadmodum pari ratione inter mathematicas Arithmetica universâlis dicitur, quia circa prima & universalia, non hujus tantùm vel illius, sed omnis in universum quantitatis, principia, versatur.

§. 4. Hinc quoqve patet, *quid ad secundam objectionem responderi debeat*; scilicet *considerationem Dei ad Metaphysicam quam maximè pertinere*, non tantùm quia sapientia est, *vide §. 6. & 7. Proleg. de Philosophiâ in genere*, sed etiam eâ ipsâ de causâ, quâ adversarii eam removere à Metaphysicâ volunt. Si enim, ut quidam volunt, in universali & tanquam genus aliquod considerari Ens potest, & verò Metaphysica Ens in universali contemplatur, ut iterum concedunt, necessariò inde infertur, Metaphysicam quoqve de Deo tra-

ctare:

ctare : quia uti ante evictum eſt, ejusdem diſciplinæ eſt tractare de genere & primâ generis ſpecie. Imò, ſi idem ſunt Ens quatenus Ens & ipſe Deus, ut paulò antè dictum eſt, Metaphyſica verò Ens quatenus Ens conſiderat, ut adverſarii confitentur, ſtatim apparet, nec conſiderationem Dei removeri à Metaphyſicâ poſſe, nec aliam quandam diſciplinam, nempe Pneumaticam aut Theologiam, à Metaphyſicâ ſpecie diſtinctam quærendam eſſe. Sed *neq; id metuendum eſt, ne Metaphyſica ex conſideratione Dei particularis aliqua ſcientia fiat;* Deus enim particulare Ens vel particula Entis appellari nullô modô poteſt, quod *§. præcedente* demonſtratum eſt: quin potiùs contra, quia Metaphyſica Deum conſiderat, ideo univerſalis dici debet, neqve enim quia conſiderat univerſale aliquod Ens, quippe quod nullum eſt, aut quia conſiderat Ens ſub communi quâdam, qualem ſcilicet vocabula πρὸς ἓν admittunt, ratione, quippe quod & dialecticæ & ſophiſticæ convenit, ſed quia univerſaliſſimam & primam omnium rerum cauſam, quæ Deus eſt, contemplatur, univerſalis dici meretur.

§. 5. Porrò, *quod tertiam objectionem concernit, malè iterum principia & axiomata illa Metaphyſicæ denegantur.* Metaphyſica enim in genere agit, non de hoc vel illo tantùm Ente particulari, nec ſub particulari aliquâ ratione, quatenus nempe vel calidum vel frigidum, vel grave vel leve eſt, ſed de omni Ente ſub communi quadam ratio-

ratione & ſimpliciter quatenus Ens eſt, ac iis, quæ ipſi per ſe vel quatenus Ens eſt conveniunt; utut enim omnia entia ad unum propriè dictum & univerſale genus καθ' ἓν reduci non poſſint, ut §. *præcedente* dictum eſt, unum tamen commune genus impropriè dictum, nempe πρὸς ἓν conſtituunt *l.* *4. Met.2.* in quo genere quàmvis primum Ens, tantùm Ens quatenus Ens, propriè & abſolutè vocari poſſit, ſecundùm quid tamen & certo reſpectu etiam de reliquis per participationem & impropriè ſic vocatis dici poteſt, quòd ipſis quædam vel per ſe & prout entia ſunt ſive ſimpliciter, vel aliô quodã modô, nempe propter aliud, & prout Entia ſunt talia vel talia, accidant & inſint. Cùm itaqve dictâ & modò limitatâ ratione Metaphyſica de omni Ente, quatenus Ens eſt, in communi, & ut impropriè ita dicam, in univerſali agat, inde necesſariò quoqve prima & communia conſiderare debebit principia, quæ non certo alicui Entis generi aut ſub particulari quadam ratione, ſed omnibus Entibus prout Entia ſunt, communiter conveniunt, qualia ſunt: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe vel non eſſe, quodlibet eſt vel non eſt &c.* ejusdem enim ſcientiæ eſſe, & rem & principia ejusdem rei pertractare, inductione evidens eſt, ut ipſe etiam Ariſtoteles hâc ratione uſus ſit *l. 4. Met.3.* Rurſus prima hæc principia aliò quàm ad Metaphyſicam non pertinere, patet ex definitione ejus, quia intellectus primorum principiorum eſſe definita eſt §. *6.*

Pro-

Prolegom. de Philosoph. in genere itemqve ex eâ Sapientiæ conditione, quâ omnia in universali novisse debet, ex §. 2. *ibid.* quæ omnia dici de Metaphysica ampliùs non possent, si primorum axiomatum & principiorum consideratio eidem detraheretur: ex quibus ut & aliis pluribus, quæ brevitatis studiô omissa sunt, constat, aliam à Metaphysica principiorum primorum disciplinam, Noologiam nempe, statuendam non esse.

§. 6. Quòd tandem *quartô locô de Gnostologia* dictum est, iterum *nullam videmus rationem, cur Gnostologia peculiaris & à reliquis omnibus distincta disciplina sit dicenda.* Si enim cognoscibile illud est, quod intellectui nostro ad cognoscendum objicitur, ut autores Gnostologici definiunt, jam manifestum est, de cognoscibili non peculiarem quandam constituendam esse disciplinam, sed *eam scientiam de illo tractare, quæ agit de ipso intellectu*, nempe Physicam: ad eandem enim scientiam relata, v.c. sensus & sensibile, dominus & servus, magistratus & subditus, ac per consequens etiam intellectus & intelligibile seu cognoscibile, spectant. Aut si nihilominus tractando cognoscibili separata & distincta aliqua assignanda est scientia, *pari jure & sensibili, & concupiscibili, & irascibili, & opinabili*, & hujusmodi aliis infinitis ferè, *proprias suas & peculiares scientias quis adscribere*, atqve sic numerum disciplinarum Philosophicarum in infinitum ferè augere potest. Sed verò *adhuc urgent*, omnia ea, quæ ab

ab intellectu cognoſcuntur, aliter quàm in aliis ſcientiis, v. c. Phyſicâ, Mathematicâ, &c. poſſe conſiderari, nempe *ſub ratione ſcibilis*, vel quatenus ſub ſcientiam cadunt aut ſcientificè apprehendi posſunt: quo modo cùm nec in Phyſicâ, nec in aliâ quâdam Philoſophiæ parte hæc cognoſcibilia pertractentur, necesſariò ad peculiarem quandam diſciplinam, nempe Gnoſtologiam ſpectabunt. Verùm, *utut negari non poſſit, posſe hæc omnia ſub ratione ſcibilis conſiderari*, utut etiam concedatur, eatenus omnium cognoſcibilium unam eſſe ſcientiam; *id tamen falſum eſt, quòd hæc ſcientia ſtatim peculiaris & à reliquis omnibus diſtincta ſit, ſed eadem eſt cum Analytica*, quæ quia de demonſtratione & ſcientiâ tractat *l. 13. Met. 1.* hinc de ipſo quoqve ſcibili, quô ſcientiæ genere quidvis comprehendi aut tradi poſſit, agit: unde etiam fit ut Gnoſtologici libelli maximam partem vel ex Phyſicâ & libris de Animâ, vel ex Analyticis, vel ex ipsâ etiam Metaphyſicâ ſint deſumpti.

§. 7. Manet itaqve, tres tantùm, nec plures nec pauciores, eſſe Philoſophiæ vel Scientiæ contemplativæ ſpecies & partes, Metaphyſicam, Phyſicam, Mathematicam; quàmvis *Metaphyſica non eodem modô, quô Phyſica & Mathematica, ſcientia appellari poſſit*, cùm nec definitiones nec demonſtrationes propriè dictas, ſed tantùm vel analogicè tales, vel ducentes ad impoſſibile habeat, ſecus ac reliquæ ſcientiæ, quæ demonſtrationibus propriè dictis utuntur. Vide *Cæſalp. l. 1. quæſt.*

Perip.

Perip. q.3. Non incommodè tamen huc inter contemplativas ſcientias Metaphyſica referri & ad ſecundam ac poſteriorem Philoſophiæ ſignificationem ſuô quodam modô reduci poteſt, quàmvis ad primam etiam pertineat acceptionem & longè excellentiori ratione Philoſophia dicatur, ut ex §. 7. *Prolegom. de Philoſoph. in genere* conſtat; cùm & in aliis communibus ab uno & ad unum v. c. in cive, ſervo, & aliis hujusmodi, fieri videamus, ut aliquando una eademq; res & ad primam ac principalem, & deinde aliô quodam reſpectu ad aliquam poſteriorem & longè inferiorem vocis ſignificationem referri poſſit. Sed ſatis hæc dicta hac vice ſunto de Contemplativâ Philoſophiâ.

PARS TERTIA.
DE
PHILOSOPHIA PRACTICA.

§. I.

PRactica verò Philoſophia, uti ex §. 8. *Prolegom. de Philoſoph. in genere* patet, ea eſt, quæ cauſas & principia inveſtigat earum rerum, quas non ſcire ſolùm ſed & agere volumus, aut quas non ideo ſcire cupimus, ut in ipsâ illâ ſcientiâ acquieſcamus, ſed ut ea, quæ in univerſali per ſcientiam cognovimus, in ſingulari ad praxin & actionem in vitâ humanâ rectè inſtituendam traducamus. Cùm autem circa actiones rectè inſti-

inſtituendas in vitâ humanâ verſetur prudentia, hæc enim habitus cum verâ ratione activus eſt, *l. 6. Ethic. 5.* Philoſophia practica autem ſit ſcientia de prudentiâ, uti ex *§. 9. Prolegom. de Philoſoph. in genere* patet: inde, quot ſunt prudentiarum aut actionum humanarum, circa quas prudentia occupatur, genera, tot quoque Philoſophiæ practicæ ſpecies eſſe oportebit. Sed nec prudentiam nec actiones humanas rectè poterimus diſcernere aut diverſa earum genera inveſtigare, niſi ad diverſitatem finium reſpexerimus, quos actiones illæ ſibi præfixos & propoſitos habent; quot etenim diverſi fines erunt, tot quoqve diverſæ erunt prudentiæ & actiones hominum, ac proinde tot quoqve erunt, quæ de illis tractent, Philoſophiæ practicæ ſpecies & partes. Fines autem in ſocietate humanâ duo reperiuntur, evidenter inter ſe diſtincti & diverſi, nempe beatitudo civilis vel ſummum bonum practicum, & deinde recta inter domeſticos vitæ inſtitutio; quam ob rem duæ quoqve erunt prudentiæ, altera, quæ circa beatitudinem civilem, altera, quæ circa beatitudinem domeſticam obtinendam occupatur, quarum illa prudentia civilis vel politica, altera verò œconomica vocatur *l. 6. Ethic. 8.* unde porrò etiam patet, *duas de prudentiâ dari ſcientias*, ac proinde *duas Philoſophiæ practicæ partes & ſpecies. 1. Politicam*, quæ de prudentiâ civili vel politicâ ejusqve fine agit, ac proinde Ethicam quoqve tanquam priorem ſui partem comprehendit. 2. *Oeconomicam*, quæ

 de

de prudentiâ domesticâ ejusqve fine obtinendo tractat.

§. 2. Sunt autem nonnulli, qui *malè Philosophiam practicam in duas partes & species Politicam nempe & Oeconomicam, dividi existimant, sed unicam esse eam ajunt.* Oeconomicam enim non esse separatam & distinctam disciplinam à Politica, sed partem ejusdem; cùm non tantùm objectum idem sit, de domo enim utrobiqve tractatur, sed & finis œconomices idem sit cum fine politices, beatitudo scilicet civilis: hujus enim gratiâ sunt, quæ in œconomicis tractantur, & ut hæc obtineatur, œconomica, uxorem ducendam, liberos educandos, & alia talia docet. His verò *contrarius planè est Aristoteles*, qui Politicam ac Oeconomicam non ut partes unius ejusdemqve disciplinæ, sed *ut diversas ac specie distinctas disciplinas, inter sese discernit.* (1.) Namqve *differunt objecto*; Politicæ enim objectum civitas est, œconomicæ verò domus, rectè instituenda & gubernanda *l. 1. Oeconom. 1. l. 1. Pol. 7.* Quamvis autem & in Politicis *l. 1. c. 2.* de domo agatur, inde tamen non sequitur, Oeconomicam Politicæ partem, vel eandem cum illâ disciplinam esse, aut idem prorsus objectum habere; modus enim considerandi, qui formale objecti, ut vocant, constituit & à quo quàm maximè disciplinarum unitas dependet, idem non est, sed aliâ ratione de domo Politica, aliâ verò Oeconomica agit. Illa scilicet de domo agit, quatenus pars est civitatis aut respectum ad

eam involvit; hæc verò ſine hoc reſpectu abſolutè & ſimpliciter tanquam totum aliquod in ſe domum conſiderat, quatenus nempe in ſe optimè conſtituenda ac adminiſtranda eſt, peculiari quadam & propriâ ſibi adminiſtratione, quæ ab adminiſtratione politicâ vel civitatis totô cœlô differt: quam adminiſtrationem domûs Oeconomica eapropter ſola deſcribit, Politica verò planè non tangit. Unde porrò Politica domum non per ac propter ſe conſiderat, ſed propter civitatem, cùm hæc intelligi, niſi intellectâ priùs quadantenus domo, non poſſit, ac proinde non ex profeſſo de eâ tractat, ſed quædam ſolùm, non omnia, eaq́ve non accuratiſſimè, ſed quantum ſufficit ad cognitionem totius, nempe civitatis; Oeconomica verò per & propter ſeſe domum ac proinde ex profesſo & accuratè, nec quædam ſolùm, ſed omnia, quæ ad gubernationem ejus ſpectant, contemplatur. (2.) *Differunt fine*; Politices enim finis eſt bene ac beatè vivere inter cives, ſecundùm virtutes politicas; Oeconomicæ verò finis eſt bene ac beatè vivere inter ſuos & domeſticos, ſecundùm virtutes domeſticas. Quòd autem virtutes domeſticæ à virtutibus politicis multis modis differant, dubium eſſe non poteſt, cùm & uxoris erga maritum, & ſervi erga dominum, & puerorum ſeu filiorum erga patrem ſit virtus aliqua domeſtica, cujus ii omnes perfectè participes eſſe posſunt, quæ tamen nec fortitudinis nec liberalitatis nec alius cujusdam politicæ virtutis ſpeciem habet, quippe cujus

illi ſupradicti participes & capaces non ſunt. Conf. *l. 1. Polit. ult.* Neqve ſequitur, ideo Oeconomicam eundem cum Politicâ finem habere, quia omnia, quæ in Oeconomicis tractantur, ad finem Politices, nempe beatitudinem civilem, tendunt; talis conſequentia enim ſi valet, etiam Rhetorica eundem cum Politicâ habere finem dici poſſet, quia omnia, quæ Rhetorica vel ſvadet vel disſvadet, ad finem politices tendunt, & à Rhetore eò diriguntur: quod de militari quoqve & aliis quibusdam dicendum eſſet, quas tamen Ariſtoteles non easdem cum Politicâ, ſed eidem ſubordinatas eſſe dicit *l. 1. Ethic. 1.* Porrò (3.) *alia etiam atque alia eſt adminiſtrandi ratio in Politicis & Oeconomicis*; hîc enim de jure naturæ unus tantùm imperat, nempe Paterfamilias, ibi autem ſæpè plures de jure naturæ imperare posſunt *l. 1. Oecon. 1.* quod in Ariſtocratiâ & Politiâ in ſpecie ſic dictâ accidit: hîc, qui ſemel imperat, ſemper imperat, neqve unquam paret, ibi autem ſæpe per vices ab iisdem diverſo tempore & imperatur & paretur, ut rurſus in politiis fieri ſolet. (4.) Sed & *aliud jus docetur in Oeconomicâ, aliud verò in Politicâ*; hoc enim civile eſt & ſimpliciter tale, iſtud verò ſimilitudine quadam huic reſpondet, quod fuſiùs docet Philoſophus *l. 5. Eth. c. 10.* *amicitiam quoq; planè aliam in Oeconomicis obtinere, aliam verò in Politicis*, manifeſtum eſt, ut dubitari ampliùs non poſſit, duas easqve ſpecie diſtinctas ſcientias ac Philoſophiæ practicæ par-

tes eſſe, quarum altera de prudentiâ œconomicâ, altera verò de Politicâ agat.

§. 3. E contrario autem *alii non contenti duabus his Philoſophiæ practicæ partibus, plures effingunt, & Ethicam non partem politicæ, ſed ſeparatam ab eâ diſciplinam eſſe contendunt*, atqve ita, *tres partes Philoſophiæ practicæ conſtituunt, Ethicam, Politicam, & Oeconomicam:* cujus rei hanc rationem dare ſolent. Totuplicem nempe ajunt ſtatuendam eſſe Philoſophiam practicam, quotuplex eſt conſideratio ſummi boni practici, quod norma & menſura ac primum principium ſeu finis eſt in practicis *l.1. Eth. 10. & 1. Eud. 8.* conſiderari verô ſummum bonum poſſe dicunt tripliciter, vel 1. prout cadit in hominem extra civitatem & œconomiam conſideratum, ſive in ſtatum ſolitarium, vel 2. prout cadit in hominem in civitate degentem ſive in ſtatum civilem, vel tandem 3. prout cadit in ſtatum domeſticum ſive in hominem vitam domeſticam & œconomicam viventem: unde tres producunt Philoſophiæ practicæ partes, quarum prima ſummum bonum primô modô ſumptum doceat & dicatur *Ethica*, ſecunda verò de Summo bono ſecundô reſpectu agat & ſit *Politica*, tertia verò nempe *Oeconomica* ſummum bonum ultimô modô acceptum deſcribat.

§. 4. At verò ut reliqua omnia taceamus, ſtare hæc ratio ac diviſio vel ideo non poteſt, quia *impoſſibile eſt, ut ſummum bonum in ſtatum vel*

hominem solitarium cadat; solitarius enim homo destituitur mediis, iis, quæ necessaria sunt ad summum bonum & felicitatem civilem aut exercendam virtutem, sine quâ nulla felicitas est *l. 1. Eth. 5. & 9. l. 7. c. 14. lib. 8. c. 1. l. 9. c. 9. l. 10. c. 7. l. 7. Pol. c. 1.* & alibi passim: unde enim solus ea obtineat, in quibus acquirendis tota civitas satagit & laborat? & si fortè ponatur, illum acquirere hæc posse, tueri tamen ea, cùm solus sit, adversùs vim aut insidias aliorum non valebit. *Nec habet solitarius, erga quos virtutem exerceat*, atqve sic beatè vivat; quomodo enim justitiam exercebit in contractibus, distributione præmiorum, onerum, pœnarum &c.? cum quo contrahet, aut cui distribuet quicquam, si solus est? erga quemnam erit liberalis, mansvetus, modestus, verax, urbanus, &c. si solus est? Sed *nec temperans dici poterit*, abstinebit enim à voluptatibus corporis ex necessitate, quia solus est, non verò ex libertate appetitûs, quod verè temperantis est *l. 10. Ethic. 8.* *nec amicitia*, maxima ferè felicitatis civilis vel summi boni pars *l. 8. Eth. 1.* ipsi conveniet, cum quo enim colet eam, si solus est? unde tantum abest, ut solitario summum bonum & vita beata adscribi possit, ut potiùs vita ejus molesta sit dicenda *l. 9. Eth. 9.* Atqve hoc adeò verum est, *ut summum bonum ne quidem statui & vitæ domesticæ vel œconomicæ convenire videatur*; cùm neqve hîc obtineri possint omnia ea, quæ ad bene

bea-

beateqve vivendum requiruntur, neqve præstari queat omnis ea omnium bonorum sufficientia, quæ satis sit & nobis & parentibus & liberis & conjugi & propinquis & amicis &c. sine quâ summi boni ratio non consistit. *l.1. Eth.5.* Ex quibus patet, summum bonum, de quo in Ethicis tractatur, ad statum solitarium aut alium quendam referri, aut tali respectu considerari nullatenus posse, sed ad solum statum & hominem civilem vel politicum pertinere: unde etiam bene beateqve vivere, non alius cujusdam societatis, sed civitatis finis esse dicitur, *l.3. Pol. c.6. & 9. & l.7. c.8.* ac per consequens *malè ex triplici hâc summi boni consideratione tres Philosophiæ practicæ partes constituuntur.*

§. 5. Non itaqve in Ethicâ consideratur summum bonum solitarii hominis aut à civili & politico statu abstractum, sed ipsummet illud civile & politicum summum bonum; id quod Philosophus passim inculcat, quando summi boni tractationem expresse ad politicam scientiam pertinere ait, & eâ de causâ quoqve *ipsam Ethicam vocat Politicam*, ac libros Ethicos cum Politicis ita connectit, ut eosdem unam constituere disciplinam nemini obscurum esse possit. Conf. *l.1. Eth. c.1,2.10. & 13. itemq; l.10.c.ult. l.1. Magn. Mor.1. l.1. Eud.c.10. l.1. Rhet.2. & 4. l.3. Pol. 6. & 12. l.7. c.13.* Sed nec rationes desunt, quibus *summum bonum quod in Ethicis consideratur ad Politicam spectare, & Ethicam non separatam à Politicâ disci-*

plinam, ſed primam ejus partem eſſe, probari poteſt. (1.) Manifeſtum eſt, *Politicam inter omnes practicas ſcientias maximè principalem & architectonicam eſſe*, quæ inſtar Dominæ reliquis artibus ac ſcientiis omnibus præſcribit & imperat, iisq; ad obtinendum ſuum finem utitur, *l. 1. Eth. 1*; quod cùm ita ſit, jam conſtat, præſtantiſſimũ quoqve ejusdem eſſe finem, cui omnium reliquarum artium ac ſcientiarum fines ſint ſubordinati: & proinde, cùm præſtantiorem finem ac majus bonum, quàm id quod in Ethicis deſcriptum eſt, comminiſci nemo poſſit, evidens etiam eſt, illud ipſum bonum, quod in Ethicis tractatur, Politicæ finem eſſe, ac ejusdem conſiderationem ad Politicam pertinere. (2.) Per inductionem certum eſt, *unam eandemq; ſcientiam, quæ tractat de re aliquâ, tractare quoq; de ejusdem fine*; ſicuti Analytica, quia tractat de demonſtratione, agit quoqve de fine ejus, nempe ſcientiâ, & Rhetorica, cùm deſcribat orationem ac modum componendi eam, ſimul quoqve de fine ejus, nempe fide, quam oratio relinquit in animis auditorum, agit; quam ob rem quia Politica de ſocietate civili vel civitate tractat, de ſummo bono quoqve, quod finis civitatis eſt, *l. 3. Pol. c. 6. & 9. l. 7. c. 8.* ipſam agere neceſſe eſt, & per conſequens Ethicam, quippe quæ ſummum bonum conſiderat, à Politicâ non ſeparatam diſciplinam, ſed primam ejus partem dici oportebit: præprimis cùm ipſa civitas per ſummum bonum vel ſufficientiam omnium bonorum

1. *Pol.* 2.

1. Pol. 2. 3. & 9. definiatur, ut vel inde constet tractationem de summo bono ad aliam disciplinam quàm ipsam Politicam referri non posse. Hæc quoqve de Philosophiâ practicâ breviter dicta sufficiant.

PARS QUARTA.
DE
PHILOSOPHIA EFFECTIVA.

§. 1.

Effectiva Philosophia §. 8. *Prolegom. de Philosoph. in genere* ea dicta est, quæ causas & principia investigat earum rerum, quas non scire solùm, sed & efficere volumus, aut quas non eo fine scire cupimus, ut in ipsâ illâ scientiâ acquiescamus, sed ut efficiamus in singulari id, quod per scientiam antè in universali contemplati sumus. Quoniam autem circa res in singulari promptè & expeditè efficiendas versatur *ars, quæ habitus est cum verâ ratione effectivus l. 6. Eth. 4.* Philosophia effectiva verò nihil aliud est, quàm scientia de arte, uti ex §. 9. *Prolegom. de Philosoph. in genere* constat: inde *quot sunt artes, vel quot sunt rerum efficiendarum genera, tot quoq; esse Philosophiæ Effectivæ species ac partes*, dicendum erit. Artes autem, præprimis honorabiliores, variæ sunt, nempe *Dialectica, Rhetorica, Analytica, Poëtica, Musica*, & aliæ plures, de quibus omnibus

cùm ſcientia inveniatur, Philoſophia effectiva alia erit *ſcientia de Dialecticâ*, alia *ſcientia de Rhetoricâ*, alia *Scientia de Analyticâ*, alia *Scientia de Poëticâ*, atq; ſic deinceps: quarum omnium quid quælibet ſit, quibus conſtet partibus, quô gaudeat fine &c. prolixiùs explicare, ea quæ hîc propoſita eſt, brevitas vetat. Ut itaqve eas ſolùm attingamus, quæ ad *Organum Ariſtoteleum*, uti vulgo vocatur, pertinent, & deinceps pleniùs pertractandæ ſunt; inde *de ſolâ Dialecticâ ac Analyticâ arte breviter & in genere quædam dicemus*, ex quibus, quid de ipsâ Philoſophiâ vel Scientiâ, quæ de his artibus eſt, ſtatuendum ſit, manifeſtum erit.

§. 2. Nonnulli autem ex Dialecticâ & Analyticâ unam faciunt facultatem ac proinde unam quoqve diſciplînam ſeu unam ſcientiam ac Philoſophiam, quæ de Dialecticâ ac Analyticâ tractet, conſtituunt, quam uno nomine *LOGICAM* appellant, atqve ita totum Organon Ariſtoteleum in unum corpus cogunt: à quâ ſententiâ tamen non ſine causâ recedendum eſſe putamus. *Conveniunt equidem in quibusdam Dialectica & Analytica*, nempe (1.) *in genere remoto*, quod ars eſt, prout ea *l.6.Ethic. c.4.* definitur; propriè enim utramqve, & Dialecticam & Analyticam dici poſſe artem, poſtea, quando in ſpecie ac ſeorſim de utrâq; tractabitur, patebit. (2.) Conveniunt etiam in *generali quodam & remoto fine*, nempe in eo, quòd utraqve producat cognitionem aliquam dubiæ cujusdam & ignotæ quæſtionis, quâ alterius ani-

animus imbuendus erat; ideo enim & Dialecticam & Analyticam operari certum eſt, ut alter ille, ad quem operatio hæc dirigitur, aliquid cognoſcat, & quod vel ad inveſtigationem veritatis vel ad qualemcunqve aliam opinionem faciat, inde diſcat. (3.) *Objectum* quoqve, ſi id ſub generali quadam ratione conſideres, *utriusq; idem eſt*; utraqve enim verſatur circa problema aliquod, vel circa quæſtionem quandam, cujus cognitionem ingenerare alteri laborat: quod adeò verum eſt, ut ſæpe etiam circa unam eandemq; quæſtionem & Dialectica & Analytica verſetur, quod vel ex ipſo Ariſtotele conſtat, qui utplurimum eandem quæſtionem, quam paulò pòſt analyticè pertractaturus eſt, antea dialecticè tractat, uti videre licet ex *l. 1. Poſt. 22. & 32. l. 2. Poſt. 3. 8. & 19. l. 1. Phyſic. 8. l. 2. Magn. Moral. 6. l. 3. Metaph. 1. l. 7. c. 4. & 17.* ac infinitis aliis locis. (4.) Sed & *media, quibus utraq; facultas ad obtinendum finem ſuum utitur, ſi rationem generis reſpicias, eadem ſunt*; Analyticus enim utitur demonſtratione, dialecticus autem argumento ex endoxis deſumpto, quæ tanquam ſpecies æqualiter continentur ſub uno genere, vel æqualiter participant unum genus, quod eſt Syllogiſmus, prout ille *l. 1. Prior. c. 1. & l. 1. Topic. c. 1.* ac aliis in locis definitur: non enim ſolam demonſtrationem propriè Syllogiſmum eſſe, ſed alias adhuc præter demonſtrationem veras ſub genere Syllogiſmi ſpecies comprehendi, expreſsè docuit Philoſophus *l. 1. Prior. c. 4.*

§. 3. Atq;

§. 3. Atqve hæc & fortè adhuc alia plura, sunt, in quibus si genericè ea considerentur, Dialectica & Analytica conveniunt, quæ tamen harum facultatum convenientia tanta non est, ut easdem in unum corpus cogere, vel unam ex Analyticâ & Dialecticâ disciplinam facere possit; præprimis si specificam omnium antè dictorum rationem inspicias, ubi tot ac tanta inter has facultates reperies discrimina, quæ easdem specie inter se distinctas esse, evidentissimè evincent. Scilicet (1.) *differunt genere proximo.* Quanquam enim & Dialectica & Analytica Ars sit, Ars tamen uniusmodi non est, sed dialectica talis ars est, quæ ad utramqve contradictionis partem concludendam æqualiter se habet, quod ipsi cum Rhetoricâ commune est *l. 1. Rhet. 1.* cujus rei ratio est, quia dialectica ex iis progreditur, quæ consentanea sunt opinionibus hominum, unde fit, ut, cùm homines non rarò de rebus contraria sentiant, dialectica contraria quoqve concludat, & quidem æqualiter, prout opiniones hominum ex quibus concludit, affectæ fuerint: quam ob rem *dialectica non ars qualiscunq; est, sed talis, quæ proprio nomine* δύναμις, id est, *facultas vel potentia vocatur*, id enim propriè potentia vel posse dicitur, quod contraria potest, ut habet *Alex. Aphrod. Comment. in §. 1. l. 1. Top.* At verò Analytica non talis sed alius modi Ars est, non enim æqualiter se ad utramque contradictionis partem concludendam habet, sed præcisè *determinata est ad eam solùm*

con-

contradictionis partem, quæ vera est, falsum verò nunquam concludit; cujus rei hæc causa est, quia Analytica non nisi ex principiis veris concludit *l. 1. Post. c. 2.* hæc autem si rectè fuerint disposita, veram tantùm, nunquam autem falsam producent conclusionem, *l. 2. Prior. 2.* ex quibus manifestum est, proprio genere Analyticam & Dialecticam differre, ac aliam Artis speciem illius, aliam verò hujus genus esse.

§. 4. (2.) *Differunt quoq; hæ duæ artes fine;* & cùm *finis duplex* sit, alius *CUJUS* gratiâ operatio v. c. ædificatio, ambulatio &c. instituitur, nempe domus, sanitas &c. alius verò *CUI* prior iste finis nempe domus aut sanitas inservire debet, & pro quo operatio instituitur, scilicet paterfamilias & ægrotus, *l. 2. de Anim. c. 4.* utroqve sanè fine Analyticam & Dialecticam differre certum est. Analyticæ enim finis CUJUS est scientia & quidem demonstrativa *l. 1. Prior. 1.* id est, per demonstrationem & doctrinam alteri imprimenda *l. 1. Sophist. 2.* finis CUI verò est auditor talis, qui per alias præcedentes vel præliminares disciplinas jam est exercitatus & ad scientiam ac veritatem dispositus, qualis aliàs πεπαιδευμένος itemq; οἰκεῖος vel proprius auditor dici solet *l. 1. Ethic. 1.* Dialecticæ autem finis CUJUS non veritas est vel scientia, sed opinio penes animum alterius relinquenda vel in alio excitanda *l. 1. Topic. 14. l. 8. c. 1. l. 2. Prior. 16. l. 1. Poster. 19.* & alibi passim: finis CUI verò

verò eſt auditor ad veritatis & ſcientiæ cognitionem adhuc præparandus & diſponendus per velitationes dialecticas & rationes communes, quas quia talis auditor quærit, ideo etiam λόγȣ δεόμενος, id eſt, rationem quærens vel ratione opus habens, vocatur *l. 1. Topic. 11. l. 1. Rhetor. 2.* (3.) *Differunt etiam objecto.* Quamvis enim circa problema vel quæſtionem quandam utraqve verſetur, longè alia tamen ratio quæſtionis Analyticæ, alia verò dialecticæ exiſtit. Scilicet *Dialectica talia tractat problemata*, ad quæ perpetuò reſponderi poteſt ITA vel NON, quæqve utramqve contradictionis partem explicitè ac apertè proponunt & alteri liberam relinquunt optionem, quamnam ex his eligere velit, *lib. de Interpret. c. 11. l. 8. Topicor. 2. l. 1. Prior. 1.* Analytica verò arbitrio alterius non relinquit liberam utriusqve contradictionis partis electionem, ſed determinatè alteram tantùm contradictionis partem quærit, neqve talia ſemper problemata proponit, ad quæ ITA vel NON reſponderi poſſit, ut ex ipſis problematibus Analyticis *l. 2. Poſt. 1.* enarratis apparet: unde etiam apud Græcos problemata dialectica ἐρωτήματα, Analytica verò πύσματα vocari ſolent.

§. 5. (4.) Porrò etiamſi interdum fiat, ut circa unam eandemqve quæſtionem, ſi ſcilicet ea diverſimodè proponatur, occupetur & Analytica & Dia-

&Dialectica, quod *ex* §. 2. constat, nihilo minùs tamen ratio ac modus tractandi idem non est; sed Dialectica tractat ex iis, quæ sunt consentanea opinionibus hominum, vel secundum opinionem, ex communibus, & vulgari quodam modo: Analytica verò accuratè ex propriis ac iis, quæ ipsimet rei insunt, principiis. *l. 1. Topic. 14. l. 1. Poster. 19.* & aliis pluribus locis. (5.) Sed *nec idem utrique opponitur; Dialecticæ enim opponitur Sophistica*, quæ non ex verè endoxis, ut Dialectica, sed ex apparenter talibus concludit, aut etiam concludere tantùm videtur, cùm revera non concludat, *l. 1. Sophistic. c. 1. 4 5. & seq. Analyticæ verò opponitur Pseudographica*, quæ concludit quidem ex genuinis & scientiæ alicui propriis principiis, at non veris. *l. 1. Topic. 1.* Ex quibus, ut & aliis multis, quæ postea, quando de facultatibus his seorsim & accuratiùs agendum erit, adjicientur, manifestum est, Analyticam & Dialecticam unam specie disciplinam constituere non posse.

§. 6. Nunc tantum de Philosophiâ in genere, ut & quavis ejus specie, ac tandem de dialecticâ quoqve ac Analyticâ, in universali dixisse sufficiat; seorsim verò & accuratius has duas artes pertractaturi, merito *initium à Dialecticâ capessimus, Analyticâ in posteriorem locum reservatâ*, quia dialectica facilior est ac addisci minori labore potest, progreditur enim ex communibus, cum Analytica tantùm ex propriis agat principiis; à facilioribus

ribus verò omnem doctrinam *incipiendam* esse, Arist. *lib. 5. Metaph. cap. 1.* docet: latius quoqve sese extendit Dialectica & ad congressus cum imperitis & plebe in foro, in conviviis &c. instituendos facit, cum Analytica ad doctos solum pertineat: tandem dialectica tractatio præparatio est & via ad tractationem Analyticam & Philosophicam, uti omnia hæc infra ex *lib. 1. Dial. cap. 1. §. 5.* constabunt. Falluntur itaqve, qui ideo Analyticam Dialecticæ præmittendam esse putant, quia Analytica de Syllogismo in genere, ejusqve figuris & modis agit, de quibus nihil tractat Dialectica, cum tamen carere harum rerum notitiâ non possit; *Carere enim utiq; potest Dialectica vel Ars disputandi accuratâ istâ Syllogismi ejusq; figurarum & modorum cognitione*, neqve opus est, ut disputationes per hujusmodi formales, ut vocari solent, seu ad certam figuram & modum reductos Syllogismos instituantur, verùm sufficit, si, uti olim apud Doctos consvetum fuit, quæstionibus & responsionibus, sine talibus figuris & modis, Syllogismi & rationes nectantur: id namqve ad finem Dialecticæ obtinendum accommodatum esse, infra ex *lib. 1. Dial. cap. 3. §. 2.* patebit.

PARS

PARS. PRIOR.
ORGANI.
ARISTOTELEI,
DIALECTICA.

Liber Primus.

DE CONSTITUTIONE ET PRÆCOGNITIS QUIBUSDAM DIALECTICÆ.

Caput I.

DE DIALECTICÆ GENERE, FINE, ET OFFICIO.

§. I.



Tatim *l.1. Topic.c.1. §.1.* Aristoteles *Dialecticam* vocat *methodum, per quam possumus argumentari de omni proposito problemate, ex probabilibus seu iis, quæ opinionibus hominum consentanea sunt:* ubi quidem *per methodum* nihil aliud, quàm *artem* intelligendam esse certum est. Sicut enim in aliis effectivis, v.c. saltare, canere, ædificare &c. cuivis à naturâ inest, at verò ut decenter & secundùm numerum saltet, canat, ædificet, id à naturâ non inest, sed à methodo aliquâ, quæ nihil aliud est,

quàm ipſa ars Saltatoria, Muſica, Ædificatoria &c: ita quoqve argumentari & diſputare per naturam homini ineſt *l. 1. Sophiſt. c. 11. & l. 1. Rhet. c. 1.* at verò ut bene & rectè diſputet, id ipſe non à naturâ, ſed à certâ quadam methodo, quæ nihil aliud eſt quàm ars quædam, nempe Dialectica, habet. Hinc ipſe Philoſophus artem diſputandi vocat *l. 2. Sophiſt. c. ult.* & definitio Artis *l. 6. Ethic. c. 4.* tradita ex aſſe Dialecticæ convenit, quippe quam habitum cum verâ ratione effectivum eſſe, id eſt, præſcribere, quomodo aliquid ſit efficiendum, nimis evidens eſt: efficere enim non id ſolùm dicitur, quod operi manum admovet, ſed id quoqve, quod jubet & præſcribit, quomodo efficiendum ſit, quô ſenſu architectus domum ædificâſſe dicitur, & quidem magis, quàm operarii reliqui omnes, qui manum admoverunt, quia ipſe juſſit ædificare, & præſcripſit modum ac rationem ædificandi, quàmvis manum non admoverit. *l. 7. Polit. c. 3.*

§. 2. Neqve ideo negandum eſt, Dialecticam eſſe artem, *quia in operando non utitur lacertis aut brachiis, aut pro fine non habet opus aliquod materiatum ſub adſpectum cadens*, quorum utrumqve in reliquis artibus, ſutoriâ, ædificatoriâ, & aliis cernitur; *non enim perpetuum hoc eſt aut univerſale*, ſed dantur plurimi habitus, qui extra controverſiam artes ſunt, quamvis nec lacertis in operando utantur, nec pro fine habeant opus ſub ad-

adſpectum cadens, ut ex *Analyticâ*, *Rhetoricâ*, *Poëticâ*, *Muſicâ*, *Medicâ*, & aliis pluribus patet, quarum nulla in operando lacertis aut aliis inſtrumentis, ſed ſolâ utitur linguâ, æquè ut dialectica, nec pro fine habet opus ſub adſpectum cadens, ſed vel ſcientiam, vel fidem aut civibus aut plebi ingenerandam, vel voluptatem, vel ſanitatem &c. quæ omnia materiata dici aut oculis per ſe uſurpari non posſunt. Sed ideò fortè *quis negaverit Dialecticam eſſe artem, quia ars dicitur eſſe ex eorum habituum numero, qui affirmando & negando nunquam mentiuntur*, neqve unquam falſum, ſed ſemper verum dicunt *l. 6. Ethic. c. 3.* Dialectica verò, cùm utramqve contradictionis partem inferat *l. 1. Rhet. 1.* contradictionis autem altera pars ſemper ſit falſa *l. de interpret. c. 7.* inde necesſariò quandoqve falſum dicit, ac proprerea artis nomine vocari non poteſt. At verò quàmvis dialectica utramqve contradictionis partem concludat, & hujus altera pars ſemper ſit falſa, *id tamen non impedit, quò minùs de utrâq; contradictionis parte, dialectica ſemper verum dicere poſſit, utut utraq; in ſeſe vera non ſit:* cùm veritas non ſolùm habeatur de Ente vel eo quod verum eſt, ſed & de non Ente vel eò, quod falſum eſt, adeo ut de impoſſibilibus quoqve vera dici poſſint. Scilicet dialectica utramqve quidem contradictionis partem, etiam eam, quæ in ſe falſa eſt, concludit, at eapropter non mentitur, neqve eam partem, quæ falſa

falſa eſt, veram eſſe dicit, imò neutram vel veram vel falſam, ſed utramqve ἔνδοξον vel opinionibus hominum conſentaneam ſolùm eſſe affirmat: id quod ſanè veriſſimum eſt, cùm falſiſſima ſæpè maximè ἔνδοξα vel opinionibus hominum conſentanea ſint, quemadmodum è contrario, quæ veriſſima ſunt, ſæpe maximè παράδοξα vel planè ἄδοξα, id eſt, opinionibus hominum disſentanea vel abſurda exiſtunt, ut infinitis ferè exemplis declarari posſet.

§. 3. Verè itaqve *dialectica Ars vocari poteſt*, non quidem qualiscunqve, ſed *talis præcisè, quæ δύναμις vel facultas appellari ſolet*, & æqualiter ad utrumqve oppoſitorum vel ad utramqve contradictionis partem inferendam ſeſe habet, *l.1. Rhet. 1.* quo ipſo dialectica ab ædificatoria, Analytica, Medica, & aliis hujusmodi artibus differt, quæ utut & ipſæ fortè utrumq; oppoſitorum posſint, nempe & exſtruere & deſtruere, & pharmaca & venena miſcere, & ſanare & perdere &c. æqualiter tamen ad utrumqve oppoſitorum horum affectæ non ſunt, ſed ad alterum per ſe & propriè, ad alterum verò per accidens & impropriè, atqve ſic inæqualiter ad ea ſe habent. Tandem *Ars alia vocatur ὡρισμένη vel definita*, cujus artifex, ſi adſint materia, inſtrumenta & reliqua requiſita, perpetuò finem ſuum conſequitur, & nunquam fruſtratur, ut ſutoria, ſartoria, &c. *alia verò*

verò ἀόριστος *vel indefinita, itemq;* στοχαστικὴ *vel conjecturalis* dicitur, cujus artifex, etiamsi rectissimè per omnia officium suum faciat, excidere tamen fine suo & frustrari potest; qualis Ars Medica est, quæ etiamsi nihil prætermittat eorum, quæ ad restituendam sanitatem faciunt, sæpè tamen ægrotus moritur, vel vi morbi superatus, vel debito naturæ perfecto. Inter has *posterioris generis artes numeranda etiam est dialectica*, quæ & ipsa illum, cui opinionem aliquam ingenerare studet, & cum quo disputat, non semper in suâ potestate habet, ut fine suo perpetuò potiri feliciter possit, sed sæpe incidit in tales homines, quos, etiamsi omnia rectissimè agat, in suam tamen pertrahere sententiam non valet; cùm adeo rudes & tam hebeti sint ingenio, aut etiam tam protervi & malitiosi, ut bonas rationes videre ac intelligere aut non possint, aut nolint: quamobrem ut dialectica feliciter operetur, prudentiâ quâdam opus habet & multis conjecturis, à quibus etiam tales artes conjecturales dictæ sunt.

§. 4. Quoniam itaqve dialectica Ars est, omnis autem ars ad finem & utilitatem quandam in vitâ humanâ tendit, dialectica quoqve certum suum ac peculiarem habebit finem. Finis autem duplex est *l. 2. de Anim. c. 4. alius* οὗ *vel CUJUS*, cujus efficiendi vel acquirendi causâ ars operatur & laborat, *alius verò* ᾧ *vel CUI*, cui nempe finis cujus acquiritur & comparatur; v. c. artis Medicæ

finis cujus ſanitas eſt, quippe cujus acquirendæ gratiâ laborat, finis cui verò ægrotus eſt, cui ſanitas acquiri debet: ædificatoriæ finis cujus domus eſt, finis cui verò is, qui inhabitare domum debet. Jam *finis dialecticæ cujus, vel propter quem & cujus gratiâ laborat, eſt opinio*, non autem, ut aliqui volunt, veritas aut ſcientia; media enim quibus dialectica utitur, nempe communia illa & hominum opinionibus conſentanea effata, minùs accommodata minusq; ſufficientia ſunt ad diſcernendam veritatem & ſcientiam, quippe quæ non ex communibus, ſed ex propriis, non ex ἐνδόξοις ſed veris principiis generatur *l. 1. Poſt. 2.* ad producendam verò opinionem quandam aut qualemcunqve quæſtionis alicujus cognitionem optimè accommodata ſunt & valent. *Veritatem equidem ſcopum Dialecticæ* appellare licet, quia finis dialecticæ nempe opinio ad veritatem & ſcientiam dirigitur, ac eidem ſubordinatur *l. 1. Top. 2.* & quia dialectica non ideo dubitare docet, ut quis in infinitum dubitet, quod olim Sceptici fecerunt, ſed ut per dubitationes iſtas ad certitudinem quandam perveniat, proper quam omnes præcedentes dubitationes fuerunt inſtitutæ: at verò finem proprium & proximum dialecticæ veritatem dicere propter rationem dictam non licet. *Differunt autem Artis alicujus ſcopus & finis propriè dictus* (aliàs enim impropriè accepta hæc vocabula idem propè ſignificant) quia finis ab arte immediatè inten-

intenditur & proximè producitur, id verò ad quod consequendum proximus hic finis deinceps dirigitur, scopus vocatur, neqve ab ipsâ illâ arte, sed mediante solùm ejus fine ab aliâ quadam arte obtinetur; v.c. artis frænifactoriæ aut ephippiariæ finis, cujus gratiâ operantur, frænum ac ephippium est, quoniam verò nec frænum nec ephippium propter se sed propter alium quendam usum & propter finem artis equestris expetuntur, inde potior hic finis, nempe artis equestris, artis frænifactoriæ & ephippiariæ scopus nuncupatur. Pari ratione, cùm Dialecticæ proximus & immediatus finis sit opinio, hæc verò ad ulteriorem aliquem finem, nempe ad scientiam vel veritatem obtinendam faciat, inde posterior hic finis scopus quidem Dialecticæ, nequaquam verò finis propriè dictus erit; quia non ab ipsâ Dialecticâ, sed ab aliâ arte, nempe Analyticâ, mediante solùm Dialecticæ fine, scilicet opinione priùs ingeneratâ, acquiritur ac obtinetur.

§. 5. Sed *nec cum usu confundendus est finis*; finis enim id tantùm dicitur, cujus gratiâ res est vel fit, usus verò aliquid vocatur, quamvis præcisè ejus gratiâ res facta non sit, v.c. calceo uti quis potest ad hauriendam aquam, & ad tegendum pedem; quorum hoc finis ejus est, quia hujus gratiâ calceus est confectus, illud prius verò finis non est, quia ejus causâ factus non est, quàmvis in eo usum quendam calcei positum esse negari

non poſſit: ſic linguæ finis eſt guſtare, hujus gratiâ enim à naturâ animalibus lingua data eſt, uſus verò ejus eſt lambere, ad quod eâdem plurima animalia utuntur, quàmvis præcisè ob hanc cauſam natura iisdem linguam non dederit. Sic & *Dialectica præter finem, ob quem vel cujus gratiâ inventa eſt, & operatur, alios quosdam habet uſus quos præſtat,* quàmvis præcisè propter eos inventa non ſit, quos ut & ipſum finem Ariſtoteles *l. 1. Top. c. 2.* recenſet, quando *Dialecticam utilem eſſe ait (1.) ad exercitationem*, ut aliquis per velitationes dialecticas promptus fiat in inveniendis argumentis, & expeditiùs ac feliciùs deinceps de quavis propoſitâ quæſtione diſſerere poſſit; quemadmodum enim in oratoriis exercitationibus ii, qui quæſtiones ſciunt diſtinguere, & capitum ordinem cognoſcunt, faciliùs argumentantur: ita quoqve in dialecticis, ei, cui cognita methodus ſit, faciliùs argumentorum ſuppetet copia, ad rem propoſitam pertractandam, ut habet *Alexander Comm. in l. 1. Top.* (2.) *Ad congresſus cum plebe & colloquia cum imperitis*, in foro, in conviviis, vel alibi inſtituenda; cum his enim quia & Philoſophus converſatur, quippe qui Φιλάνθρωπος eſt & commercia hominum non fugit, ii autem vera & demonſtrativa rerum principia nõ intelligunt, nec doceri eadem posſunt, opus habet Philoſophus aliis quibusdam principiis intellectu facilioribus & notioribus, quibus opinio-

nem

nem in iis generare possit; quæ principia nihil aliud sunt quàm loci in Dialecticâ descripti. (3.) *Ad Philosophicas Scientias* dialecticam utilem esse docet, quia certum est, illum faciliùs, quid in quavis scientiâ verum sit, intellecturum esse, qui antea in utramqve partem vel pro & contra quæstionem discussit; unde etiam dubitatio via esse dicitur ad inventionem scientiæ & veritatis, adeo ut quemadmodum trabs terræ infixa, si priùs hinc inde moveatur, faciliùs deinceps extrahitur, sic veritas quoqve feliciùs eruatur, si priùs rationibus pro & contra mota fuerit: quod Alexander etiam simili alio explicat, desumpto à judice, qui tum demum, quid justum sit, pronunciat, quando utramqve litigantium partem audivit. *Comm. in l. 1. Top. Conf. Arist. lib. 3. Metaph. cap. 1.* (4.) Sed eâ quoqve in re *Dialectica scientias Philosophicas juvat, quòd principia Philosophica illustrat & contra dubitantes aut protervos etiam adversarios defendit & probat;* hæc enim principia cùm indemonstrabilia sint, & confirmari à priori non possint *l. 2. Post. ult.* inde Dialectica aliô quodam modô eadem confirmat, cùm vel consensum omnium in universum hominum adversario objicit, vel ex iis, quæ ipse adversarius concessit, eum convincit, vel aliô quodam modô eorundem veritatem illucescere facit. Atqve hæc ad rectè intelligendum finem cujus Dialecticæ monenda erant.

§. 6. Finis

§. 6. Finis *cui quis sit*, jam ferè intelligi ex præcedentibus potest, scilicet cui opinio & finis cujus ingenerari ac communicari debet, quem Aristoteles *l. 1. Top. c. 11. & l. 1. Rhet. c. 2.* λόγου δεόμενον vocat; quæ vox propriè talem significat, *qui ratione indiget*, aut qui ratione opus habet. Scilicet fit aliquando, ut nonnulli dubitent ac disputent de hujusmodi rebus, *de quibus dubitandum & disputandum non est*, vel ideo, *quia nimis manifestæ sunt*, v. c. an sol splendeat? an aqua sit humida? &c. vel ideo, *quia contra leges & bonos mores sunt*, v. c. an Deus sit colendus? an parentes sint honorandi? &c. ex quibus Philosophus eos, qui de prioribus dubitant, *sensu indigere* dicit, quem si haberent, de hujusmodi rebus non dubitarent, eos autem, qui de posterioribus disputant, *pœnâ afficiendos esse*. Vid. *infra cap. 2. Dial. §. 3.* Tales itaqve dialectica non curat, neqve hujusmodi malè sanis hominibus opinionem quandam ingenerare studet, sed cum illis tantùm agit, eosq; opinari facit, qui de rebus ad disputandum non ineptis dubitant, neqve sensu vel pœnâ opus habent, *sed ratione*, quam eapropter unicè quærunt & sibi dari postulant, quâq; acceptâ nihil ampliùs moliuntur nec ullâ aliâ re opus habent, secus ac antè dicti, qui præter rationem aut sensu aut pœnâ indigebant.

§. 7. Hinc porrò facilè etiam intelligitur, *in quo officium & functio Dialecticæ consistat.* Prout enim ex *l. 6. Eth. c. 4. & l. 7. Met. c. 7.* colligi

ligi poteſt, quævis ars, ut fine ſuo feliciter potiatur 1. θεωρεῖ, id eſt, *contemplatur & conſiderat*, quâ ratione oporteat id, quod intendit, perfici, inde animo ſuo ideam quaſi futuri operis efformat & concipit, cujus intuitu deinceps artifex operatur. 2. Τεχνάζει, id eſt, *artificiosè molitur*, materiam nempe præparat & diſponit, ac reliqva, ut deinceps in operatione mox ſecuturâ in promptu ſint, conquirit. 3. Ποιεῖ, id eſt, *ipſum opus aggreditur ac efficit* ſecundùm ideam antea mente conceptam ex materiâ antè diſpoſitâ & præparatâ. Sic architectus aut Medicus priùs contemplatur, & ideam domûs efficiendæ aut ſanitatis reſtituendæ mente concipit, deinde artificiosè molitur & lapides coctiles, ligna, ac reliqua omnia diſponit, aut medicamenta conquirit & parat, quibus demum ritè peractis ipſam effectionem domûs aut ſanitatis aggreditur, & lapides ac ligna & reliquas partes aptè conjungit, aut medicamentum propinat, atqve ſic demum officio ac functioni ſuæ ſatisfeciſſe putatur. Pari ratione *Dialecticæ quoq; officium* erit 1. conſiderare eam, quam alteri ingenerare vult, opinionem, hujusqve ſpeciem quandam in mente ſibi effingere, ſecundùm quam futuram operationem dirigat. 2. Media debet conquirere, quæ ad opinionem talem producendam faciant, & certos eligere locos, ex quibus argumenta nectere poſſit, cum non ex quovis quidvis ſequatur; quæ argumenta quoqve debitè ordinanda & diſponenda ſunt, ne confuſio finis
aſſe-

assecutionem impediat. 3. Tandem his ritè peractis secundum regulas artis disputationem & operationem ipsam aggredi debet, atqve sic ratio officii ac muneris perfectè expleta erit.

CAP. II.

DE MATERIA DIALECTICÆ CIRCA QUAM. VEL OBJECTO EJUS.

Id est.

DE PROBLEMATIBUS DIALECTICIS.

§. 1.

QUoniam, uti ex hactenus dictis constat, dialectica in eo est, ut illi, qui de re aliquâ dubitat, & rationem quærit, opinionem quandam ingenerare & imprimere possit; inde, cùm nemo dubitare queat, nisi de eo quod in quæstione positum est, patet, circa quidnam Dialectica versetur, vel *quodnam sit objectum ejusdem*, scilicet *quæstio vel problema quoddam, de quo alter dubitat*, & cujus rationem quærit. *Problema autem nihil aliud est, quam propositio*; hæc enim non re ipsâ, sed

ſed ſolô interrogandi modô differunt. v. c. ſi dico eſtne animal hominis genus nec ne? problema eſt; ſi verò ita proponitur: eſtne animal genus hominis? propoſitio vocatur. *l. 1. Top. c. 4.* propoſitio autem quia ſubjecto & prædicato conſtat. *l. de interpret. c. 4. & l. 1. Prior. 1.*, ideo *Problema Dialecticum quoq; ſubjecto & prædicato conſtare oportebit.* Si ſubjectum problematum dialecticorum ſpectes, utiqve problemata illa non ad certam aliquam & determinatam materiam pertinent, ſed *de omnibus rebus inſtitui poſſunt*, de quibus modò quis rationem quærere aut rectè dubitare in utramqve partem poteſt; id enim præcisè *ad problema dialecticum neceſſarium eſt*, ut dubitari de eo in utramqve partem poſſit, ut eapropter etiam definiatur eſſe interrogatio contradictionis, in quâ *utraq; illa contradictionis pars explicitè ac apertè poni debet*, ut nempe contra diſputanti libera ſit optio, quamnam ex iis partibus eligere velit *l. de interpret. c. 11.* & ut pro lubitu ſuo ad propoſitum problema poſſit reſpondere; ita vel non *l. 8. Top. c. 2.*: qualia problemata v. c. ſunt: eſtne animal pedeſtre bipes definitio hominis nec ne? eſtne laudabile proprium Virtutis nec ne? &c. *l. 1. Top. c. 4.* Sunt itaqve *problemata dialectica in genere de iis*, de quibus in utramqve partem dubitari poteſt, ſeu quod idem eſt, de quibus in utramqve partem ſuppetunt quædam dubitandi rationes, ex quibus utraqve illa pars contradictionis in proble-

mate

mate posita confirmari posse videatur; quemadmodum in problematibus datis rationes suppetunt, quæ positam definitionem, hominis esse & non esse, itemqve positum proprium, Virtutis esse & non esse, confirmare possunt.

§. 2. Hujusmodi autem problema de tali dubiâ ac disputabili re, de quâ in utramqve contradictionis partem quædam suppetunt rationes, aliàs *Thesis* vocari solet vel *Positio*, *l.1. Top. c.11.* neqve enim & hæc aliter quàm solo differunt proponendi modo, v.c. si ita dicatur: estne mundus æternus, nec ne? problema est; si verò sententia hinc formetur, & ita ad disputandum proponatur: mundus est æternus; Thesis vel positio vocatur. Hinc Aristoteles *Thesin vocat (1.) sententiam nobilis alicujus Philosophi præter opinionem omnium*, seu iis, quæ hominum opinionibus consentanea sunt, adversam. Philosophi inquam nobilis, de quo præsumendum sit, ipsum nihil sine ratione asseruisse; ea enim curare aut de iis disputare velle, quæ quilibet ex trivio contra opinionem omnium dicit, etiam sine ratione, amentiam vocat Aristoteles *cit. l.1. Top. c.11. l.3. de Partib. animal. c.3. & l. 1. Eud. 3.* Sed & paradoxam vel opinionibus hominum adversam esse oportet thesin; ita enim contra eam multæ suppetent rationes, quibus contendere aliquis ac disputare possit, ac proinde thesis neutiquam sterilis erit, sed facilè ventilari à quovis valebit: qualis thesis v.c. est

Anti-

Antisthenis, non posse contradici, aut Heracliti, omnia moveri, aut Melissi, omnia esse unum &c. (2.) *Thesis vocatur omne id, quod cùm opinionibus contrarium sit, suâ tamen quâdam ratione niti videtur, sive à præclaro quodam Philosopho, sive ab alio quovis dicatur*; v.c. non dantur cometæ supra lunam, Verum & Bonum non sunt affectiones Entis, Virtutes non sunt media obtinendi Summi Boni civilis &c. (3.) Tandem *omnia in universum, quæ ad disputandum proponi solent, etiamsi contra opinionem omnium & paradoxa non sint, Theses hodie appellari solent*; v.c. Deus est, Deus est causa totius universi, Datur motus, Virtus est mediocritas. &c.

§. 3. Quoniam itaqve Theses & problemata dialectica de talibus rebus sunt, de quibus in utramqve partem rationes prostant, quas disputantes quærunt, & quibus solis opus habent, uti ex hactenus dictis constat; inde patet, *non posse problemata Dialectica informari (1.) de iis, quæ contra bonos mores sunt*, v. c. an Deus sit colendus? an Magistratui sit obediendum? &c. de his enim qui dubitat, non ratione indiget, sed pœnâ: cùm tales disputationes mores dissolutos reddant, & omnem honestatem tollant. (2.) *Nec de iis, quæ sensu dignosci possunt*, v. c. an dies sit? an ignis sit calidus? &c. de his enim qui dubitat, sensu non ratione eget. Vid. *supra cap. 1. Dial. §. 6.* (3.) *nec de iis, quorum demonstratio planè evidens & in promptu est*, v. c. an animal sentiat? an homo sit

rationalis? &c. de talibus enim dubitari vel ratio quæri diu non poteſt, ideo, quia ſtatim aperta & manifeſta eſt, antequam quæratur, neqve labore quodam invenitur, ſed ſuâ ſponte ſe prodit. (4.) *Nec de iis, quorum demonſtratio nimis remota ac abſtruſa eſt*, v.c. utrum diameter ſit commenſurabilis coſtæ, nec ne? utrum circulus tangat lineam in puncto? &c. obſcurior enim eſt horum demonſtratio, quàm ut brevi tempore in diſputatione Dialecticâ explicari poſſit: talis etiam eſt, ut dialecticus diſputator ejus nondum capax ſit, neqve enim mediante Dialecticâ exponi valet, ſed accuratiori methodo, nempe Scientiâ quadam, Geometricâ ſcilicet, opus habet. De his ergò & fortè pluribus aliis Problemata Dialectica formari non posſunt.

§. 4. Dividuntur autem *problemata dialectica ratione ſubjecti* in *Phyſica*, *Ethica*, & *Logica* *l.1. Top. c.14.* ex quibus, ut rudi Minervâ res explicetur, *Phyſica hôc locô ea dicuntur*, quæ ſunt de rebus ad naturæ obſcuritatem pertinentibus, & per ſe cognoſcendis, v. c. an cœlum ſit circulare nec ne? an bonum ſit affectio Entis nec ne? Vid. *infr. cap. IV. §. 2. n. 5.* *Ethica verò ſunt*, de rebus ad vitam & mores ſeu ad fugam mali & appetitum boni ſpectantibus, v.c. an voluptas ſit bonum nec ne? an bellum ſit gerendum nec ne? *Logica tandem de iis*, quæ ad disſerendi rationem pertinent, v. c. an ſcientia ſit contrariorum nec ne? an definitio ſit ſingularium nec

ne

ne? &c.' Atqve hæc de problematibus dialecticis ratione subjecti consideratis sufficiant.

§. 5. Ut verò istud quoqve innotescat, *quot vel quotuplicia sint problemata dialectica ratione prædicati*, Aristoteles *l. 1. Top. c. 4.* quotupliciter aliquid de aliquo prædicari possit, vel *quot sint prædicabilia*, investigat, & omne problema *aut genus* declarare ait, aut *differentiam*, aut *proprium*, aut *definitionem*, aut *accidens*: quorum quodlibet quidnam sit, paucis declarandum erit. Est autem *definitio*, dicente Aristotele *l.1. Top. c.5. l.7. c.5. l. 2. Post. c.10.* & alibi passim, *oratio essentiam rei explicans, aut quid res sit significans*; v.c. esse privationem luminis in Lunâ, est definitio eclipseos lunæ, quia essentiam ejus vel quid sit eclipsis lunæ declarat. Hinc *problema definitionis* est, in cujus prædicato ponitur hic terminus, *DEFINITIO*, vel in quo quæritur, num oratio proposita sit definitio rei propositæ nec ne? v.c. an animal pedestre bipes, sit definitio hominis nec ne? an disgregare visum, sit definitio albedinis nec ne? sub hâc enim dicendi formâ, ut nempe in prædicato expresse hæc vox *DEFINITIO* ponatur, problemata definitionis dialectica informari oportet, atqve *hôc etiam proponendi modô à problematibus definitionis Analyticis differunt*, quæ aliâ ratione informantur, v. c. quid est homo? quid est albedo? &c. ad quæ ita vel non responderi non potest, cum neqve utramqve contradictionis partem quærant. Definitio verò *non est*

uniusmodi, ſed *alia* rei esſentiam declarat *ex prioribus & notioribus ſecundùm naturam talibus*, quæ propriè definitio eſt; *alia* verò ex iis, *quæ ſunt priora & notiora nobis*, quæ deſcriptio quaſcunqve vocari ſolet, *l. 6. Top. c. 4. alia* rem ipſam declarat, *alia* nomen tantùm definit, quæ inde etiam *nominalis* appellatur, *l. 2. Poſt. 10. alia* integrâ oratione abſolvitur, *alia* unico tantùm conſtat vocabulo, & eapropter nomen propriè ſic dictæ definitionis, quam orationem eſſe paulò antè diximus, non meretur, *l. 1. Top. c. 5.* de quibus definitionibus in univerſum omnibus problemata dialectica inſtitui posſunt. Huc quoqve pertinent *quæſtiones de Eodem & Diverſo*: An aliquid cum aliquo idem ſit an diverſum? an idem ſit ſenſus & ſcientia nec ne? an idem ſit temperantia & continentia nec ne? quæ meritò ad problemata definitionis referuntur ideo, quia quærere an aliqua eadem ſint, nihil aliud eſt, quàm quærere, an eadem eorundem ſit definitio: quæ enim propriè & ſimpliciter eadem ſunt, quæ ſola hîc intelligimus, non autem ſecundùm quid tantùm talia, ea unâ eâdemqve includi definitione, inductione certum eſt. Dico, quæ ſimpliciter & non ſecundum quid eadem ſunt; quia *non uno ſed pluribus modis eadem dicuntur*, aliquando quidem *genere talia*, quæ ſub uno communi continentur genere, ut fortitudo & liberalitas ſub virtute, leo & equus ſub animali: aliquando *ſpecie talia*, quæ ſub unâ ſpecie comprehenduntur, ut Socrates & Plato ſub homi-

homine, Lyciſca, Melampus & Pamphagus ſub cane: aliquando *numero aliquid idem* dicitur, quando nomen eſt aliud atqve aliud, res verò per nomina iſta ſignificata planè una eſt, ut veſtimentum & tunica, gladius & enſis &c. quæ propriiſſimè omnium & ſimpliciter eadem dicuntur *lib.1. Top. 7.* aliquando quædam dicuntur *eadem κατ᾽ ἀναλογίαν*, ut geſticulatio in manibus & pedibus ac pandiculatio in ore: aliquando *aliæ quoque Ejusdem obtinent ſignificationes*, ex quibus tamen non omnes huc ſpectant, ſed ea ſolùm, quæ eadem numero talia comprehendit, ut expreſsè Ariſt. *lib. VII. Top. c. 1.* docet, cum hæc, quæ hoc modo eadem ſunt, tantùm ſimpliciter & abſolutè talia dici poſſint, minus autem, quæ ſpecie, omnium minimè verò, quæ genere aut quæ analogiâ ſolum aut aliâ tali ratione eadem appellantur. Hinc autem & *diverſum*, quod Eidem oppoſitum eſt, quid & quotuplex ſit, quodqve huc pertineat aut non pertineat, intelligi facilè poteſt. Referunt quoqve ad problemata definitionis alii eas quæſtiones, *quæ de ipsâ definitione inſtituuntur*, v. c. an hæc vel illa definitio habeat quid ſuperflui? an ſit definito ſuo anguſtior? &c. at verò *non eſſe easdem huc referendas, ex deſcriptione problematis definitionis antè datâ patet*, neqve ſtatim quævis quæſtio, quæ de definitione qualitercunqve informatur, quæſtio vel problema definitionis erit: niſi & hanc quæſtionem; an abeſſe

& adesse sine subjecti interitu, sit definitio accidentis? velim problema Accidentis appellare, quia de Accidente instituitur, cùm tamen problema definitionis existat.

§. 6. *Proprium l. 1. Top. c. 5. definitur esse prædicabile tale, quod non declarat essentiam, rei tamen soli inest ac cum eâ reciprocatur*, velut hominis proprium est, esse risibile, quod ad essentiam hominis non pertinet, ipsi tamen soli inest & cum eo reciprocatur: ita Scientiæ proprium est, doceri & disci posse, virtutis proprium, esse laudabile quid &c. Hinc *problema Proprii est*, cujus prædicatum, vocabulum hoc & determinationem *PROPRII* continet, vel in quo quæritur, an hoc vel illud sit hujus rei proprium ne ne? v. c. an disciplinæ capacem esse, sit proprium hominis nec ne? an dormire & vigilare sit proprium hominis nec ne? talis enim dicendi forma & hîc observanda, ac in prædicato expressè *PROPRII* mentio facienda est, secus enim problema Proprii non erit. *Proprium verò non est uniusmodi*, sed (1.) *aliud est simpliciter tale*, quod simpliciter inest & omni & soli, & semper, quodqve proximè definitum est; quomodo ridere homini proprium est, & hinnire equo. (2.) *Aliud non semper inest, sed aliquando tantùm*, quâ ratione animalis proprium est dormire, aut hominis disputare &c. aliquando enim animal dormit aut homo disputat, non semper. (3.) *Aliud tandem non simpliciter inest, sed certô quodam respectu, aut in com-*

comparatione ad aliud quid, ſicuti bipedem eſſe dicitur proprium hominis, non abſolutè & quaſi ſolus homo bipes ſit, ſunt enim & aves bipedes, ſed reſpectu quadrupedum, equi, canis &c. Ex his *primi generis proprium tantùm verè tale eſt*, ut ex definitione proprii patet, reliqua duo autem rectiùs inter accidentia quàm propria numerantur, & eapropter quoqve problemata proprii ex primo genere ferè ſolùm naſcuntur, ex duobus reliquis autem problemata Accidentis originem ducunt: quanquam & de his poſterioribus modis ex nonnullis Proprii locis diſputari poſſit.

§. 7. Porrò *Genus l.1.Top. c.5. definitur eſſe tale prædicabile, quod de pluribus ſpecie differentibus prædicatur in quid eſt*; v.c. animal genus eſt, quod de homine, equo, leone, aquilâ &c. ſpecie differentibus in quid prædicatur, quia quando quæro, quid ſit homo, equus, leo &c. rectè reſpondetur, quòd ſit animal: ſic virtus genus eſt fortitudinis, temperantiæ, juſtitiæ &c. *Species verò vocatur iſtud prædicabile, quod ſub genere eſt & de pluribus ſingularibus aut individuis vel numero differentibus in quid eſt prædicatur*, ut v.c. homo ſub genere nempe animali eſt, & prædicatur de pluribus individuis vel numero differentibus, Socrate, Ariſtide, Platone &c. in quid eſt, quia ad quæſtionem, quid ſit Socrates, Ariſtides, &c. rectè dicitur, quòd ſit homo: ſic & fortitudo ſub genere eſt, nempe virtute, & de pluribus ſingularibus vel numero differentibus, nempe fortitudine Ale-

xandri, Julii Cæſaris, Pompeji &c. in quid eſt prædicatur. Hinc intelligitur *quid ſit problema Generis*, cujus ſcilicet prædicatum determinationem vel notionem GENERIS explicitè ac apertè comprehendit, ſeu in quo quæritur, an hoc vel illud hujus aut illius rei GENUS ſit nec ne? v. c. an habitus ſit genus virtutis nec ne? an motus ſit genus animæ nec ne? ubi rurſus vocabulum GENERIS expreſsè poſitum eſſe oportet in ipſo problemate, ſecus enim problema generis non erit. *Spectant huc ea quoq; problemata; utrum hoc & illud in eodem ſint genere nec ne? utrum hoc & illud ad idem genus poſſint referri nec ne?* v. c. an continentia & temperantia pertineant aut referri poſſint ad unum aliquod genus nec ne? an vivere & nutriri ſint ſub uno genere, nec ne? qualia problemata revera ad problemata generis pertinere, patet, quia determinationem generis in prædicato additam habent, & quia eâdem viâ ac ratione, itemqve ex iisdem locis ventilari posſunt, ex quibus problemata prioris modi tractantur. Porrò, quod *Speciem*, quam paulò antè cum genere conjunximus, concernit, facilè ratio dari poteſt, *cur nullum peculiare ſpeciei problema detur & cur problema ſpeciei coincidat cum problemate generis*, adeoqve ad hoc necesſariò ſit referendum; non enim ex iisdem ſolùm locis, ex quibus problema generis tractatur, problema ſpeciei quoqve ventilari poteſt, ſed & præterea quando quæro, an hoc vel iſtud alterius rei ſpecies ſit, nihil

hil

hil aliud quæro, quàm, an alterum iſtud hujus vel iſtius rei genus ſit? v. c. ſi quæro: an fortitudo ſit ſpecies virtutis nec ne? nihil aliud quæro, quàm, an virtus ſit genus fortitudinis nec ne? ex quibus patet, *problema ſpeciei, nihil aliud eſſe, quàm ipſummet problema generis*, aliâ ſolummodo ratione prolatum. Tandem & *problemata Differentiæ peculiarem problematis formam non conſtituunt, ſed iterum necesſariò ad problemata generis reduci debent*; id quod ex ipsâ *differentiæ* definitione patet, quam *Porphyrius in Jſagog. c. 3.* definit *eſſe prædicabile hujusmodi, quod de pluribus ſpecie differentibus in qualequid prædicatur*, & eapropter ex hâc definitione nullum inter genus & differentiam diſcrimen infertur, niſi quòd illud ſimpliciter in quid eſt, hæc verò in quale quid prædicetur, quia quando quæro v. c. qvale qvid ſit homo? ad eam quæſtionem rectè per differentiam generi junctam reſpondetur, quod ſit animal pedeſtre, animal terreſtre &c. *l. 6. Top. c. 6.* Jungi enim ſemper oportet differentiam generi, nec ſine eo unquam aliquâ de re rectè prædicatur; ut non immeritò ex his & aliis cauſis Ariſtoteles *differentiam generalem vel genericam* nominaverit, quia coincidit quaſi cum genere *l. 1. Top. c. 4.* quam ob rem problema differentiæ ex iisdem planè locis & eodem prorſus modo tractari poteſt, ex quibus & quo modo problema generis ventilatur, ac proinde, iſtud ad hoc rectè refertur.

§. 8. Tandem *Accidens l. 1. Top. c. 5. defini-*

finitur, quod nihil horum est, quæ dicta sunt, scilicet nec definitio, nec proprium, nec genus; *quod tamen rei convenit, ita, ut & inesse ei & non inesse poßit, sine ipsius rei interitu*, v.c. sedere, stare, album, nigrum, & alia talia, quæ insunt homini ita, ut & non inesse possint, & ita non insunt, ut inesse possint, neqve de essentiâ rei aliquid decedat, sive insint, sive non insint. Hinc *problema Accidentis est*, in cujus prædicato determinatio aut limitatio *ACCIDENTIS* expresse posita est, seu in quo quæritur, an hoc vel illud hujus aut illius rei accidens sit nec ne? v.c. an laudari sit accidens Virtutis nec ne? an disputare sit accidens hominis nec ne? in quibus quæstionibus iterum, ut in superioribus problematum generibus, apertè in prædicato addita est notio *Accidentis*, quæ significet, tales quæstiones aliò, quàm ad problemata Accidentis, referendas non esse. Sed & *alius modus proponendi problemata Accidentis* datur; quia enim accidens nec definitio, nec genus, nec proprium est, sed nullâ additâ determinatione simpliciter per inesse definitur, inde *ea quoq; problemata, quæ nullam limitationem aut determinationem, vel definitionis, vel generis, vel accidentis in prædicato præfixam habent, sed de nudâ & simplici inexistentiâ quærunt, nullo addito aut determinato inexistendi modo, problematibus Accidentis annumerari oportebit.* Hinc problemata accidentis erunt v.c. an homini insit doctrina nec ne? an voluptati insit bonum nec ne? an

an honeſtati in ſit utilitas nec ne? ſeu quod idem planè eſt, an homo ſit doctus nec ne? an voluptas ſit bona nec ne? an honeſtum ſit utile nec ne? Atqve hoc adeo verum eſt, ut docente *Alexandro comment. in l. 1. Topic. c. 5. reliqua etiam problematum genera*, ſi iiſdem modus ac limitatio vel proprii, vel definitionis, vel generis adimatur & ea ſimpliciter, ſine ullâ determinatione tali proponantur, *in problemata Accidentis degenerent*; v. c. ſi ita quæratur: an motus ſit genus generationis nec ne? an animal pedeſtre bipes ſit definitio hominis nec ne? an diſciplinæ capacem eſſe ſit proprium hominis nec ne? illud quidem generis, iſtud definitionis, hoc verò proprii problema erit propter additam limitationem & modum: at verò ſi omittatur hic modus & ita dicatur: an generatio ſit motus nec ne? an homo ſit animal pedeſtre bipes nec ne? an homo ſit diſciplinæ capax nec ne? tunc omnia hæc problemata Accidentis erunt, quia de nudâ & ſimplici inexiſtentiâ quærunt, ac omni modo aut reſtrictione ad aliud problematis genus carent. Hâc de causâ *problematibus Accidentis quoq; annumerari oportebit quæſtiones de propoſitionibus ſecundi adjecti*, ut vulgò vocantur, inſtitutas; v. c. utrum vacuum ſit, vel detur, nec ne? utrum infinitum ſit nec ne? &c. nam & hæ de ſimplici inexiſtentiâ quærunt & nullam præterea determinationem, quâ ad aliud problematis genus reduci poſſent, additam habent. Notandum verò eſt, *accidens non unô modô dici*,

neq;

neq; de omni accidente problemata dialectica informari posse; quædam enim fortuita sunt, quorum causa est casus aut fortuna, ut si v. c. piscator extrahat aureum tripodem, arator reperiat thesaurum &c. quorum cùm nulla planè universalis ratio & causa dari possit, sed ea tota in singularibus consistant, patet dubitationes ac problemata dialectica de iis rectè institui non posse: quod idem etiam dici debet de iis accidentibus, quæ causas quidem habent, cur ita & non aliter fiant, ut eclipsis lunæ, tremor terræ, tonitru, inundatio &c. at verò causas solùm demonstrativas ac ad certam quandam scientiam spectantes, non autem probabiles & communes, ex quibus solis dialectica procedit, demonstrativas verò ac scientiis proprias rationes non capit. Ea autem, quæ hactenus descripta sunt, Problematum Accidentis genera, vulgô *problemata Accidentis Simplicis vocari solent*, ad differentiam eorum, quæ aliàs *problemata Accidentis Comparati* dicuntur, quia in iisdem comparatio aliqua instituitur, & quodnam ex comparatis prædicatis magis vel minùs subjecto insit, quæritur: *id quod tribus modis fieri potest. AUT enim ponuntur duo subjecta & unum prædicatum*, ac quæritur: utri illorum subjectorum, unum istud prædicatum magis vel minùs conveniat? v.c. utrum sanitas an verò divitiæ magis sint expetendæ? *AUT duo ponuntur prædicata ac comparantur cum uno subjecto*, quæriturqve, quodnam ex illis prædicatis, uni isti subjecto magis vel minùs com-

competat, v.c. utrum vita temperans utilior ſit, an verò ſvavior? *AUT tandem duo prædicata comparantur cum duobus ſubjectis*, ac an hoc huic, an verò alterum alteri magis inſit nec ne, inveſtigatur, v.c. an plus inſit boni in ſanitate, quàm in morbo mali, nec ne? an plus turpitudinis ſit in vitio, quàm in virtute honeſtatis nec ne? &c.

§. 9. Manifeſtum itaqve eſt, *problemata dialectica ratione prædicati, quatuor eſſe*, nempe *definitionis, proprii, generis*, & *Accidentis*, nec plura nec pauciora; quod non tantùm *inductione conſtat*, quia quodvis problema ad unum ex his quatuor manifeſtè reduci poteſt; ſed etiam ſequenti patebit *ratione*, quam *Ariſtoteles l. 1. Top. c. 8.* habet. Scilicet quicquid prædicatur de altero, vel converſim prædicatur aut reciprocatur cum eo, vel non converſim prædicatur aut non reciprocatur; ſi reciprocatur, vel esſentiam rei ſignificat & eſt *definitio*, vel non explicat esſentiam & eſt *proprium*: ſi verò non reciprocatur, vel non converſim dicitur, aut definitionem ingreditur, & eſt *genus*, ad quod & *differentia* ſpectat, aut non ingreditur definitionem, & eſt *accidens*: ex quibus quatuor illa antè dicta problemata evidentisſimè deducuntur. Sed *dicat aliquis, revocari hæc problemata omnia posſe ad unum genus, nempe ad problema definitionis*, quia everſione reliquorum evertitur & definitio, & quia, ſi probatum fuerit, aliquid nec eſſe genus, nec proprium, nec planè accidere vel ineſſe, probatum ſimul

mul

mul eſt, definitionem eſſe falſam; definitionem enim & propriam eſſe, & genus continere, & ſimpliciter ineſſe, atqve ita omnia reliqua reliquorum problematum prædicata continere oportet. At verò *etiamſi fortè referri quodammodo reliqua prædicata ac inde deſumpta problemata ad definitionem & problema definitionis poſſint, nequaquam tamen id ex uſu diſcentium eſſe videtur*, quippe qui confuſione tali & nimiâ brevitate confunderentur & ipſi: cùm reductio hæc omnium problematum ad unum genus & difficillima & obſcura exiſtat. Verùm *neq; fieri poteſt, ut reliqua problemata ſub problemate definitionis contineantur*; quia, quamvis genere, proprio, aut accidente ſublato auferatur & definitio, non tamen comprobatis his, ſtatim comprobatur & definitio, cùm multò plura ad veram definitionem requirantur, quàm ut genus rectè ſe habeat & ut definitio inſit ac propria ſit: quæ cùm in reliquis problematibus nullatenus contineantur, patet, eadem ad problema definitionis atqve adeo ad unum aliquod genus referri non poſſe. Sed *dicat porrò aliquis contra, non ſufficere quatuor conſtituta problemata*, verùm *deſiderari adhuc quintum*, nempe *problema cauſæ*, quo quæritur: utrum hoc vel illud rei hujus aut iſtius cauſa ſit, nec ne? v.c. utrum cauſa odii ſit veritas nec ne? quæ problemata hîc nequaquam omittenda eſſe videntur. At verò planè *alienam eſſe quæſtionem & cognitionem cauſæ à dialecticâ, ex ratione ejusdem patet*; quia

enim

enim Philosophi ac Analytici est considerare rerum causas *l. 8. Top. c. 11. l. 1. Phys. c. 1. l. 1. Eud. c. 6.* & aliis pluribus locis, Philosopho autem & Analytico contradistingvitur dialecticus *l. 1. Top. c. 14.* inde nihil evidentius est, quam de problemate & cognitione causæ dialecticum planè solicitum non esse *l. 7. Top. ult.* præprimis quia dialectica tantùm Gymnastica quædam est, quâ exerceri debeat is, qui in posterum aliquando rerum causas perscrutari cupit. Equidem tractare videtur dialectica quandoqve causas, habetqve locum quendam argumentandi ex efficiente & corrumpente, ex fine &c. verùm impropriè hæc omnia accipit, ut vulgus solet, non autem propriè & philosophicè; ac si fortè interdum veram rei causam tetigerit, non tamen eam ut causam, vel quatenus causa est, tractat, sed simpliciter ut ὑπάρχον vel existens aut accidens aliquod, vel, ut ἔνδοξον aliquod, quod hominibus ita videatur, aut opinionibus eorundem consentaneum existat: ex quibus constat, rectè quatuor tantum problematum genera constituta, quintum verò, nempe causæ propriè acceptæ, à foro dialectico planè alienum ac supra captum ejusdem esse.

§. 10. Tandem ut id quoqve evidens fiat, *quàm latè pateant aut extendi possint problemata dialectica, ratione quatuor horum, quæ dicta sunt, prædicatorum*, seu quibus ac quot in rebus antè dicta illa prædicata vel prædicabilia, genus nem-

nempe, differentia, proprium, accidens, & definitio, reperiantur; docet Aristoteles *l. 1. Top. c. 9.* eadem in omnibus Categoriis vel prædicamentis, uti vulgò vocari solent, aut prædicandi modis de substantiâ singulari, inveniri: quod an ita se habeat, nec ne, tum demum constabit, si *quidnam ipsæ illæ categoriæ sint*, & *quantus earum existat numerus*, investigatum fuerit. Malè autem à quibusdam Categoriæ dicuntur esse classes rerum per genera species & differentias dispositarum, cùm *non sint classes vel modi ipsarum rerum, verùm modi prædicandi aliquid de illis rebus*; unde etiam nomen habent & categoriæ aut prædicationes, itemqve modi ac figuræ prædicandi *cit. l. 1. Top. c. 9. l. 1. Prior. c. 37. l. 5. Metaph. c. 7. l. 6. c. 3.* ac alibi passim, atqve tandem ab ipso quoqve vulgo prædicamenta vocari solent: quod ratio eorum non in ipsis rebus, sed in prædicatione vel attributione aut affirmatione alicujus prædicati de rebus consistat. Hinc *Categoria definitur* ἀγόρευσις τινός κατά τινος, id est, *modus prædicandi, vel prædicatio, seu clarius, affirmatio alicujus de aliquo, intellige, de substantiâ singulari*, v. c. de Socrate, aut Platone, quod sit substantia, quod sit quantus, qualis, quod agat aut patiatur &c. quo ipso categoriæ vel prædicamenta à prædicabilibus ante dictis, nempe genere, differentiâ, specie &c. distingvuntur, quæ etiam aliquos prædicandi modos describunt, at non præcisè singulari substantiæ, sed universalibus quoq; attribuuntur.

§. II.

§. II. Prædicari autem de ſubſtantiâ ſingulari aliquid poteſt (1.) ut ad eſſentiam ejus pertinens, unde oritur *categoria ſubſtantiæ*, ſecundum quam aliquid de aliquo in quid prædicatur; quò pertinent v. c. homo, animal, &c. quæ de Socrate aut Platone in quid prædicantur. (2.) Prædicatur aliquid de Subſtantiâ ſingulari, quantitatem ejus ſignificans; unde conſtituitur *categoria quantitatis*, quæ iſta comprehendit vocabula, quibus vel numerus vel magnitudo pronunciatur, v. c. magnum, parvum, dimenſum, eſſe duorum vel trium cubitorum, &c. (3.) Prædicatur aliquid qualitatem ſignificans & conſtituitur *categoria Qualitatis*, quæ complectitur vocabula, quibus qualis res ſit, declaratur, v. c. album, nigrum, ſanum, imbecille, eruditum, &c. (4.) Prædicari aliquid poteſt, quod relationem aut reſpectum rei ad aliud aliquid ſignificat, ex quo *Categoria Relationis* oritur, quæ vocabula relationum, quibus aliquid ad aliud refertur, continet; qualia ſunt, Pater, Filius, Præceptor, Diſcipulus, Dominus, Servus &c. (5.) Prædicari quidpiam poteſt, quod rem aliquid agere ſignificat, & oritur *Categoria Actionis*, quæ complectitur vocabula, quæ facere vel agere ſignificant, ut urere, ſecare, docere &c. (6.) Prædicatur quidpiam, quod rem aliquid pati ſignificat, unde eſt *Categoria Paſſionis*, ad quam pertinent vocabula paſſionem ſignificantia, v. c. ſecari, calefieri &c. (7.) Prædicari quædam de ſubſtantiâ ſingulari poſſunt, quæ eam in tempore eſſe ſignificant;

ficant; quibus conſtituitur *Categoria Quando*, quæ continet vocabula temporis v. c. hodiè, cras, manè, veſperi, ante excidium Trojæ, poſt bellum Peloponneſiacum &c. (8.) Prædicatur aliquid, quod rem in loco eſſe dicit & fit *Categoria Ubi*, quæ vocabula loci comprehendit; v. c. eſſe domi, ſupra, infra, Romæ, Pariſiis &c. (9.) Quædam, quæ prædicantur, poſitum rei ſignificant, & faciunt *Categoriam Situs*, quæ continet vocabula, quibus quemadmodum corpus poſitum ſit, ſignificatur, qualia ſunt, v. c. jacere, ſedere, ſtare, erectum eſſe, ſupinum, pronum &c. (10.) Tandem prædicatur aliquid, quod habitum atqve veſtitum ſubſtantiæ ſignificat, & eſt *Categoria Habitus*, quæ omnia veſtitum ſignificantia vocabula comprehendit, qualia ſunt v. c. togatus, ſagatus, paludatus, prætextatus &c. Atqve hic eſt numerus Categoriarum, quæ nec plures esſe poſſunt, cum non liceat aliquem de ſubſtantia ſingulari affirmandi modum comminiſci, qui ſub aliquo dictorum modorum non contineatur; nec ad pauciores reduci valent, cum nullus ex dictis modis cum altero coincidat aut eandem dicendi vel affirmandi figuram habeat, uti omnia hæc inductione conſtant: quamobrem ipſe quoqve Ariſt. Categorias expreſsè decem eſſe ait. *lib. 1. Top. cap. 9.* Memoriæ causâ omnes dictæ decem categoriæ ſequenti oratione comprehendi & includi ſolent: *Hector, Priami filius, vir magnus, fortis bellator, pugnans, interfectus, ad Trojam, occubuit, chlamydatus.*

§. 12. In

§. 12. In his omnibus itaqve Categoriis supra dicta prædicabilia vel prædicata problematum dialecticorum locum habent, ut etiam eapropter *prædicabilia prædicamentorum vel Categoriarum affectiones* esse dicantur, *lib. 1. Top. c. 9.* neqve ulla sit categoria, in quâ non contineantur talia, quibus genus, species, differentia, definitio, proprium & accidens accommodari aptissimè queant. Non enim putandum est, definitionem, genus, speciem ac differentiam, ideò quia in quid est dicuntur & ad essentiam pertinent, in solâ substantiæ Categoriâ reperiri, sed *suo quodam modo τὸ quid est ac essentia datur etiam in reliquis prædicandi generibus vel Categoriis;* quæ utut nihil contineant, quod in quid est prædicetur de substantiâ singulari (tale quid est enim ad solam categoriam substantiæ spectare certum est) plurima tamen comprehendunt, quæ in quid est & ut genera, species ac differentiæ de aliis rebus prædicari possunt. Sic in categoriâ quantitatis multa dicuntur in quid est, non quidem de substantiâ singulari, sed de aliâ quadam re, v. c. de ternario dicitur numerus tanquam genus, impar tanquam differentia &c. & in Categoriâ Qualitatis v. c. de fortitudine dicitur, quod sit habitus, quod sit virtus, quod sit acquisita crebris exercitiis, quod sit laudabilis &c. quæ omnia in quid aut in quale quid dicuntur & ad definitionem ac essentiam fortitudinis pertinent, aut saltem conversim dicuntur, non expositâ ipsâ fortitudinis essentiâ, atqve ita pro-

prii rationem habent. Sic & *accidens non solùm ad Categoriam substantiæ refertur* aut de iis tantùm prædicatur, quæ in Categoriâ Substantiæ sunt, *sed & ad alia, accidentium nempe prædicamenta & quæ in iis sunt, extendi potest*; neq; enim omnia statim, quæ de accidentibus dicuntur, per se & necessario iis insunt, sed plura etiam ἐνδεχομένως, id est, ita, ut possint quoqve non inesse: quemadmodum lineæ accidit, ut sit huic vel illi commensurabilis, circulo, ut sit pulcher, motui, ut sit velox, ut fiat hoc vel illo tempore aut loco, virtuti, ut despiciatur &c. Scilicet notandum est, *accidens* non esse uniusmodi, sed aliud *prædicamentale*, ut vocari svevit, aliud verò *prædicabile*; quorum (1.) illud definitur *esse in alio tanquam in subjecto, ita ut non possit esse sine eo*, vel non possit non inesse, *lib. Categor. c. 2.* hoc verò supra definitum est, *quod potest eidem & inesse & non inesse lib. 1. Top. c. 5.* quæ autem definitione differunt, distincta inter se esse, dubitari non potest. (2.) Accidenti *Prædicabili non repugnat in Categoriâ Substantiæ vel substantiam esse*, si per se consideretur, & quidem talem, quæ per se ac separatim existere possit, v. c. verruca est accidens corporis humani & spongia est accidens arboris, ut ex definitione accidentis patet, quæ tamen simpliciter accepta substantiæ sunt & in categoria substantiæ, adeò, ut separatim etiam existere possint sine substantiâ, cui insunt, neqve statim pereant, si à substantiâ illâ divellantur: contra autem se habet

acci-

accidens *prædicamentale*, quod *consistere separatim à substantiâ, cui inest, non potest*, sed avulsum ab eâ statim perit, ac proinde substantia vel in categoriâ substantiæ per se & simpliciter non est, quamvis reductivè ac per accidens ad substantiæ categoriam referri queat, quatenus nempe substantiarum differentiæ ex omnibus Categoriis desumi solent. *lib. 8. Metaph. cap. 2.* (3.) Accidens *prædicamentale de alio accidente prædicamentali dici vel illi inesse non potest*, quia totum hujus accidentis esse est inesse, ut ex definitione ejus constat, ac propterea simpliciter esse, vel subjectum esse, cui aliud quid insit, ipsi repugnat: unde expressè Arist. dicit, *lib. 1. Post. Anal. cap. 22. & lib. 4. Metaph. cap. 4.* accidentis non esse accidens, nisi utrumqve eidem insit subjecto, ubi unum accidens alterius causa quidem est, at minimè subjectum, sed utriusqve subjectum est substantia, cui duo illa accidentia insunt. At verò *accidens prædicabile optimè de accidente quodam prædicamentali dici illiq; inesse potest*, uti paulo antè exemplo lineæ, circuli, motus, virtutis &c. comprobatum est: quo ipso manifestum est, verè supra dictum esse, accidens, ut & reliqua prædicabilia, genus, speciem &c. in omnibus tam substantiæ quàm accidentium Categoriis reperiri ac per consequens, cum prædicabilia hæc, sint prædicata problematum dialecticorum, ipsa quoqve problemata dialectica ratione horum suorum prædicatorum eo-

usqve extendi posse, quousqve decem ante enarratæ categoriæ extenduntur.

CAP. III.

DE MATERIA DIALECTICES EX QUA. AC INDE CONFECTIS AD DISPUTANDUM INSTRUMENTIS.

§. I.

MAteriam de quâ tractat Dialectica, vel *circa quam* versatur, esse problema aliquod, ex præcedente capite constat: *materia verò ex quâ* Dialectica propositum aliquod problema vel confirmat vel confutat, quænam ac quotuplex sit, quotqve inde deduci possint Organa & media ad opinionem feliciter ingenerandam accommodata, id nunc demonstrandum erit. Quemadmodum autem in reliquis artibus ac disciplinis omnibus, quæ ullo modo quidpiam ex alio inferunt & concludunt, *materia, ex quâ propositum suum eliciunt, nihil aliud est, quam propositio*, ex quâ & Analytica & Rhetorica & Poëtica &c. ratiocinantur: ita dialecticæ quoqve materia, ex quâ aliquid colligit, propositio erit. Conf. *lib. 1. Top. cap. 4.*

§. 2. Est

§. 2. Eſt autem *Propoſitio Dialectica* ἐρώτησις ἀντιφάσεως, *vel interrogatio contradictionis*, uti Ariſt. definit *lib. 1. Prior. Anal. c. 1.* quod non ita intelligendum eſt, quaſi propoſitio dialectica utramqve contradictionis partem explicitè proponat; id enim problema quidem dialecticum facere, ſuperius dictum eſt, at non propoſitionem, quæ hac in parte à problemate differt, uti ex *lib. 1. Top. 4. & cap. præcedentis §. 1.* conſtat: ſed contradictionem interrogare propoſitio dicitur ideò, quia eam implicitè continet & quia per utramqve contradictionis partem, id eſt, per ita vel non, ad eam reſponderi poteſt; uti expreſsè ipſe Ariſt. hoc modo explicat, quando propoſitionem dialecticam eam eſſe dicit, ad quam reſponderi poteſt, ita vel non. *lib. 8. Top. cap. 2. Convenit itaq; propoſitio dialectica cum problemate dialectico*, quod ad utrumqve reſponderi poſſit, ita vel non; *in eo verò differt*, quod in problemate dialectico contradictio contineatur actu & explicitè, in propoſitione verò tantùm poteſtate & implicitè: quin imò & *à propoſitione Analyticâ differt propoſitio dialectica*, quando contradictionem interrogat & contradiſputanti liberam relinquit optionem, an ita vel non reſpondere velit, cum è contrario propoſitio Analytica alteram tantùm contradictionis partem, eam nempe, quæ determinatè vera eſt, ſumat, neqve liberam relinquat optionem, quam partem alius quis eligere velit, ſed ad alte-

ram eum determinet ac reſtringat, neqve reſponſionem per ita vel non ſemper admittat, ut latius in ipsâ Analyticâ inferius declarandum erit. *Vid. lib. 1. Prior. Anal. 1.* Tandem ex eo, quod propoſitio dialectica definitur eſſe ἐρώτησις vel interrogatio, iſtud quoqve diſcere poſſumus, *veteres non Syllogiſmis*, ut hodiè ſolemus, *aut propoſitionibus ad certam figuram & modum Syllogiſticum reductis diſputasſe, ſed propoſitiones ſuas interrogando propoſuisſe*, atqve tum demum ex conceſſis & datis ad quæſtiones ac interrogationes reſponſionibus aliquid intulisſe, non obſervatis iis, quæ in Analyticis deſcribuntur, figuris & modis: unde etiam Dialectica ars interrogandi & reſpondendi olim eſt vocata, apud *Platon. in Cratylo pag. 260. & Diog. Laërt. in Vitâ Zenon. pag. 462.* adeò, ut A.Gell. quoqve eos, qui rectè interrogare & reſpondere neſciverint, pro rudibus & Dialecticæ ignaris ac indoctis, qui diſputandi morem & rationem non tenerent, habitos fuisſe dicat. *Lib. 16. Noct. Att. cap. 2.* Plura in hanc rem vide *apud Ariſtot. lib. 1. Top. 18. l. 8. c. 1. l. 1. Poſt. 11.* ac aliis infinitis locis, quibus expreſsè ad Dialecticam interrogantem requirit & reſpondentem; *apud Senecam Epiſt. 85.* qui Syllogiſmos in diſputando prolatos interrogationes vocat; *apud Lucianum*, qui ridet quendam Philoſophaſtrum, per Syllogiſmos ad figuras & modos reductos diſputantem. *lib. quomodo hiſtor. ſcrib. ſit. Tom. 2. Oper. pag. 385.* quâ de re alibi prolixius egimus, hîc

autem

autem aliqua ſaltem delibasſe vel indice digito monſtrasſe, ſufficere putamus.

§. 3. Porrò autem, cum ſolâ interrogatione diſputatio confici aut alter redargui, vel opinio ipſi ingenerari non poſſit; ſed neceſſe ſit, ut interrogatione factâ, ex datâ à contradiſputante reſponſione, altera, nempe conceſſa, contradictionis pars ſumatur, atqve ex concesſâ hac parte adverſarius convincatur aut opinio ipſi ingeneretur: inde *propoſitio, ex quâ dialectica diſputat, aut rationem probandi nectit, non tantùm definitur interrogatio, ſed etiam eſſe dicitur* λῆψις *vel ſumptio. lib. 1. Prior. Anal. 1.* Eadem enim propoſitio, quæ prius interrogatur, deinde ſumitur; ut ſi v. c. probandum ſit, contemplationem præſtare virtuti; interrogatur prius propoſitio, hoc modo: eſtne illud, quod meliori ineſt, melius & præſtantius? cui cum annuit contradiſputans, ſumitur ſtatim hæc propoſitio: quicquid meliori & præſtantiori ineſt, idipſum melius eſt & præſtantius: atqve tum inde infertur propoſitum, ſcilicet, contemplationem eſſe meliorem virtute, quia illa meliori nempe Deo, hæc autem deteriori, nempe hominibus ineſt.

§. 4. Eſt verò *Propoſitio Dialectica ſumptio non cujusvis*, uti Ariſt. *cit. lib. 1. Prior. Anal. 1.* docet, ſed φαινομένου καὶ ἐνδόξου, id eſt, *ejus, quod hominibus videtur, eorumq; opinionibus conſentaneum eſt;* ſive ut *lib. 1. Top. 10.* ait: propoſitio

 dia-

dialectica est interrogatio ἔνδοξος καὶ μὴ παράδοξος, id est, consentanea non autem dissentanea opinionibus hominum; secus enim, si quis talia interrogare aut sumere velit, quæ opinionibus hominum repugnant & nemini placent, propositiones dialecticas inde conficere aut persvadere vel probare aliquid minimè poterit, quæ ratio est, propter quam necessariò ad propositionem dialecticam requiritur, ut ex ἐνδόξῳ καὶ φαινομένῳ constet: quod ut rectius intelligatur, quid ἔνδοξον sit, quidqve φαινόμενον, paulò altius repetendum erit. Et φαινόμενον quidem nihil aliud significat, quam *quod alicui v. c. respondenti ita placet, quodq; ipsi, ita & non aliter se habere, apparet aut videtur*, quodqve eâ de causâ interroganti conceditur, ut argumentari deinceps ex eo possit: unde id præcisè ad propositionem dialecticam requiritur, ut ei assensum præbeat contradisputans, eamqve ita se habere concedat, secus enim nihil quicquam interrogans efficere tali propositione, neqve progredi ulterius disputando valebit, quâ in re propositio dialectica â propositione Analyticâ differt. Ἔνδοξον verò latinè id vocamus, quod est *consentaneum opinionibus hominum*, vel quod est conforme iis, quas homines de rebus fovent, sententiis; cum alii *minus rectè hoc vocabulum vertant per probabile*: non advertentes, probabile id esse, quod probatione vel bonâ

niti-

nititur ratione, quod Græcè non ἔνδοξον sed εὔλογον appellatur. Minimè omnium verò per ἔνδοξον verum significari potest, *cum ἔνδοξα, qua talia, vel quatenus aut quia talia, nec vera nec falsa sint*, nisi quis omnia ἔνδοξα vera, vel omnia falsa dicere velit; quod quam absurdum sit, vel inde intelligi potest, quia sæpè contradictoria homines de rebus sentiunt & judicant, atqve ita ipsa ἔνδοξα inter se contradictoriè opponuntur ac proinde impossibile est, ut omnia vel vera sint, vel falsa: cum contradictionis altera tantùm pars vera, altera verò falsa existat. *lib. de interpret. c. 7. lib. 1. Post. 2.* & alibi passim. Non negamus quidem, *quibusdam ἐνδόξοις accidere, ut sint vera, quibusdam verò, ut sint falsa*, at verò ἔνδοξα eatenus quatenus talia sunt, vel ideò quia ἔνδοξα sunt, aut vera esse aut falsa, prorsus inficiamur, sed eadem per se & quà talia sunt, considerata, nec vera, nec falsa esse dicimus, ideo; quia verum & falsum dijudicantur à re ipsâ, cui quando oratio respondet, ipsa oratio vel propositio vera, quando non respondet, falsa esse dicitur. *lib. 6. Metaph. 3.* ἔνδοξον autem non à reipsâ dijudicatur, sed ex opinionibus hominum æstimatur. *lib. 1. Top. c. 1. & 10.* unde una eademq; propositio & ἔνδοξος quidem esse poterit, & vera, at neqve vera erit, quia vel quatenus est ἔνδοξος, nec ἔνδοξος erit, quia vel quatenus est vera, sed utrumqve ipsi propter alias

& di-

& diverſas attribuetur cauſas, eritqve nihilominus aliud quidpiam, verum, aliud autem ἔνδοξον, quamvis uni eidemq; propoſitioni aliquando per accidens inſint, ex quibus, per ἔνδοξον verum ſignificari aut intelligi non poſſe, patet. Si verò hæc eſt τοῦ ἐνδόξου ſignificatio, rurſus *propoſitionem dialecticam à propoſitione Analyticâ differre* manifeſtum eſt; quia ad hanc non ſufficit, ut ſit ſumptio τοῦ ἐνδόξου, vel ut ſit ἔνδοξος, ſed oportet eam eſſe ſumptionem ἀληθείας vel veritatis, ſeu oportet eam eſſe veram & neceſſariam, *lib. 1. Top. 1. l. 1. Prior. Anal. 1. l. 1. Poſt. Anal. 2.* quod cum ad propoſitionem dialecticam non requiratur, ſed perinde ſit, ſive vera ſive falſa fuerit, modò opinionibus hominum conſentanea vel ἔνδοξος exiſtat, inde admodum hæc duo propoſitionum genera inter ſeſe differre conſtat. Tandem quoqve per id, quod *propoſitio dialectica* ſumptio τοῦ ἐνδόξου definita eſt, *à propoſitione Sophiſticâ ſeparari poteſt*; quia hæc non accipit vel ſumit id, quod eſt ἔνδοξον, ſed quod mentitur ſpeciem ἐνδόξου, id eſt, quod apparet vel videtur esſe ἔνδοξον hominumqve opinionibus conſentaneum, cum tamen reverà tale non ſit, ſed vel παράδοξον vel planè ἄδοξον, abſurdum, hominumqve ſententiis adverſum exiſtat. *Vid. cit. lib. 1. Top. cap. 1. lib. Sophiſt. Elench. 1. & 2.*

§. 5. Verùm nondum ſatis conſtat, quid & quo-

& quotuplicia sint ἔνδοξα vel propositiones ἐνδόξοις; de quibus, ut nullum relinquatur dubium, Arist. prolixius *lib. 1. Top. 1. & 10.* agit ac ἔνδοξα definit esse, *quæ videntur aut omnibus, aut pluribus, aut sapientibus: atq; his vel omnibus, vel pluribus vel sapientissimis, quorum Sapientia maximè illustris est ac omnibus perspecta:* ex quibus alia magis alia minus ἔνδοξα esse dicenda, cuivis liquet. Scilicet *omnium maximè* ἔνδοξα *ea sine dubio sunt*, quæ simpliciter omnibus & rudibus & sapientibus atqve his & omnibus & sapientissimis videntur, v. c. Deum esse colendum, Parentes esse amandos, &c.; ad quæ *proximè accedunt*, quæ uni tantùm parti, vel vulgo tantum, vel sapientibus tantum, vel deniqve sapientissimis tantum consentanea sunt & placent, v.c. vulgo tantum ἔνδοξον est, parandas esse opes, sapientibus tantum non autem plebi placet, eruditionem esse opibus præstantiorem, virtutem ante omnia esse expetendam, sapientissimis deniqve, Deum non efficientem esse, sed formam, &c. Porrò & *alia sunt, quæ* ἐνδόξοις *annumerari & ad propositiones dialecticas referri solent*; inter quæ 1. sunt ea, *quæ* ἐνδόξοις *sunt similia*; ut si ἔνδοξος fuerit hæc propositio: scientia est contrariorum, aut, datur scientia quædam numerorum, aut, auditus fit recipiendo aliquid, non emittendo, ἔνδοξον etiam erit: sensum esse contrariorum, ac dari scientiam quan-

quandam magnitudinum, atqve visum quoqve fieri non per emissionem radiorum sed per receptionem specierum: similis enim ac par utrobiqve ratio esse videtur. 2. *Quæ* ἐνδόξοις *sunt contraria*; vel *quando contraria prædicata contrariis attribuuntur subjectis*, ut si ἔνδοξον est: voluptatem esse bonam, amicis esse benefaciendum, ἔνδοξον quoqve erit: dolorem esse malum, inimicis esse malefaciendum, &c. quæ tamen consequentia, uti dictum est, ἔνδοξος tantum, non autem præcisè vera est, neqve in omnibus, sed in multis solum valet: *vel quando de eodem subjecto contrarium prædicatum effertur, additâ negatione*; ut si ἔνδοξον est: voluptatem esse bonam, amicis esse benefaciendum, ἔνδοξον quoqve erit: voluptatem non esse malam, amicis non esse malefaciendum &c. *vel deniq; quando de contrario subjecto, idem prædicatum dicitur, iterum additâ negatione*; ut quia ἔνδοξον est: voluptatem esse bonam, amicis esse benefaciendum, ἔνδοξον quoqve erit: dolorem non esse bonum, inimicis non esse benefaciendum &c. 3. Ad ἔνδοξα etiam referuntur, *eæ propositiones, quæ probantur disciplinarum ac artium Professoribus*; cum facilè omnibus placeat aut probetur, quod unicuiqve artifici in suâ arte probari vident, v. c. in re medicâ, quæ Medico videntur, in Geometriâ, quæ Geometræ, in arte fabrili, quæ Fabro, & sic deinceps;

ceps; juxta vulgatum iſtud: *cuivis in ſua arte credendum eſſe.* Talia ἔνδοξα v.c. ſunt, lineam tangere circulum in puncto, rectam produci poſſe in infinitum, vulnera rotunda difficilius curari, quam alia, quæ rotunda non ſunt, morbos mutari Lunâ ad quadraturam accedente, &c. quæ *ideò ἔνδοξα in dialecticis dicuntur*, quia Dialecticus non ſcit has propoſitiones, aut novit easdem ex principiis, ex quibus eas ipſi artifices & diſciplinarum Profesſores cognoſcunt; ſed credit ſolummodò, has propoſitiones benè ſeſe habere, quia easdem tanquam opiniones aliquas accepit ab illis artificibus, quos in arte ſuâ non errare putat. Hîc autem *nemo putet, ex ſolâ autoritate horum artificum vel ſapientum, argumenta dialectica duci*, vel tum ſatisfeciſſe Dialecticum officio ſuo, ſi hanc vel iſtam propoſitionem aut Ariſtotelis aut alîus eſſe dicat; non enim autoritatibus ſed rationibus in diſputando agendum eſt, neqve ad quem diſputatio dirigitur, autoritates & nuda teſtimonia petit, ſed uti *ex præced. cap. 1. Dial. §. 6.* conſtat, rationem quærit & nullo alio modo acquieſcit: verum *aliud eſt nuda autoritas ejus artificis vel ſapientis, cui aliquid videtur, aliud verò eſt, ipſum illud, quod ipſi videtur*, ex quo poſteriori tantum propoſitio dialectica & ἔνδοξος, non autem pariter ex priori, fieri poteſt. In certo tamen caſu aliquando accidit, ut Dialecticus ex ſolà etiam hujus aut illius ſapientis vel artificis autori-

toritate rectè argumentari possit; quando nempe κατ' ἄνθρωπον disputat, vel ipsi res est cum tali, qui huic vel illi sapienti nomen suum dedit, apud quem eapropter hujus vel illius autoritas multùm valet, ut si quis adversus aliquem aut Aristoteli, aut Galeno aut alii addictum disputet, is rationis loco aut Aristotelis, aut Galeni, aut alius cujusdam autoritatem & testimonium rectissimè urget: extra hunc casum verò autoritates à Dialectico non probationis ergo, sed solius ferè ornatûs & elegantiæ causâ adhibentur. Sed satis hinc intelligitur, quid & quotuplicia sint ἔνδοξα ac quomodo propositiones dialecticæ iisdem constituantur; unde porrò nec id amplius obscurum est, quid & quotuplicia sint παράδοξα καὶ ἄδοξα, id est, ea, quæ hominum opinionibus sunt dissentanea, & quæ nemini prorsus probantur: definito enim & cognito uno oppositorum, alterum non cognosci non potest. *Lib. 6. Top. c. 2.*

§. 6. Ex hac sua materiâ itaqve, ex propositionibus nempe ἐνδόξοις, Dialecticus *certa quædam sibi format organa & instrumenta*, quibus deinceps in disputando utitur ad opinionem alteri feliciter ingenerandam, id est, certas quasdam nectit collectiones & rationes, quibus propositum suum probat; quarum altera *Syllogismus*, altera verò *Inductio* vocatur. *lib. 1. Top. c. 12. lib. 2. Prior. Anal. c. 23. l. 1. Poster. An. c. 1. & alibi passim:* ex quibus inductio vulgo est usitatior,

quia

quia nobis notior ac ſenſuum judicio familiarior eſt, Syllogiſmus verò magis urget & ad contradicentes refellendos potentior exiſtit, ut Ariſt. etiam eapropter inductione apud imperitam multitudinem, Syllogiſmo autem apud Doctos & peritos utendum eſſe, præcipiat. *lib. 8. Top. c. 2.* Syllogiſmus definitur eſſe λόγος, id eſt, *oratio, in quâ poſitis quibusdam, aliud quid ſequitur, ab iis, quæ poſita ſunt, ex neceſſitate & ideò, quia illa priora poſita ſunt. Lib. 1. Top. c. 1. l. 1. Prior. Anal. c. 1. & aliis in locis;* ubi notandum eſt, *minus rectè ab aliis λόγον verti vel per rationem, vel per diſcurſum &c. ſed per orationem vertendum eſſe;* non tantùm, quia Gellius, qui Athenis diu vixit, verumqve vocis ſenſum didicit, ita vertit, *lib. 15. Noct. Attic. cap. 26.* verùm ideò quoqve, quia Syllogiſmus eſt Organum ingenerandi opinionem vel diſputandi cum altero, aut docendi alterum id quod ignorat, ſolâ autem ratione ac diſcurſu in mente concepto nec diſputari cum alio nec doceri alius poteſt, niſi accedat oratio vel ſermo, qui rationem iſtam animo comprehenſam proferat & eloquatur, quâ ultimâ ſuâ perfectione eapropter quoqve Syllogiſmus definiendus erit. Sed non opus eſt, hæc accuratius diducere, hoc quidem loco & in Dialecticâ arte, cui exactam Syllogiſmi cognitionem neutiquam neceſſariam eſſe, verùm qualemcunqve ejusdem notitiam ſufficere, jam ſupra *prolegom. de philoſ. effectivâ §. 6. & hujus*

Cap.§.2. dictum eſt: quamobrem & hanc & reliquas poſitæ definitionis particulas ſeorſim & accuratè evolvendas *Analyticæ Contemplationi* reſervamus, quippe cui ſoli convenit, de Syllogiſmo accuratè tractare, quia de primâ Syllogiſmi ſpecie, nempe demonſtratione tractat, uti iterum ex *Proleg. de Philoſoph. contemplat. §.3.* conſtat.

§. 7. Atq; hæc *definitio exprimit formam Syllogiſmi*, quæ prorſus eadem eſt in omnibus Syllogiſmi ſpeciebus; *materia verò Syllogiſmorum cum non ſit eadem* ſed alia atqve alia, inde ratione ejusdem Syllogiſmus in *apodicticum, dialecticum, pſeudographicum & ſophiſticum* diſtingui ſolet. *l.1.Top. c.1.* Syllogiſmus *apodicticus vel demonſtrativus*, aut ἐπιστημονικὸς, qui etiam *Philoſophema* vocatur, *lib. 8.Top.c.11.* eſt, *qui ex veris & primis conſtat, aut ſaltem ex iis, quæ à veris & primis cauſam cognitionis habent*, vel ita ab iisdem dependent, ut ab illis & veritatem & evidentiam adipiſcantur: in quam rem plura *lib. 1. Poſt.Anal. c.2.* videri poſſunt. Huic opponitur *Syllogiſmus Pſeudographicus*, qui aliquando etiam *Paralogiſmus* vocatur, *lib. Sophiſt. Elench. c. 11. lib. 1. Poſt. Anal. c. 12.* ſæpè quoqve *Apateticus* dici ſolet; *qui quidem ex propriis alicujus rei & ſcientiæ principiis concludit, at non veris*, ſed malè intellectis ac reapſe falſis; ut ſi quis in Geometriâ, ex definitione circuli, inferat, rectam lineam curvæ æqualem eſſe, quia in definitione dicitur, omnes lineas in circulo eſſe æquales, cum tamen id de ſolis rectis, non verò de ipsâ

quo-

quoqve peripheriâ ſit intelligendum, is Paralogiſmum committit in Geometriâ: qualis in Phyſicâ quoqve, Medicinâ, & aliis ſcientiis omnibus committi poteſt, ſi harum principia aut malè intelligantur, aut planè falſa asſumantur. *Conf. lib. Soph. Elench. c. 11.* Porrò Syllogiſmus *Dialecticus*, qui *lib. 8. Top. 11.* ἐπιχείρημα vocatur, ille eſt, *qui concludit ex* ἐνδόξοις vel iis, quæ ſunt conſentanea opinionibus hominum; quæ in ſe, & quatenus talia, nec vera nec falſa ſunt, uti *ſupra ex §. 4. & 5.* conſtat, ubi prolixius hæc definita ſunt & in ſpecies diſtincta. Ad Syllogiſmum Dialecticum verò referendus etiam erit Syllogiſmus πειραστικὸς vel *tentativus*, quia ipſa Dialectica πειραστικὴ vel tentativa vocatur, *lib. Soph. Elench. c. 11. lib. 4. Metaph. c. 2.* & quia Ariſt. de Syllogiſmo tentativo ſe in Topicis vel Dialecticis libris egisſe, expreſſe *lib. Soph. Elench. cap. 2.* docet; qui *definitur is eſſe, quando aliquis ex placitis ac decretis artificum concludit aliquid contra eum, qui artem aliquam aut ſcientiam de eadem profitetur, idq; tentandi & quaſi examinandi gratiâ*, cum plurimi non ſint verè docti, ſed artis alicujus ac rerum quarundam ſibi arrogent cognitionem, cum illarum planè imperiti exiſtant, *Conf. cit. lib. Soph. Elench. c. 11:* unde etiam fit, ut tali argumentorum genere ſæpè utatur Doctor vel Præceptor adverſus diſcipulum ſuum, quando hujusdem eruditionem tentare, quantumqve in ſcientiâ aliquâ profecerit, examinando explorare cupit.

pit. Syllogiſmo Dialectico ſtrictè ſic dicto ac prioris modi opponitur Syllogiſmus *Sophiſticus*, qui etiam aliquando *contentioſus* ac *litigioſus* vocatur, *lib. 1. Top. 1. & lib. Soph. Elench. c. 11.* quia non ingenerandæ opinionis ad ſcientiam tendentis gratiâ, ſed certandi ſtudio, propter victoriam & gloriolam quandam atqve hinc emanans lucrum inſtitui ſolet. *Conf. lib. Soph. Elench. c. 1. 2. & 3.* Eſt autem Syllogiſmus *Sophiſticus triplex*, *lib. 1. Top. c. 1.* (1.) *enim interdum peccat ſolâ materiâ*, qui verè quidem concludit, at non ex ἐνδόξοις verè, ſed ſolùm apparenter talibus, ſeu ex iis, quæ hominum opinionibus conſentanea eſſe videntur, cum reverà talia non ſint, v. c. ex talibus propoſitionibus; magis & minus non variant ſpeciem, quæ quis non habet, alteri dare nequit &c. quæ verè ἔνδοξα non ſunt, ſed eſſe tantum videntur: quæ σοφίσματα, quanquam materiâ peccent, quia tamen formam & modum Syllogiſticæ conſequentiæ retinent, Syllogiſmi quoqve nomine dici merentur. (2.) *Interdum peccat ſolâ formâ & conſequentiæ vitio tantum laborat*, qui quidem ex verè ἐνδόξοις progreditur, at ex iis non verè concludit, ſed concludere tantùm videtur, cum re verà nihil inferat, quia in leges bonæ conſequentiæ impingit; quales ſophiſticationes ſunt v. c. hic canis eſt pater, hic canis eſt tuus, Ergò eſt tuus pater; ſanum vivit, urina eſt ſana, Ergò urina vivit, & aliæ ſimiles, de quibus poſtea,

quan-

quando ad Sophiſticos Elenchos deveniemus, accuratius agendum erit: hoc verò loco id ſolum annotasſe ſufficiat, hujusmodi σοφίσματα propriè nomine Syllogiſmi dici non poſſe, quia formam Syllogiſticam non ſervant, neqve ex neceſſitate id quod inferunt, concludunt, ſed conſequentiæ vitio laborant. (3.) *Interdum & materiâ & formâ peccat*, qui ex iis, quæ ἔνδοξα eſſe videntur, cum verè talia non ſint, concludere aliquid ac inferre videtur, cum revera nihil inferat vel concludat; ut ſi quis ita inferat: quod quis non habet, alteri dare non poteſt, at hic vel ille alteri oculum dare non poteſt; Ergò oculum non habet; in quo Sophiſmate, præterquam quod major ἔνδοξος non eſt, quanquam talis eſſe videatur, conſequentia etiam nulla eſt, quia ex puris negativis conſtat, ex quibus Syllogiſticè nihil ſequitur: unde etiam Syllogiſmi nomine hujusmodi apparens collectio dici non poteſt. Tandem *Syllogiſmo πειραστικῷ opponitur ille*, qui (1.) concludit ex iis, quæ artificum placita ac decreta eſſe videntur, cum non ſint (2.) qui ex decretis artium verè talibus concludere & inferre videtur, cum reverà non concludat aut inferat quicquam (3.) qui ex iis, quæ artificum placita videntur eſſe, nec tamen ſunt, concludere videtur, nec tamen verè concludit: quæ & ſimiles collectiones *Sophiſticis Syllogiſmis meritò annumerantur*, præprimis quando eò diriguntur, ut doctos verè tales confundant ac apud imperitam plebem in eam dejiciant opinio-

nem, quaſi artis ac ſcientiæ, quam profitentur, minimè gnari ſint, uti quidem eos eſſe decebat. Sed ſint ita Syllogiſmorum genera rudi minervâ & quantum Dialecticæ ſatis eſt, deſcripta.

§. 8. Alterum, quod *ſupra §. 6.* nominavimus, Dialecticæ inſtrumentum, *inductio* eſt, quam Ariſt. *lib. 1. Top. c. 12.* definit eſſe *progresſionem à ſingularibus ad univerſalia*, ſeu *orationem, quæ ex minus univerſalibus magis univerſale colligit*; id enim ante omnia hìc notandum eſt, per ſingularia non ſolùm intelligi ea, quæ ſimpliciter talia ſunt, verùm ea quoqve ſingularia ſæpè dicuntur, quæ ſunt minus univerſalia, quomodo ſpecies ſingularia vocantur reſpectu generum, & genera inferiora reſpectu ſuperiorum, Vid. *lib. 2. Poſt. Anal. cap. 13. Philopon. in hunc loc. Comment. 41. & Themiſt.* παραφ. *cap. 22. l. 1. de Part. Anim. c. 2. l. 14. Metaph. c. 1.* Unde *inductio non tantùm fit ex ſingularibus ſimpliciter talibus*, qualis v. c. eſt: Adami vita fuit ærumnoſa, talis etiam fuit Enochii, Noæ, Abrahami, Jacobi &c: Ergò omnium piorum vita ærumnoſa eſt; verùm *ex ſpeciebus quoq; conſtituitur inductio*, v. c. auriga is optimus eſt, qui eſt peritisſimus, gubernator optimus eſt, qui eſt peritisſimus, ſic & faber & alii, Ergò omnis artifex præſtantiſſimus ac optimus erit, qui eſt peritisſimus, *lib. 1. Top. 12.* quâ ratione Philoſophus *lib. 2. Prior. Anal. cap. 23.* inductionem deſumit ab homine, equo, mulo &c. quos certè ſpecies esſe manifeſtum eſt: quin imo *& ex generibus confici*

fici posse inductionem iterum Arist. testatur, quando *lib. 1. Ethic. c. 1.* omnia bonum appetere probat, inductione artium, methodorum, actionum, consiliorum &c. quæ genera esse nemo negabit, & *lib. 1. Post. Anal. c. 1.* probaturus, omnem disciplinam ex antecedente progredi cognitione, inductionem inter alias à mathematicis desumit disciplinis, quas iterum constituere unum genus in varias species divisibile, certum est. Sufficit itaqve ad inductionem, si ex minus universali colligat magis universale; quo ipso *inductio discernitur* (1.) *à Syllogismo*, qui nunquam ex minus universali ad magis universale, sed contra ex magis universalibus ad minus universalia, aut saltem æqve talia procedit: ut etiam eapropter inductio ex notioribus nobis, Syllogismus autem ex notioribus naturâ progredi dicatur, *lib. 2. Prior. Anal. c. 23.* quia quæ magis universalia sunt, notiora naturâ sunt, quæ autem minus universalia, nobis notiora dicuntur. *l. 6. Top. 4. l. 1. Post. Anal. c. 2. & alibi passim.* (2.) Differt *ab exemplo*, quod aliquando etiam *inductio*, sed cum addito talis, nempe *Oratoria* dici solet *lib. 1. Rhet. c. 2.* & neutiquam à singulari ad universale, vel à minus universali ad magis universale, sed à singulari ad aliud singulare, aut ab universali ad aliud æqve tale, nunquam autem ad magis universale procedit; v. c. Gracchi ob affectati imperii suspicionem, jure sunt occisi, Ergò & Lucium Saturninum eadem de causâ pariter occidere licebit, Catoni licuit sequi bellum

 civi-

civile, Ergo, licuit etiam Ciceroni: ſi verò ad univerſale fiat tranſitus ab exemplo & ita dicatur, v.c. Romulus non potuit ferre Remum in imperio ſocium, Ergò nemo poteſt ferre ſocium in imperio; conſequentia aut nulla, aut ſaltem Dialectica non erit, niſi alia etiam addantur exempla, v.c. Jupiter non tulit fratres imperii ſocios, non tulit Romulus Remum, non Atreus Thyeſtem, non Cæſar Pompejum, non Auguſtus Antonium &c. Ergò nemo poteſt imperii ſocium ferre: quo ipſa jam inductio conſtituta eſt, neutiquam verò exemplum dici poteſt. Tandem quando inductio dicitur eſſe progreſſio à ſingularibus ad univerſale, *nemo putet, id præcisè ad inductionem requiri, ut omnia actu enarrentur ſingularia;* hoc enim fieri facilè non poteſt, quia ſingularia vel individua infinita ſunt *lib. 1. Rhet. c. 2.* utut non actu, ſucceſſione tamen talia, vel etiam adeò multa ſunt, ut ferè ſint infinita, vel deniqve non continentur certo aliquo numero, ut ſpecies & genera, ſed modò plura modò pauciora exiſtunt & tali ratione infinita dicuntur ac proinde ita ſe habent, ut numerari vel unâ comprehendi inductione aut planè non aut non facilè poſſint: ſed ſufficit, ſi more magnis etiam & excellentibus ſcriptoribus uſitato, aliqua enumerentur ſingularia, atqve tum poſt plurium enarrationem ſubjiciatur, ita quoqve ſe habere in reliquis, vel eandem rationem eſſe in cœteris, quæ enumerari ob multitudinem non potuerunt, tum enim tam diu inductio ac inde diductum univerſale

versale valebit, donec ab adversario fuerit aliquid instantiæ loco allatum.

§. 9. Atque hæc inductio, hactenus descripta propriè talis est & *ab eodem vel ex eodem genere* aliàs vocari svevit; præter quam alia adhuc datur, quæ *inductio à simili* nuncupari solet, & non est progressio à singularibus ad universale, sed *à pluribus similibus ad aliud quoddam simile*, quod respectu priorum illorum universale dici non potest. Plurimùm hac inductione usus est *Socrates* & frequentissimè reperitur *in Dialogis Platonis*; *Cicero* quoqve in Topicis, quando locum similitudinis tractat, eam dicit ex pluribus similibus pervenire, quò vult, hoc est, aliud quoddam simile inferre, & *Diog. Laërt. in vitâ Platon.* expresse inductionem duplicem statuit, alteram, quæ ex particularibus monstrat universale, quam §. *præcedente* descripsimus, alteram verò, quæ ex uno particulari infert aliud particulare, qualis est inductio à simili, quando v. c. ita colligo: Cithara pulsanda non datur aut ditissimo aut nobilissimo, sed peritissimo, nempe citharœdo, clavus navis committitur non nobilissimo aut ditissimo, sed peritissimo, scilicet nauclero, sic etiam administratio bellica & plurima alia &c. Ergò & administratio civitatis non ditissimo, non nobilissimo, sed peritissimo, id est, prudenti Politico committenda erit. *Non tamen hæc inductio propriè talis est & Dialectica*, sed quemadmodum non omnis Syllogismus Dialecticus est, ita nec omnis

inductio, ut ait *Alexand. Aphrod. Comment. in lib. 1. Top. c. 12.* qui addit, errare eos, qui volunt hanc à simili inductionem esse propriè dictam vel dialecticam, cum sit solummodò Oratoria vel Rhetorica, aut potius exemplum, quod ex uno vel pluribus similibus aliud quoddam simile infert, uti §. *præcedente* notavimus: quam ob rem uti enthymema Syllogismus quidem est, at cum addito, Oratorius, ita inductio à simili, inductio quidem, at cum addito, Oratoria erit, id quod expressis etiam verbis *Diog. Laërt. l. c. p. m. 219.* testatur. *Conf. lib. 1. Rhet. c. 2.* Sufficiat autem, hæc breviter de inductione pro ratione præsentis instituti, quantumqve tractationi dialecticæ convenit, dixisse: plura enim in Analyticis addenda erunt.

CAP. IV.
DE ΕΥΠΟΡΙΑ seu INVENTIONE ARGUMENTORUM DIALECTICORUM ET QUATUOR AD EAM CONFERENTIBUS ORGANIS.

§. 1.

QUoniam inter Organa Dialectica, quibus opinio alteri ingenerari debet, sine dubio præ-

præcipuum est Syllogismus, quippe qui fortius urget & plus apud doctos valet, quam inductio, quæ minus movet & persvadendis rudioribus aptior est, uti *ex Cap. Præced. §. 6.* constat; inde ut copia Syllogismorum dialecticorum vel hujusmodi propositionum, ex quibus Syllogismi dialectici facilè confici possunt, parari queat, suppeditat Arist. *lib. 1. Top. c. 13.* generalem quandam & *communem* εὐπορίας *vel inventionis aut inveniendi rationem*, quâ ingens propositionum Sylva ad plurimas contexendas argumentationes inveniri feliciter à quovis potest. Instrumenta verò & Organa, ad tantam argumentorum dialecticorum multitudinem facilè inveniendam accommodata, quatuor ab Arist. *l. c.* recensentur; 1. est λῆψις προτάσεων, id est, *acceptio vel sumptio aut collectio propositionum*, quas vel propriâ invenimus sagacitate, vel alii ante nos pararunt, quasq; ex eorum disputationibus vel oretenus habitis, vel scripto comprehensis excerpimus & futuro usui, in locis, ut vocari solent, communibus reservamus. 2. Est διαίρεσις τῶν πολλαχῶς λεγομένων, id est, *distinctio eorum, quæ multipliciter dicuntur.* 3. Est εὕρεσις τῶν διαφορῶν, id est, *inventio differentiarum*; & tandem 4. σκέψις τοῦ ὁμοίου, id est, *similitudinis Consideratio*: quæ inventionis instrumenta, si rectè fuerint adhibita, fieri non potest, ut argumenta, ad quamvis etiam quæstionem concludendam, desint. Possunt verò *tria*

poste-

posteriora εὐποϱίας organa suo quodam modo etiam ad primum, nempe sumptionem propositionum, reduci, quia & ex distinctione multipliciter dictorum & ex inventione differentiarum & tandem ex similitudinum consideratione propositiones sumere licet; adeò ut non alio fine vel multipliciter dicta distingvamus, vel differentias inveniamus, vel similitudines consideremus, nisi ut propositiones inde accipiamus: quas nisi intenderemus, nihil illorum, quæ modo dicta sunt, ageremus. V. c. si quæstio fuerit, an expetibile sit, regnare Tyrannum? distinctio multipliciter dicti vocabuli, expetibilis, in honestum, utile & jucundum, tres statim, quas inde sumere possum, subministrat propositiones, nempe, nec honestum esse, regnare Tyrannum, deinde nec utile esse, tandem nec jucundum esse; porrò si quæstio fuerit: an sensus & scientia idem sint? ex inventione differentiarum tot desumere potero propositiones, quot inventæ fuerint differentiæ, nempe, scientiam semel amissam posse recuperari, sensus amissos non posse, Scientiam esse in solo homine, sensum in animalibus omnibus, scientiam ingenerari per doctrinam, sensum inesse ab ortu & nativitate &c. quâ ratione ex quarto quoqve organo, nempe similitudinis consideratione propositiones accipi possunt, v. c. uti tranquillitas maris quies est, ita tranquillitas etiam in aëre, nihil nisi quies quædam erit, &c. Non tamen eâ de causâ unum tantùm εὐποϱίας instrumentum constituendum est;

id enim ex usu discentium non esset, sed *confusa foret tractatio, si omnia in unum chaos compingerentur:* unde cum ille solùm benè doceat, qui benè distinguit, satius esse duxit Arist. seorsim quodlibet ex hisce organis tractare, ac distinctè cujuslibet explicare locos, quamvis ipsa organa aliquam inter sese habeant connexionem aut ad unum aliquod referri possint.

§. 2. Quod itaqve attinet ad *primum inventionis organum*, ad *sumptionem propositionum*, Arist. *lib. 1. Top. c. 14.* docet, eas desumi & annotari posse, *partim ex disputationibus* vivâ voce habitis, in quam sententiam etiam *lib. 8. Top. c. 14.* ait, operam dare debere Dialecticum, ut ex omni disputatione secum auferat vel propositionem aliquam, vel pulchram aliquam solutionem, vel instantiam, vel aliud tale; partim *ex scriptis Doctorum Virorum* inter legendum excerpendas esse: quorum utrumqve ut rectè fiat, sequentia præcepta vel regulæ observandæ erunt.

1. Accipiendæ verò & *colligendæ sunt propositiones* ἔνδοξοι, quæ videntur vel omnibus, vel sapientibus tantùm, atq; his vel omnibus, vel sapientissimis solùm, dummodò non omnium prorsus hominum opinionibus repugnent; quibus adjungendæ quoqve eæ sunt, quæ in singulis scientiis ac artibus ab artificibus & Professoribus earum scientiarum sunt inventæ: & si quæ plures propositionum ἐνδόξων species sunt, de quibus satis superq; supra jam *Cap. Præced. III. §. 5.* dictum est.

2. Non

2. Non autem hæ ſolum ſed & *tales eligendæ ſunt propoſitiones, quæ* ἐνδόξοις *ſunt contrariæ*, cum contradictione tamen prolatæ, vel additâ negatione, eo modo, quem *loc. proximè cit. cap. III. §. 5.* deſcripſimus; cum & ex his, æqve ac ex ipſis ἐνδόξοις, Dialecticus adverſus alterum argumentari aut aliquem convincere poſſit, ut ex ſuperioribus conſtat.

3. Porro *neq; iſtæ omittendæ ſunt propoſitiones, quæ* ἐνδόξοις *ſunt ſimiles*; quas rurſus in diſputando multum valere, ex *cap. III. §. 5.* patet; ubi quoqve, quænam propoſitiones ἐνδόξοις ſimiles ſint, declaratum eſt.

4. Eligendæ ſunt propoſitiones *non eæ ſolum, quæ ſemper ac in omnibus obtinent*, quales v. c. ſunt: appetitus eſt boni, virtus eſt laudabilis &c., verùm *eæ quoq;, quæ, utut non ſemper ac in omnibus, ut plurimum tamen ac in multis valent*, v. c. morbos recentes curari facilius, qualis cauſa, talis effectus, contraria contrariorum eſſe conſequentia &c.; concedit enim adverſarius facilè & tales propoſitiones, quando præprimis nihil habet, in quo easdem non eſſe veras, oſtendere poſſit, ac proinde & his Dialecticus uti aut easdem pro principiis probandi venditare debet, idqve audacter & tanquam ſint univerſaliter veræ, ne ipſe illas ſuſpectas reddat: cum & in civilibus rebus, qui timidè aliquid petit, jure id ſibi negari poſſe ſignificet.

5. Pro-

5. Propositiones verò, quæ vel ex ore, vel ex scriptis Doctorum Virorum excerpuntur, *non confusè ac sine ordine sunt describendæ;* sed quemadmodum bonus Paterfamilias cuiqve rei proprium suum assignat locum: ita Dialecticus quoqve suas διαγραφάς, ut Arist. vocat, vel *Electorum Commentarios*, ut Plinius nominat, vel, uti nos vulgato nomine dicimus, *Locos communes* rectè disponit, ut omnia sint distincta, ac in certas partes digesta, acqve ita deinceps in promptu, quotiescunqve iisdem Dialecticus ad disputandum opus habet. Ordo autem & series, uti ex *lib. 1. Top. c. 14. & lib. 1. Prior. Anal. c. 27.* colligere licet, ita ferè institui potest, ut primò quidem *singula genera seorsim ponantur*, & in peculiari chartâ describantur propositiones, v. c. de bono, in peculiari propositiones de animalibus & sic deinceps; quod ut clarius exponat Arist. paulò post *propositiones ad tria genera reducit, aliasq; ad vitam & mores* pertinere dicit, quales sunt, de felicitate, virtute, civitate &c. *alias ad naturæ obscuritatem*, quæ sunt de loco, tempore, materiâ, formâ, cœlo, intelligentiis, Deo &c. hoc enim *Physico genere ea quoq; comprehenduntur, quæ ad sapientiam primam vel Metaphysicam spectant*, quæ latior Physices significatio etiam obtinet *lib. 1. Post. Anal. c. 33. fin. lib. 7. Eudem. c. 1. ut & ap. Philop. Comment. 135. in lib. 1. Poster. Diog. Laërt. in Vit. Zenon. p. 518. Plutarch. de Plac. Philosoph. lib. 1. c. 1. Pendas. in Philos. natur. pag. 101. & alios*

& alios plures: alias tandem *ad disserendi rationem, vel ad artes logicas*, quæ λόγῳ seu sermone aut disserendo officia sua exsequuntur, revocandas esse v. c. de termino, Syllogismo, conversione, demonstratione &c. Vid. *supr. cap. II. §. 4.* De omnibus his rebus Dialecticus conscribit propositiones; non eo quidem proposito, ut ex his ad veritatem & scientiam argumentetur, id enim ad Philosophum solùm pertinet, qui à Dialectico non materiâ subjectâ, sed proposito & fine discernitur, *lib. 4. Metaph. c. 2. & alibi passim*, verum eâ intentione, ut disputare ex iisdem ad opinionem possit: quippe quam solam Dialecticus propositam habet & cujus solius gratiâ omnes istas de rebus supra dictis propositiones conquirit. Hinc *triplicis generis* συγγράμματα μνημονικὰ seu *Loci communes constituendi*, aut *tria ordinanda erunt volumina*, in quorum uno propositiones de rebus Ethicis, Politicis ac Oeconomicis, in altero verò de rebus Physicis, Metaphysicis & Mathematicis, in tertio tandem de rebus Dialecticis, Rhetoricis, Analyticis, Poëticis &c. scribantur; ita ut in singulis his *prius ponatur genus*, v. c. felicitas, virtus, animal &c. & propositiones huc spectantes, deinde *sub genere constituantur species*, v. c. sub felicitate, civilis, œconomica, contemplativa &c. sub virtute, intellectualis, moralis; sub illa porrò, ars, sapientia, scientia &c. sub hac verò, fortitudo, liberalitas, justitia &c. sub animali, volatile, natatile,

tile, pedeſtre, inſectum &c. ſub volatili, ciconia, cygnus, aquila, hujusdemqve ſpecies, ſub natatili, acipenſer, capito, lucius, ſalmo &c. ſub pedeſtri, homo, leo, equus &c. ſub inſecto, hirudo, bombyx, ſcarabeus, locuſta &c. unà cum ipſis propoſitionibus ad quemvis titulum pertinentibus: quæ ſub generibus illis poſitæ ſpecies in alias ſpecies & hæ iterum in alias, quousqve licet, dividendæ ac ſub invicem ponendæ erunt, debito cuiqve titulo, pro prudentiâ ejus, qui propoſitiones colligit, in chartâ libri relicto ſpatio, quod juſtæ propoſitionum multitudini capiendæ ſufficiens eſſe poſſit. Atqve hunc ordinem in locis communibus qui ſervare voluerit, ut ſub quovis genere ſtatim ponat ſpeciem, & ſub hac, inferiorem ejus ſpeciem & ſic deinceps; ille, ut facilius quemvis titulum cum propoſitionibus ſuis invenire, quando iis opus habet, poſſit, *paginas libri numeris notet atque tum in fine voluminis indicem omnium titulorum ordine alphabetico conficiat*, addito, cuivis titulo, paginarum numero: ſic enim omnes propoſitiones in promptu habebit, & quo loco quivis titulus ac quævis propoſitio quæri debeat, ſine labore videbit. Quibusdam verò *operoſum & moleſtum eſſe videtur, cuivis generi ſuas ſtatim ſubnectere ſpecies & ſpecierum ſpecies*; cum præprimis non ſtatim notum ſit, quas & quotnam quodlibet genus ſpecies vel ſpecierum ſpecies habeat, neqve præterea eo ordine propoſitiones in autorum lectione excerpendæ ſeſe offerant, quo genera & ſpecies ſeſe

conſequuntur atqve adeò incertum planè ſit & dubium, an genera ac ſpecies ſub iisdem eo ſint diſponenda ordine, quem inter ſe, aut in ſcientiâ, ad quam pertinent, habent, an verò eo, quem permixta & ſæpè interrupta autorum lectio forte fortunâ ſubminiſtrat? quorum utrumqve moleſtiâ & difficultatibus aliis non caret. Huic illud quoqve addunt, obſcurum planè eſſe, quantum cuilibet generi, in incertâ ſpecierum multitudine, ſit adjudicandum chartæ & libri ſpatium, ſæpiſſimèqve fieri, ut unius tituli plurima folia remaneant vacua, cum paginæ alteri titulo deſtinatæ, propoſitionibus capiendis ſufficere nequeant; moleſtum quoqve eſſe, ajunt, duplici labore, prius in indice & calce libri, deinde verò in ipſo volumine quemvis titulum ac propoſitionem quærere: neqve tandem Ariſtotelis hanc præcisè mentem fuisſe, ut tali modo propoſitiones colligantur, ſed quamvis dixerit, in tria συγγραφὰς propoſitionum dividi poſſe volumina, ut tamen in iisdem cuivis generi ſuæ ſtatim addantur ſpecies atqve ſpecierum ſpecies ſubnectantur, ſuisqve cellulis diſponantur, ab ipſo nullibi præceptum eſſe, dicunt. Hinc *ita alii ſuos locos communes informant,* ut eosdem *vel in tria ante dicta volumina* dividant & ſeparatim cujusvis generis titulos conſcribant, *vel conjunctim omnes in uno eodemque comprehendant opere;* idqve *ſerie alphabeticâ,* ut ſub literâ A. ſcribatur v. c. amor, anatomia, ἀσυλλογιστία, actio, &c. *ordine promiſcuo, prout*

hæc

hæc & alia inter legendum occurrunt, nullâ vel generis vel ſpeciei habitâ ratione, ſed ſolâ literarum initialium ſervatâ ſerie: hac tamen adhibitâ cautione, ut *folia vel unius vel trium voluminum non complicentur ſtatim*, ſed quilibet titulus ſolutæ chartæ inſcribatur & hac propoſitionibus repletâ, alia inſuper addatur, idq; tam in hoc quam reliquis titulis omnibus ſimili modo fiat, donec collectiones propoſitionum ad juſtam quantitatem excreverint, tum enim modico, cuivis titulo, ad ſupplendas reliquas, quæ fortè adhuc deſiderantur, propoſitiones, relicto chartæ ſpatio, commodius totum opus diſponi ac in unum volumen compingi valebit. Sub quovis verò titulo *ſcribenda erit primò rei definitio*, ac ponenda ea, quæ ad esſentiam ejus pertinent ac in quid prædicantur, deinde *ſubnectendæ ſunt rei iſtius proprietates, conſequentia, antecedentia, repugnantia &c.*; ita tamen, ut *in ſervando harum propoſitionum ordine non ſimus nimis moroſi*, neqve quia primo ſtatim loco rei definitio non occurrit, ideo reliquas, quæ ſe offerunt propoſitiones, omittamus ac negligamus, ſed eo quamlibet propoſitionem excerpamus ordine, quo illam lectio autorum ſuppeditat: ſecus enim utiliſſimas ſæpè propoſitiones præterire neceſſe erit, quæ deinde memoriâ excident, quo ipſo intempeſtiva ac ſuperſtitioſa hæc in prædicto ordine ſervando tenacitas, inopiam potius quàm copiam propoſitionum generabit. Ut tamen confuſio evitetur &

 nihil-

nihilominus in propositionibus quamvis promiscuè conscriptis sciri statim possit, ubinam in totâ serie exstet propositio v. c. definitionem rei continens, aut proprietatem, aut accidens, aut contrarium ejus comprehendens, & ne quis, quando tali aliquâ propositione opus habet, eandemqve quærit, omnes statim propositiones vel totam seriem perlegere cogatur; inde in margine locorum communium *certo charactere quamlibet propositionem notare commodum erit*, ita ut propositioni definitionem continenti in margine adjungatur litera initialis D. illi, quæ antecedens rei comprehendit, litera A, illi quæ consequens, litera C, illi, quæ repugnans, litera R, & sic deinceps: sic enim, etiamsi magna fuerit propositionum multitudo, facilè tamen reperiri poterit, quâ quisqve opus habet, quamqve deinde usus ac necessitas in disputando requirit. Tantum de ordine ac dispositione locorum communium, de quibus plura inferius in Analyticis dicenda erunt.

6. Id quoqve observandum est in collectione propositionum, *ut annotetur nomen autoris*, à quo quælibet propositio profecta est, v. c. hanc esse Platonis, istam Aristotelis, illam Ciceronis &c.; id enim, quamvis nudis autoritatibus disputandum non sit, multum tamen valet, multumq; disputanti prodest, si hanc aut illam sententiam magnorum & Doctorum Virorum esse dicat: cum non facilè contra disputans negare audeat, quod à sapientissimo aliquo viro statutum esse

esse audit. Conf. quæ *supra cap. III. §. 5.* dicta sunt.

7. Opera etiam danda est, ut *propositiones colligamus maximè universales*, eas enim deinceps in minùs universales resolvere ac in infinitum ferè augere atqve ita *ex unâ propositione, ingentem propositionum copiam comparare poterimus*; v. c. colligenda est talis propositio: oppositorum eadem est scientia, quam posteà distribues, dicendo: opposita cum sint quadruplicia, inde & relatorum una erit scientia, & contradictoriorum una erit scientia, & contrariorum una erit scientia & privativorum una erit: & si contrariorum eadem est scientia, eadem quoqve erit, calidi & frigidi, boni & mali, humidi & sicci, albi & nigri &c. si porrò privativorum una est scientia, una quoqve erit cæcitatis & visus, lucis & tenebrarum, scientiæ & ignorantiæ &c. si relatorum eadem est scientia, eadem quoqve erit, Domini & servi, patris & filii, emptionis & venditionis &c. si tandem contradictoriorum eadem est scientia, eadem quoqve erit affirmationis & negationis, Entis & non Entis &c: quo ipso magna propositionum copia parata erit. Hæc de primo Inventionis Organo.

§. 3. Secundum Organon diximus esse *distinctionem eorum, quæ multipliciter dicuntur*, quæ aliàs ὁμώνυμα vel *æquivoca* appellari solent, quibus *idem commune nomen est, ratio essentiæ verò nomini isti accommodata, vel secundùm istud*

nomen diversa. lib. Categ. c. 1. v. c. ὁμώνυμα ſunt ſidus quoddam cœleſte & morbus faciei, quæ uno communi nomine gaudent, cum utrumqve dicatur *Cancer*, at esſentiam, quatenus hoc communi nomine dicuntur, non eandem, ſed planè diverſam habent: quomodo lex quoqve & offa *jus* dicuntur atqve ita unum commnne nomen habent, esſentiâ verò juxta nomen hoc, non eadem ſed aliâ ac diversâ conſtant. Hoc ipſo *differunt æquivoca à Synonymis*, *quorum & nomen commune eſt*, *& ratio eſſentiæ huic nomini accommodata*, *vel ſecundùm iſtud nomen*, *planè eadem exiſtit*; v.c. fortitudo & liberalitas habent unum commune nomen, quo dicuntur, cum utraqve nuncupetur virtus; ſed & definitionem huic nomini accommodatam vel juxta hoc nomen prorſus eandem habent, cum utraqve rectè definiatur eſſe habitus proæreticus in mediocritate conſiſtens: quo modo & leo ac homo reſpectu animalis, & albedo ac nigredo reſpectu coloris, &c. Synonyma appellantur. Differunt quoqve hoc ipſo homonyma *à Paronymis*, ſive *derivatis* vel *derivativis* aut *denominativis*, ut vulgò appellari ſolent, quæ ab alio aliquo nomine derivata, caſu & terminatione ab eo differunt, appellationem verò ſecundùm iſtud nomen, vel ad illud nomen, accommodatam habent; v.c. juſtus eſt paronymum vel derivativum ac denominativum, quia denominat Ariſtidem, qualisnam ſit, & derivatur ab alio quodam nomine, nempe à juſtitiâ,

â quâ

à quâ voce caſu ac terminatione differt, appellationem tamen & ſignificationem ad hoc nomen accommodatam habet; quomodo etiam Alexander paronymicè fortis denominatur vel dicitur à fortitudine, Plato Sapiens à Sapientiâ &c: quæ paronyma media quaſi ſunt inter homonyma ac ſynonyma, & cum homonyma definitionem diverſam, Synonyma verò eandem habeant, paronyma neqve planè eandem habent definitionem, ut Synonyma, neqve prorſus diverſam, ut homonyma, ut ex exemplis modò allatis conſtat. Non autem uniusmodi ſunt *homonyma*, verùm *alia ſunt purè talia*, quæ etiam ἀπὸ τύχης ſeu *à fortunâ* dicuntur, *lib. 1. Ethic. c. 4.* quando nulla ratio vel causa dari poteſt, cur unum atqve commune nomen ad plures iſtas ac diverſas res ſignificandas impoſitum fuerit, tum enim fortuito & citra ullius rationis conſiderationem id factum fuiſſe certum eſt; quemadmodum, cur ſidus illud cœleſte cancer vel canis., aut offa jus dicatur, nemo ullam dare poteſt rationem & cauſam, præter fortuitam impoſitionem eorum, qui primitus has res hiſce nominibus appellarunt: unde etiam cum eſſentiæ harum rerum adeò ab invicem remotæ ſint, ut diverſitatem quilibet videre poſſit, homonyma hæc πολὺ ἀπέχουσι καὶ πολὺ διεστηκότα, id eſt, *multum diſtantia* vocari ſolent. *lib. 1. Top. c. 16. lib. 7. Phyſic. c. 5. Conf. l. Soph. Elench. c. 33. ac alia loca plura.* Alia verò ho-

monyma non caſui aut fortunæ originem debent, *ſed rationi*, ut etiam eapropter *æquivoca* ἀπὸ τῆς διανοίας vel *ex conſilio* dicantur; quia nempe certa ſubeſt ratio ac cauſa, propter quam unum aliquod nomen ad plura ac diverſa ſignificanda impoſitum eſt: quæ homonyma ſæpè non admodum inter ſe diſtant, nec facilè à quovis diſcerni poſſunt, ſed interdum doctis etiam imponunt, de quibus præter loca paulò ante citata, Ariſtoteles conſuli poteſt, *lib. 1. de gen. & corr. c. 6. l. 1. Ethic. c. 4. l. 5. c. 2. & alibi pasſim.* Ratio autem, propter quam uno communi nomine diverſas res appellamus, cum non una ſit, inde *neq; homonymorum ex ratione & conſilio talium una erit ſpecies*, ſed quotuplex eſt ratio illa, totuplicia quoqve homonyma eſſe oportebit; ipſa verò hæc ratio deſumitur 1. *à memoriâ*, quando v. c. parens aliquis filium ſuum appellat nomine avi, in memoriam ejusdem, quomodo Saræ quoqve filius appellabatur Iſaac, in memoriam riſus *Gen. 21. verſ. 3. & 6.* 2. *à Spe*, quando Pater aliquis filium ſuum aut Salomonem aut Samſonem vocat, quia ſpem habet, fore aliquando, ut hic filius vel ſapiens vel fortis ac robuſtus evadat, quomodo Eva filium ſuum vocasſe dicitur Cain, à ſpe, quâ credebat, ſe habere virum Domini. *Gen. 4. verſ. 1.* 3. *à ſimilitudine*, propter quam nomen, homo, non ſolum ſignificat hominem viventem, ſed & æquivocè mortuum ac pictum, oculus non modò verum, ſed iterum & pictum *l. 4. Meteor. c. ult. l. 2.*

de Gen. An. c. 1. & l. 1. Polit. c. 2. 4. *ab analogiâ seu proportione*, quæ eſt æqualitas inter quatuor terminos, ex quibus, uti ſe habet primus ad ſecundum, ita tertius ad quartum, *lib. 5. Ethic. c. 6.* & eapropter nomen primi ad tertium etiam ſignificandum imponi ſolet; v. c. inter quatuor hos terminos, oculus, corpus, intellectus, anima, uti ſe habet oculus ad corpus, ut ſcilicet iſtud dirigat, ita intellectus ad animam. *lib. 1. Ethic. c. 4.* & eapropter etiam intellectus æquivoce oculus animæ nuncupatur. 5. *ab uno aliquo communi principio, à quo aliqua dependent ac totam ſuam eſſentiam habent*, ac eapropter ejus primi principii nomine quoqve æquivoce dicuntur; quale æquivocum nomen v. c. Medicum eſt, quia omnia, quæ medica vocantur, à primo aliquo ita vocantur, quod eſt Ars Medica, propter quam omnia, quæ medica dicuntur, ita dici ſolent, cum & homo medicus dicatur, quia artem hanc habet, & culter medicus, quia inſtrumentum ejus artis eſt, & liber medicus, quia deſcribit eam, & potio medicâ, quia ex præſcripto illius artis confecta eſt. *lib. 2. Magn. Moral. c. 11. lib. 4. Metaph. c. 2.* qualia æquivoca ἀφ' ἑνὸς, id eſt, *ab uno* nuncupari ſveverunt. 6. Tandem fit aliquando, ut ſortiantur aliqua idem commune nomen ideò, *quod unum communem habeant finem, ad quem reducuntur*, à quo etiam talia æquivoca vocabula πρὸς ἕν, id eſt, *ad unum* dici ſolent; quale nomen v. c. eſt ſanum, quo ideò multa dicuntur, quia omnia ad

unum referuntur finem, nempe ipſam ſanitatem, quæ in temperie ac integritate partium animalis conſiſtit, cujus reſpectu & propter quam æquivocè cibus ſanus dicitur, quia nempe ſanitatem conſervat, medicamentum ſanum dicitur, quia ſanitatem reſtituit, pulſus & urina dicuntur ſana, quia ſanitatem ſignificant, & ſic deinceps *lib.4.Metaph.2:* quæ æquivoca cum præcedentibus & ἀφ᾽ ἑνὸς dictis, ſæpius in unam eandemqve rem ac vocem coincidere ſolent. Sed ideò omnes has *æquivocorum ſpecies, earumq; rationes & cauſas recenſere neceſſarium fuit*, quia Ariſt. ad Dialecticum, qui hoc ſecundo Inventionis Organo rectè uti & æquivoca vel multipliciter dicta feliciter diſtingvere voluerit, expreſsè requirit *lib. 1. Top.c.15.* ut non modò videat, quot modis quidvis dicatur, ſed ut rationes etiam afferat, cur æquivocè dicatur; v.c. non tantùm dicendum eſt, bonum & de juſtitiâ & de medicamento affirmari, verùm explicandum etiam eſt, juſtitiam ideò bonam vocari, quia affectio vel qualitas talis eſt, medicamentum autem ideò, quia efficiens eſt bonæ alicujus qualitatis, nempe ſanitatis: quæ & alia æquivoca, ut facilius indagari ac diſtingui poſſint, Ariſt. certa quædam tradit præcepta, quæ ſex locis comprehendit, quorum (1.) eſt *ab oppoſitis* (2.) *à conjugatis* (3.) *à categoriis* (4.) *à definitione* (5.) *à comparatis* (6.) *à differentiis*, quos locos omnes, una cum partibus & regulis ſuis, præeunte Ariſtotele, *cit. lib.1.Top.c.15.* ſequenti ordine damus.

Locus

LOCUS I. AB OPPOSITIS.

Oppoſita non unius ſunt generis, *lib. Categ. cap. 10. & lib. 5. Metaph. c. 10.* ſed quadruplicia; *1. contraria, quæ maximè à ſe invicem diſtant*, & uni eidemqve rei ineſſe poſſunt, in quâ ſe mutuo expellunt, niſi alterum à naturâ inſit; *ſive ſint in eodem genere*, ut prodigalitas & avaritia in genere vitii, *ſive in diverſis generibus*, ut temperantia & intemperantia in genere virtutis & vitii, *ſive ſint ipſa genera*, ut bonum & malum. Horum *alia mediata ſunt*, quorum alterum non eſt neceſſe, ut inſit, etiam ſubjecto capaci, cum medium interjectum ſit, quod ineſſe poſſit, niſi iterum, alterum ex contrariis illis per naturam inſit; v.c. album & nigrum, calidum & frigidum, ſunt contraria mediata, inter illa enim interjacet viride, cœruleum, fuſcum, &c. inter hæc verò tepidum; unde neceſſe non eſt, ut ſi ſuperficies non eſt alba, ſtatim ſit nigra, poteſt enim eſſe rubra, flava &c. aut ſi aër non eſt calidus, ſtatim ſit frigidus, poteſt enim eſſe tepidus: nihilominus tamen ut igni alterum, nempe calidum inſit, neceſſe eſt, quia per naturam ipſi ineſt. Alia verò ſunt *immediata*, quorum alterutrum ſubjecto capaci ineſſe neceſſe eſt, cum nullum præter hæc ſit, quod ineſſe poſſit v. c. in genere numerorum par & impar, quæ cum nullum agnoſcant medium, omnem numerum aut parem aut imparem eſſe neceſſe erit, cum tertium non detur. In mediatis verò contrariis, id, quod interjectum eſſe diximus

me-

medium, aliquando *per participationem utriusq; extremi* ita dicitur, v. c. tepidum, aut flavum, quorum illud medium inter calidum & frigidum, hoc verò inter album & nigrum dicitur, ideo, quia de utroqve extremo, nempe tepidum & de calido & de frigido, flavum & de albo & de nigro aliquid participant; aliquando verò *medium istud utriusq; extremi negatione* definitur, quomodo v. c. inter bonum & malum, inter justum & injustum, id medium esse dicimus, quod neutrum est, nec bonum nec malum, nec justum nec injustum: quale medium negativum etiam in iis contrariis locum habere potest, quæ paulò ante, immediata, medii scilicet voce in priori significatione acceptâ, dicta sunt. 2. *Contradictoria*; quæ, *non prout in propositionibus & orationibus* spectantur & aliò pertinent, sed quatenus *in simplicibus terminis* esse intelliguntur & hujus loci sunt, definiuntur ea esse, *quorum unum est simplex negatio alterius*; ut Ens & non Ens, homo & non homo &c. 3. *Privativa*; quæ sibi opponuntur, *ut habitus & privatio*; quorum *ille dicitur esse* præsentia formæ in subjecto naturâ ad eam recipiendam apto, eo tempore, quo aptum est, *hæc verò* absentia habitus naturâ & hoc tempore inesse debiti vocatur; qualia opposita sunt v. c. lux & tenebræ, visus & cæcitas &c: unde *privatum id esse dicitur, quod habitum & perfectionem non habet eâ parte & tempore, quibus habere debet*, v. c. homo aut canis cœcus dicitur, non quia vel pede

pede vel ore non videt, hæ enim partes ſubjectæ ad recipiendum viſum apta non ſunt, ſed quia oculis non videt, neqve porrò ideò canis cœcus dicitur, quia primis ab ortu diebus non videt, id enim tempus viſui accommodatum non eſt, ſed is propriè viſu privatus vel cœcus eſſe dicitur, qui tum non videt, quando per naturam videre poteſt & debet. 4. *Relativa*, quæ ita ſibi opponuntur, *ut quicquid ſunt, oppoſitorum eſſe dicantur*, v.c. pater & filius, dominus & ſervus &c. quæ talem ad ſe invicem involvunt reſpectum, vel ita ad ſe invicem referuntur, ut alterum, quatenus tale eſt, prorſus alterius eſſe dicatur, nempe Pater filii Pater, filius Patris filius, Dominus ſervi Dominus, ſervus Domini ſervus, & ſic deinceps. Atqve hæc ſunt quatuor illa oppoſitorum genera, quæ ita breviter, hoc loco pro ratione inſtituti noſtri & quantum ad id ſufficit, ut ex loco oppoſitorum ea, quæ multipliciter dicuntur, rectè diſtingvantur, definita ſint; nunc autem ipſa hujus loci præcepta, quæ à quatuor his generibus deſumuntur, aggrediamur.

LOCI I. AB OPPOSITIS, PARS I. A CONTRARIIS.

1. Si vocabulum aliquod *plura habet contraria, quæ & nomine & definitione differunt*, iſtud vocabulum æquivocum erit; v. c. acutum, duo habet contraria, cum de voce dicitur, grave, cum de magnitudine vel gladio, obtuſum, grave verò

verò & obtuſum tam nomine quam definitione differunt: inde acutum vox homonyma erit. Hinc & grave erit æquivocum, ſiquidem in voce contrarium habet acutum, in pondere verò leve; æquivocum etiam erit accidens, quia modò ipſi contrarium eſt proprium, modò ſubſtantia, quæ nomine & definitione differunt &c. Obtinet tamen hæc regula tunc ſolùm, *quando duo iſta contraria vocabulo* ὁλοκλήρως *ſeu omni ex parte opponuntur*, uti Alexand. Aphrod. obſervat, ſecus autem non valet; v. c. timiditas, utut ipſi opponatur & audacia & fortitudo, eapropter tamen vocabulum ὁμώνυμον non eſt, quia ipſi illa non omni ex parte opponuntur, ſed alterum ut medium, alterum ut exceſſus.

2. Si unum vocabulum *duo habet contraria, quæ definitione diſcrepant, nomine verò conveniunt*, tum vocabulum iſtud nihilominus eſt æquivocum, quamvis contraria ejus uno communi nomine dicantur; v. c. albo opponitur nigrum vel fuſcum, quod nomine quidem unum eſt, at definitione diſcrepat, & aliam habet, quando de voce dicitur, aliam verò quando de colore: levi opponitur grave, nomine unum, at definitione varium, quando de homine gravi & pondere gravi prædicatur: Ergo album & leve æquivoca erunt. Iterum obtinet hæc regula tunc ſolùm, *quando id quod vocabulo poſito contrarium eſt, duas habet definitiones, eatenus, quatenus illi contrarium eſt*, ſecus non valet; v. c. non ſequitur, nolo & volo

ſunt

ſunt contraria, volo autem definitione diſcrepat, quia ſignificat & volentem & volantem, ergò & nolo æquivocum erit: non enim volo & nolo contraria ſunt, quatenus volo volantem ſignificat, ſed eatenus ſolum, quatenus notat volentem.

3. Si vocabulum duo ſignificat, *quorum alteri aliquid contrarium eſt, alteri verò non eſt*, iſtud æquivocum erit; v. c. voluptas duo ſignificat, nempe voluptatem, quam percipimus bibendo, & eam, quam percipimus contemplando, cui priori contrarius eſt dolor ex ſiti, poſteriori verò nullus dolor contrarius eſt: ergo voluptas vox æquivoca erit. Sic & φιλεῖν duo ſignificat, amare & oſculari, quorum prius contrarium habet, nempe odiſſe, poſterius contrarium non habet: unde φιλεῖν vox ambigua eſt & multipliciter dicta.

4. Si duo aliqua vocabula contraria de aliquibus rebus dicuntur, *ita ut in unâ ſignificatione medium habeant, in alterâ verò non habeant*, aut in utraqve quidem ſignificatione medium habeant, *at iſtud unum & idem non ſit*, ea vocabula ambigua ſunt & æquivoca; v. c. clarum & obſcurum contraria ſunt & in unâ ſignificatione de voce, in alterâ de colore dicuntur, in hac poſteriori ſignificatione medium habent, quia inter colorem clarum & obſcurum medius eſt color ille, quem pictores pallidum vocant, in priori ſignificatione medium non habent, quia inter vocem claram & obſcuram nullum interjacet medium

medium: ac proinde clarum & obſcurum vocabula æquivoca erunt. Aut ſi in priori quoqve ſignificatione medium aliquod concedendum eſt, id raucum erit, vox rauca enim inter claram & obſcuram quibusdam interponi videtur; at verò raucum eſſe & pallidum eſſe differunt, & eapropter, quamvis fortè clarum & obſcurum in utraqve ſignificatione medium habeant, quia tamen medium iſtud unum idemqve non eſt, inde nihilominus clarum & obſcurum vocabula æquivoca dici oportebit.

5. Si duo aliqua vocabula contraria de quibusdam rebus dicuntur, *ita ut in unâ ſignificatione plura habeant media, in alterâ verò unicum ſolum*, ea vocabula homonyma ſunt & ambigua; v.c. clarum ſeu album & obſcurum ſunt contraria, quæ in una ſignificatione de voce dicuntur & unicum ſolùm habent medium, nempe vocem raucam, quæ inter claram & obſcuram interjacet; in alterâ ſignificatione dicüntur de colore, & plura habent media, nempe viride, rubrum, flavum &c. quæ media ſunt inter colorem clarum ſeu album & obſcurum ſeu nigrum: ergo clarum ſeu album & obſcurum vocabula multipliciter ac æquivocè dicta erunt.

LOCI I. AB OPPOSITIS, PARS II.
A CONTRADICENTIBUS.

Si *unum ex contradictoriis æquivocum eſt & ambiguum, tale quoq; erit & alterum*; v. c. quia

quia videns & videre dicitur ambiguè & de eo, qui ipso actu videt, & de eo, qui potentiam videndi habet, quamvis ipso actu non videat, quando nempe aut dormit, aut aliis rebus intentus est; ideo non videns & non videre quoqve multipliciter dicetur, & de eo, qui ipso actu non videt, quamvis potentiam videndi habeat, nempe de dormiente, & de eo, qui non potest videre, vel qui potentiâ videndi caret & propriè cœcus appellatur. Pariter cum videre dicatur & de corpore ac eo, qui oculos rectè sanos habet, & de animo atqve eo, qui sagacis est ingenii & facilè aliquid apprehendit ac intelligit; inde non videre etiam & de corpore atqve eo, qui oculos depravatos habet vel cœcus est, & de animo ac eo, qui stupidus est atqve mentem minimè promptam habet, dicetur ac proinde vox æquivoca erit.

LOCI I. AB OPPOSITIS, PARS III.
A PRIVATIVIS.

Si unum ex privativè oppositis, multis modis dicitur, etiam alterum tot modis dicetur; v.c. si visus dicitur & de corpore & de animo, uti ex præcepto præcedente constat, inde cœcitas quoqve & de corpore ac eo, qui propriè talis est, & de animo ac eo, qui parum aut nihil intelligit, dicetur ac æquivocis annumerabitur: scientia quoqve, quia dicitur esse vel ejus, an sit res aliqua, vel, quæ sit causa rei &c. inde ignorantia quoqve vel ejus erit, an sit res aliqua, vel erit ipsius causæ

rei &c. ac proinde pariter vox æquivoca dici debebit.

LOCI I. AB OPPOSITIS, PARS IV.
A RELATIS.

Ipſe Ariſt. *relatorum nullam facit mentionem*, quia par horum ac contradicentium & privativorum in inveſtigandis æquivocationibus eſt ratio, Alexand. Aphrod. tamen in Comment. p. 45. præceptum hoc ſupplet & exempla addit. Scilicet *ſi unum ex relatis multis modis dicitur, ambiguum erit & alterum*; v. c. ſi amabile dicitur & de honeſto & de jucundo & de utili, amor quoqve alius dicetur honeſtus, alius jucundus, alius utilis; & quia exſuperans dicitur vel quantitate, vel potentiâ, vel habitu, vel actione &c. etiam exſuperatum æquivocè & tot modis prædicabitur: quoniam etiam mobile, vel quantitate, vel qualitate, vel loco, vel aliis modis tale dicitur, inde & motus diverſis his modis ac proinde ambiguè dicetur.

LOCUS II. A CONJUGATIS ET CASIBUS.

Conjugata Ariſt. *l. 2. Top. c. 9.* definit eſſe ea, *quæ ſunt ex verbis ejusdem generis, ſeu quæ ab eodem nomine flectuntur*, ut juſtitia, juſtus, juſta, juſtè &c. quò etiam referuntur ea, *quæ efficiendi & conſervandi vim habent*, hæc enim conjugata eſſe dicuntur eorum, quorum ſunt efficientia vel conſervantia, ut v. c. ſalubria ſanitatis, ἐυεκτικὰ ſeu

ſeu ea, quæ firmam corporis conſtitutionem conſervant, εὐεξίας ſeu firmæ conſtitutionis &c. Latius autem patent & ad plura extenduntur Conjugata, quam *caſus*, qui ſub ipſis conjugatis, tanquam ſtrictius quid, continentur, & propriè ex veterum ſententiâ nihil aliud ſunt, quam *adverbia à nominibus deducta aut derivata*, v. c. juſtè, fortiter, pulchrè &c. quamvis hodiè aliter ferè & latius accipi ſoleat caſus à quibusdam pro omni eo, quod ab eodem nomine denominatur, & in totâ conjugatorum συζυγία vel conjugatione ac combinatione poni ſolet. Ab his itaqve Ariſt. pro inveniendis æquivocationibus tale deſumit præceptum:

Si caſus dicitur æquivocè, ambiguum quoq; erit nomen, à quo caſus iſte derivatur, & contra, *ſi nomen hoc ambiguum eſt, etiam caſus æquivocè dictus erit*; v. c. ſi juſtè aliquid fieri dicitur tripliciter, vel naturâ, vel lege, vel conſvetudine, juſtum quoqve totupliciter dicitur, & ſi ſalubre multis prædicatur modis, vel quia efficit ſanitatem, vel quia conſervat eam, vel quia auget, vel quia indicat &c. ſalubriter quoqve totidem prædicabitur modis, quod accommodatè eſt ad ſanitatem vel efficiendam, vel conſervandam, vel augendam vel indicandum &c. Ita porrò ex reliquis conjugatis quoqve homonymiam inveſtigare licet, ut, *ſi unum ex conjugatis multipliciter dicitur, etiam reliqua multipliciter dici* affirmemus, juxta vulgatum iſtud, *conjugata conjugatorum eſſe conſe-*

quentia; quæ tamen regula, utut forte ἔνδοξος fuerit, *univerſalis certè non eſt*, ſed aliquot patitur inſtantias, neqve valet in vocabulis πρὸς ἕν καὶ ἀφ᾽ ἑνὸς, ſeu ad unum & ab uno, quæ ſupra definita ſunt: cum non ſequatur, ſanum pluribus appellatur modis, vel quod efficit, vel quod ſervat ſanitatem &c, ut & bonum multipliciter dicitur, quod bonitatem vel habet, vel efficit, vel auget &c. ergo ſanitas quoqve & bonitas totupliciter dicentur, id enim aliter ſeſe habere, neqve tot eſſe ſanitatis ac bonitatis ſignificationes, cuivis patet.

LOCUS III. A CATEGORIIS ET GENERIBUS.

Quid categoria ſit, quidqve ſit genus, id ex *ſup. cap. II. §. 7. & 10.* jam conſtat; hoc loco Ariſt. quomodo ex iiſdem ambiguitas vocabulorum inveſtigari poſſit, ſequentibus regulis docet.

1. à categoriis vel generibus iis, *quæ aliud ſuperius ſupra ſe genus in prædicando non habent.* Si vocabulum aliquod plura ſignificat, *ita ut ſignificata hæc in diverſis ſint categoriis vel prædicamentis*, iſtud vocabulum æquivocum erit; v. c. bonum dicitur de Deo, qui, ſi λογικῶς conſideretur, eſt in categoriâ ſubſtantiæ, de mediocri, quod eſt in categoriâ quantitatis, de virtute, quæ eſt in prædicamento qualitatis, de exercitio corporis ad ſanitatem, quod eſt in categoriâ actionis, &c. ergo bonum πολλαχῶς λεγόμενον vel æquivocum erit. Conf. *lib. 1. Ethic. cap. 4.*

2. à ge-

2. à generibus *intermediis*, *quæ aliud quidem in prædicando genus supra se habent, attamen inter se collata, subalterna non sunt*, id eſt, ita ſe habent, ut alterum ſub altero non comprehendatur, quamvis utrumqve ſub alio ſuperiori exiſtat. Si vocabulum aliquod plura ſignificat, *quæ ad eandem quidem pertinent categoriam*, *attamen ad diverſa in eadem referuntur genera*, *quæ ſubalterna non ſunt*, aut quorum alterum ſub altero non continetur, iſtud vocabulum æquivocum erit; v. c. ὄνος vocabulum græcum ſignificat & aſinum & lapidem molarem, quorum utrumqve quidem ad eandem ſpectat categoriam, nempe ſubſtantiæ, alterum tamen alteri ſubalternum non eſt: inde græca iſta vox inter æquivoca numerari debet. Ita grus ſignificat & avem & machinam exſtruendis domibus aut ſublevandis oneribus aptam, quæ, utut ad eandam categoriam referri poſſint, ita tamen ſe habent, ut alterum altero non comprehendatur, neqve ὑπάλληλα ſint vel ſubalterna: quamobrem vocabulum iſtud æquivoce dicetur. Aries quoqve ſignificat ducem gregis, nec non machinam bellicam ad pulſandos muros à fabro quodam Tyrio inventam, *apud Vitruv. lib. 10. Architect. cap. 19.* quorum neutrum ſub altero continetur: quâ de cauſâ & hoc vocabulum homonymum erit.

3. ab eo, *quod generi eſt contrarium*. Si non ſtatim apparet, an vocabulum aliquod propoſitum talia ſignificet, quæ ad genera diverſa &

non ſubalterna ſpectant, reſpiciendum eſt ad ejus contrarium; *quod ſi enim contrarium ejus talia, quæ ad genera non ſubalterna pertinent, ſignificat, talia quoq; ſignificabit vocabulum propoſitum* ac eapropter æquivocum erit; v. c. ſit propoſitum vocabulum, obtuſum, de quo lateat, an res ad diverſa & non ſubalterna genera pertinentes ſignificet aut æquivocum ſit, inde inſpicio ejus contrarium, nempe acutum, & deprehendo, illud ſignificare aliquid & in voce, dicitur enim vox quædam acuta, & in ſapore, quia ſapor quoqve acutus vocatur, & in gladio ac figurâ, cum & figura acuta quandoqve nuncupetur: at vox, ſapor & figura, talia ſunt genera, quæ ſubalterna non ſunt, vel ſe invicem non comprehendunt ac proinde acutum vox æquivoca eſt, ac eadem de causâ obtuſum quoqve inter τὰ πολλαχῶς λεγόμενα referri debet.

LOCUS IV. À DEFINITIONE.

Definitio quid ſit *ſupra cap. II. §. 5.* jam dictum eſt; ex quâ tali modo æquivoca diſtingui poſſunt.

Si vocabulum aliquod multa ſignificat, & verò dubium eſt, an iſta ſignificet æquivocè & tanquam vox ambigua, an verò Synonymicè, id eſt, æqualiter & unâ eademqve ac homonymis contrariâ ratione, *definiendum eſt vocabulum iſtud junctum cum iis, quæ ſignificat;* hoc ubi factum eſt, auferendum eſt ex ſingulis illis definitionibus id,

id, quod rebus ſignificatis proprium exiſtit, atqve tum ſi id, quod in ſingulis definitionibus remanet, non fuerit unum idemqve, vocabulum propoſitum homonymum erit. v. c. ut appareat, an clarum, quando dicitur de homine, aquâ, & voce, ſit homonymum, definio prius vocabulum iſtud junctum cum ſuis ſignificatis, nempe hominem clarum, quod ſit animal rationis particeps, laudatum & pluribus notum, aquam claram, quod ſit ſubſtantia humida, viſui transparens, vocem claram, quod ſit ſonus ab animali prodiens, facilè perceptibilis; deinde ab his definitionibus removeo id, quod cuivis rerum ſignificatarum, ſcilicet & homini & aquæ & voci proprium ac eſſentiale eſt, nempe à primâ, animal rationis particeps, à ſecundâ, ſubſtantiam humidam, à tertiâ, ſonum ab animali prodeuntem, ac apparebit, id, quod remanet in his definitionibus, non eſſe unum idemqve: ex quo certo certius infertur, vocabulum, clarum, de his tribus æquivocè dici. *Non oportet tamen ipſas has definitiones, ex quibus hujus rei ratio deſumitur, æquivocas eſſe*, ſed ab omni ambiguitate liberas; ſecus enim idem aliquid in definitionibus remanere & vox nihilominus æquivoca eſſe poteſt; v. c. ſanum dicitur & de medicamento, quod definitur συμμέτρως ſe habere ad efficiendam ſanitatem, & de exercitio corporis, quod definitur συμμέτρως ſe habere ad conſervandam ſanitatem, & de pulſu, qui definitur

συμμέτρως ſe habere ad ſignificandam ſanitatem &c. ex quibus definitionibus, ſi quod cuiqve rei ſignificatæ proprium & eſſentiale eſt, abjiciatur, id quod remanet, unum eſt idemqve, nempe συμμέτρως ſe ad ſanitatem habere: quo tamen non obſtante, vox, ſanum, nihilominus eſt æquivoca, cum ipſum συμμέτρως ſeſe habere vel accommodatum eſſe ad ſanitatem æquivocè ac multis modis dicatur ac modò idem ſit, ac efficere ſanitatem, modò idem ac conſervare, modò idem ac indicare &c.

LOCUS V. A COMPARATIS.

• Comparata dicuntur, *quæ conferri inter ſe poſſunt ratione ſimilitudinis cujusdam, quam vel*
1. *æqualiter participant*, & eapropter *comparata paria* vocantur, ut fortitudo & liberalitas, quæ æqualiter ſunt virtutes, pater & mater, qui æqualiter ſunt honorandi, parricida & matricida, qui
2. æqualiter ſunt puniendi &c; *vel inæqualiter ac ſecundùm magis & minus*, quæ ideò *comparata imparia* dicuntur, ut duæ quædam urbes, quarum utraqve quidem & pulchra, & dives, & magna, & potens &c. eſt, at altera earum magis, altera verò minus talis, vel urbs & pagus, utrobiqve enim aliqua vitæ commoditas eſt, ibi verò major, hic minor &c. ex quibus patet, ea, *quæ propriè comparabilia ſunt, ad idem genus pertinere*, vel uno eodemqve genere ſive proximo ſive paulo remotiore contineri, ſecus enim ſi ad aliquod com-

commune genus nullatenus referri poſſent, etiam unam eandemqve ſimilitudinem propriè, ſynonymicè & verè, vel æqualiter, vel ſecundùm magis & minus, participare non poſſent. *Conf. lib. 7. Phyſic. c. 5. lib. 3. Polit. c. 12. & alia loca plura.* Modus autem inveniendi ex comparatis vocabulorum æquivocationes, is eſt, qui ſequitur.

Si vocabulum aliquod multa ſignificat, *quibus nec æqualiter, nec ſecundùm magis & minus convenit*, vel quæ ita ſe habent, ut ratione hujus vocabuli neqve æqualiter ſimilia dici, neqve ſecundum magis & minus comparari poſſint, iſtud vocabulum æquivocum eſt, minimè verò συνωνύμως prædicatur; cum *omne ſynonymum vocabulum prædicetur vel æqualiter*, quomodo v.c. circulus de omnibus circulis prædicatur ita, ut æqualiter circuli ſint, *vel ſecundum magis & minus*, quomodo duo parietes dicuntur albi ita, ut de albedine magis participet unus, alter verò minus. Hinc æquivocum vocabulum erit acutum, prout dicitur de voce, ſapore & gladio; hæc enim nec æqualiter acuta aut alterum ex his æqve acutum ac alterum, nec magis vel minus acuta appellari poſſunt, cum planè ineptum foret, ſi quis vel gladium & ſaporem, vel vocem & gladium ratione hujus tertii inter ſeſe comparare, & vel ſaporem gladio, vel gladium voce magis aut minus acutum dicere vellet: quâ de causâ clarum quoqve, prout de homine, voce & aquâ prædicatur, ut & candidum, quatenus dicitur de voce & veſtimen-

to, ac alia talia, æquivoca erunt. Quando autem antè dicebatur, *Synonyma interdum secundum magis vel minus comparari posse*, non putandum est, eo id fieri modo, quo vocabula æquivoca ab uno & ad unum secundum magis & minus prædicari solent; hæc enim ita secundum magis & minus dicuntur, ut id, quod secundum minus dicitur, sit impropriè tale & ab eo, quod secundùm magis dicitur, ita dependeat, ut nisi hoc sit, neqve ipsum illud esse possit, ut ex Ente, sano, medico & aliis hujusmodi communibus ad unum aut ab uno patet, cum è contrario in synonymis ita se non habeat, ut quando v.c. duo parietes albi, alter magis alter verò minus, dicuntur, aut duo gladii acuti, alter magis, alter minus, vocantur, tum paries minus albus & gladius minus acutus eapropter impropriè tales non erunt, neqve ita ab iis, quæ magis tales sunt, dependebunt, ut ipsi esse non possint, nisi & illi exstiterint: quanquam alii existiment, *hoc præcepto dialectico sub nomine Synonymorum ac eorum, quæ secundùm magis & minus dicuntur, etiam ipsa æquivoca vel communia ad unum & ab uno comprehendi*, sicuti contra aliquando nomine æquivocorum Synonyma intelliguntur. Conf. *lib. 7. Metaph. c. 9.* & alia loca plura.

LOCUS VI. A DIFFERENTIIS.

Differentia quid sit, dictum jam est, *supr. cap. II. §. 7.* nunc autem, quomodo ea ad invenien-

dam

dam homonymiam valeat, Ariſtoteles ſequentibus præceptis exponit.

1. Si vocabulum aliquod multa ſignificat, *quæ ſunt differentiæ diverſorum generum, quæ nec ſubalterna ſunt aut ſub ſe invicem comprehenduntur, nec ſub uno communi continentur genere*, iſtud æquivocum eſt & multiplicis ſignificationis; v. c. acutum ſignificat aliquid, quod eſt differentia vocis, alia enim acuta eſt, alia non eſt, & quod eſt differentia magnitudinis, cum & hæc alia acuta ſit, alia obtuſa, vox autem & magnitudo talia ſunt genera, quæ nec ſe invicem comprehendunt aut ſubalterna ſunt, nec ſub uno communi genere continentur: ergò acutum vocabulum æquivocum erit.

2. Si vocabulum aliquod talia ſignificat, *quæ nec ſub ſe invicem nec ſub alio communi continentur genere, & diverſis inſuper diſtingvuntur differentiis*, iſtud æquivocum eſt; v. c. color tribuitur & corpori & cantui & arti Rhetoricæ, ita, ut hi tres colores nec tanquam genera ſubalterna ſub ſe invicem, nec ſub alio communi comprehendantur genere, ac differentiis inſuper planè diverſis diſtinguantur, cum color in corpore differentias habeat, congregativum & disgregativum viſûs, at alias color in voce, alias iterum color, qui in figuris Rhetoricis invenitur: quâ de causâ colorem vocem æquivocam eſſe oportebit.

3. Si vocabulum aliquando ſignificat *ſpeciem*, aliquando verò *differentiam*, erit æquivocum,

cum, quia ſpecies differentia non eſt, uti ex definitionibus earum, *ſupr. cap. II. §. 7.* traditis patet; v. c. album dicitur & de colore & de corpore, quando de colore dicitur, ſpecies eſt, quando de corpore, differentia eſt: ergo vox homonyma erit. Tantùm de ſecundo Inventionis Organo, nimirum de diſtinctione eorum, quæ multipliciter & æquivocè dicuntur.

§. 4. Tertium inveniendorum argumentorum dialecticorum inſtrumentum eſt *inveſtigatio vel inventio differentiarum*; de quâ Ariſtoteles ſequentia tradit præcepta.

1. Inveſtigandæ ſunt *differentiæ in iis*, quæ ſunt ὁμογενῆ vel συγγενῆ, id eſt, *quæ ad unum genus referuntur* v. c. quid interſit inter caſum & fortunam, *lib. 2. Phyſic. c. 6.* inter liberalitatem & magnificentiam, *lib. 4. Ethic. c. 2. & 4.* inter juſtitiam univerſalem & particularem, *lib. 5. Ethic. c. 1. & 2.* inter ſapientiam & prudentiam, *lib. 6. Ethic. c. 7.*

2. Quærendæ etiam *ſunt differentiæ earum rerum, quæ ſunt* ἑτερογενῆ, id eſt, *quæ diverſis continentur generibus*, v. c. inter punctum & unitatem, *lib. 1. Poſt. Anal. c. 27. Conf. Philopon. Comment. 120. in h. l. lib. 5. Phyſic. c. 5. lib. 5. Metaph. c. 6.* ex quibus hæc ad numerum vel quantitatem diſcretam, illud verò ad magnitudinem vel quantitatem continuam ſpectat; inter ſenſum & ſcientiam, *lib. 2. de Anim. c. 5. lib. 3. c. 3. &c.*

3. Præcipua inveniendarum differentiarum

cura

cura poni debet in iis, quæ minus inter ſe diſcrepant aut valdè vicina ſunt, in his enim differentiam perſpicere difficilius & artis eſt; cum è contrario in rebus procul diſſitis easdem invenire facile ac nullius planè ſit artis: adeò ut inter equum v.c. & lignum, muſcam & elephantum & alia talia quilibet ruſticus differentiam invenire poſſit. Hæc quoqve de differentiarum inventione; de quâ Ariſtoteles vel eâ de causâ brevius hîc *lib. 1. Topic. c. 16.* agit, quia infra *lib. 7. Topic.* ex profeſſo & accuratius de iis locis, ex quibus diverſitates rerum dignoſci poſſunt, tractabit: quo loco fuſius præcepta huc facientia exponenda erunt.

§. 5. Quartum deniqve Inventionis Organon eſt *conſideratio ſimilitudinis*, de quâ Ariſt. *lib. 1. Top. c. 17.* agit, eamqve inveſtigandam eſſe dicit non tantùm in iis, quæ ſub uno eoqve proximo continentur genere, verùm in illis quoqve, quæ diverſi ſunt generis, intellige proximi & immediati; quod enim hîc *per res diverſi generis non eas intelligat, quæ planè ejusdem generis non ſunt*, vel ad unum aliquod commune genus referri nullatenus poſſunt, *ſed eas ſolùm, quæ utut ſub uno aliquo ſuperiori & remotiori ſint genere, immediato tamen & proximo genere differunt*, id ex exemplis ſcientiæ ac ſenſus, ut & oculi ac intellectus manifeſtum eſt, quæ hîc genere diverſa appellat, cum tamen proximo & immediato tantùm differant genere, univerſalius autem & remotius genus commune habeant; adeò ut ſi aliter hæc

verba

verba explicentur & per genere diverſa ea intelligantur, quæ nullo modo ac reſpectu unum commune genus agnoſcunt, inania futura ſint omnia Ariſtotelis de inveſtigandâ eorum ſimilitudine præcepta, cum vera & propriè dicta ſimilitudo aut comparatio inter ea, quæ omni etiam ſupremo & univerſaliſſimo genere differunt, non reperiatur, uti *ex §. præced. 3. loco V. à comparatis* conſtat. In his itaqve, quæ ratione modò dictâ, aut diverſi aut ejusdem ſunt generis, quomodo ſimilitudo inveſtiganda ſit, Ariſt. ſequentibus præceptis docet.

1. Si duæ propoſitæ fuerint res *diverſi generis*, inter quas quærenda ſit ſimilitudo, videndum eſt, *annon, quemadmodum una ex iis ſe ad aliam quandam habet, ita & altera ad aliam aliquam ſit comparata?* hoc enim ſi fuerit, ſimilitudo jam erit inventa; v. c. an ſcientia & ſenſus, quæ genere differunt, aliqua in re conveniant aut ſimilia ſint, ex tali analogiâ & proportione invenio, deprehendo enim, quod, quemadmodum ſe ſcientia ad ſcibile habet, ita quoqve ſe habeat ſenſus ad ſenſibile: quo ipſo ſimilitudo inter ſcientiam & ſenſum aperta eſt.

2. Si verò propoſitæ iſtæ diverſi generis res eodem modo *ad alia aliqua* ſe non habeant, videndum eſt, annon *in alio aliquo inſint eodem modo*, ita ut quemadmodum una ex iis eſt in uno, ita altera ſit in alio, hoc enim ſi ita fuerit, iterum ſimilitudo in promptu erit; v. c. ſi inveſtigandum

dum eſt, an oculus & mens ſint ſimilia, videndum eſt, quomodo utrumqve alii alicui inſit, & deprehendetur, quod, quemadmodum oculus eſt in corpore, ut ſcilicet dirigat illud ejusqve greſſus, ita mens ſit in animâ: quo ipſo jam inventa erit ſimilitudo.

3. Inquirendæ ſunt ſimilitudines non tantum earum rerum, quæ vicinæ ſibi ſunt & propinqvæ, *ſed & earum, quæ remotius inter ſe diſtant*, quarumqve aliàs & multæ & magnæ ſunt diſſimilitudines; v. c. quæ ſit ſimilitudo inter motum & quietem, actionem & paſſionem, &c. ſicuti enim in his differentiam invenire facillimum eſt & nullius artis, *Vid. §. præced. n. 3.* ita contrà ſimilitudinem earum perſpicere difficillimum eſt & illi tantùm integrum, qui certis regulis ac præceptis inſtructus eſt: quibus ſeſe prius in his remotioribus & difficilioribus exercere debet, ut deinceps rerum magis affinium ſimilitudines eò promptius invenire poſſit.

4. Si verò res propoſitæ, quarum ſimilitudo inveſtiganda eſt, *ſub eodem continentur genere*, videndum eſt, *annon res iſtæ communia aliqua habeant prædicata*, quot enim prædicata communia fuerint reperta, tot quoqve ſimilitudines inventæ erunt; v. c. platanus, ficus & vitis communi gaudent prædicato, quod eſt habere folia tenuia & lata, ac proinde decidua, in quo eapropter ſimilitudo earum conſiſtit: fortitudo & juſtitia communia habent prædicata, nempe, quod

quod utraqve ſita ſit in mediocritate, quod utriusqve finis ſit honeſtas, quod utraqve acquiratur crebris exercitiis, quod utraqve habeat oppoſitum excesſum & defectum &c. in quibus ſimilitudines harum virtutum poſitas eſſe, cuivis patet.

§. 6. Atqve hæc ſunt quatuor illa inveniendorum argumentorum dialecticorum organa, quorum *quot ſint utilitates*, quantusqve in diſputando uſus, *lib. 1. Top. c. 18.* Philoſophus enarrat; ita tamen, ut *primi Organi*, nempe *ſumptionis propoſitionum* nullam prorſus faciat mentionem, quia utilitates ejus admodum manifeſtæ ſunt, cum propoſitiones ſint partes & materia Syllogiſmorum & proinde propoſitionum copia etiam Syllogiſmorum generet copiam: cui illud etiam adde, quod poſteriora tria organa ad primum hocce reducantur, uti *ſupr. ex §. 1.* patet, ac propterea, ſi trium iſtorum utilitates rectè fuerint propoſitæ, primi quoq; uſus latere amplius non poſſit. Quod itaqve *ſecundum Inventionis Organon* concernit, nempe *diſtinctionem eorum, quæ multipliciter dicuntur, utile illud eſt (1.) ad evidentiam & perſpicuitatem*, quia homonymiâ vocum cognitâ, facilius intelligitur, quid ſit id, de quo diſputatur; cum è contrario æquivocatio impediat diſputantes & conturbet, ut ſæpè ſine adverſario & cum larvis pugnent: unde ipſe Ariſt. quando contra alios diſputat, vocabula prius diſtinguit, quod obſervat in vocabulo Entis, *l. 1. Phyſ. c. 2. & 3.* Vacui, *lib. 4. Phyſic. c. 8. & 9.* ac in aliis vocabulis

alibi

alibi paſſim. (2.) *Utile etiam eſt ad evitandas* λογομαχίας, ne diſputantes, quando de ipſis rebus ſoliciti eſſe debent, concertent Sophiſtarum more de ſolis vocabulis, quod facilè fieri poteſt, ſi vox æquivoca non fuerit diſtincta, ſed in alio ſenſu ab interrogante, in alio autem à Reſpondente accipiatur. *lib. Sophiſt. Elench. c. 10.* (3.) Diſtinctio æquivocorum facit, *ut tuti eſſe poſſimus à captioſis aliorum argumentationibus*, quas per diſtinctionem vocabulorum ſolvere facillimè poterimus; quinimò ad id quoqve conducit, *ut alios, ſi ita res poſtulet nobisq; placeat, circumvenire iisq; illudere poſſimus:* ubi tamen duplicem obſervari cautionem oportebit. Altera eſt, hanc utilitatem *non ubiq; , ſed in iis ſolum valere homonymis, quorum altera ſignificatio propoſitionem veram producit, altera falſam,* ſecus enim, ſi utraqve ſignificatio propoſitionem reddat veram, nec circumvenire quis alium, nec circumveniri ab alio poteſt; v. c. Ajax vox æquivoca eſt & modò filium Telamonis, modò autem Oilei ſignificat, unde ſi ita dicatur: Ajax fuit in exercitu Græcorum ad Trojam, nec circumvenire quis poteſt, nec circumveniri, quia de utroqve Ajace hoc verum eſt: at verò ſi ita dicatur: Ajax monomachiâ congreſſus eſt cum Hectore, & fallere quis poteſt & falli, quia hoc ſolùm verum eſt de Ajace Telamonio, de Oilei filio autem falſum. Altera eſt, *non temere alios eſſe fallendos*, cum id non Dialectici proprium ſit, ſed Sophiſtæ; neqve adhiben-

dum esse captiosum talem disputandi modum; nisi fortè cum contentioso aliquo & victoriæ gloriæqve cupido res sit, cujus ars aliquando contrariâ arte deludi potest, aut nisi res fuerit cum discipulo, cujus profectus & eruditionem tali ratione tentare & examinare licet, aut nisi id fiat recreandi animi exercendiqve ingenii gratiâ inter bonos & amicos, quod Athenis olim Veteres in Saturnalibus fecisse, ex *A. Gell. lib.18. Noct. Attic. cap.2. & 13.* scimus. Porrò *tertium Inventionis Organon, Inventio Differentiarum*, facit (1.) *ad extruendos tales Syllogismos, quibus, aliqua eadem vel diversa esse, probare volumus;* inventis enim differentiis, talium quoqve Syllogismorum copia parata erit. (2.) Conducit etiam *ad rerum essentiam rectè cognoscendam*, vel ad definitiones feliciter constituendas: has enim ex differentiis constitui oportet. *lib.1. Top. c.8. lib.7. Metaph. c.12.* & alibi passim. (3.) Alexander *in Comment.* utile quoqve esse dicit hoc organon *ad constituendas diversas sub uno genere species;* has enim per differentias constitui certum est: quem usum ipse etiam Arist. adhibuit in constituendis animalium speciebus, quando alia dicit esse sangvinea, alia exsangvia, alia solidungula, alia fissungula &c. Vide plures differentias ab ipso inventas *libb. de partibus animal. & lib.1. Hist. Anim. cap.1.* (4.) Inventio differentiarum, ut iterum addit Alexander, utilis est *ad objiciendas instantias contra inductionem* ab adversario contra nos allatam; quia si cogno-

gnoverimus, quæ intercedant differentiæ inter ea, quæ in inductione ſumpta ſunt, negare poterimus, eandem eſſe omnium rationem: quo ipſo omne inductioni probandi robur ademptum erit. Tandem *quartum inventionis organon, Conſideratio ſimilitudinis*, conducit (1.) *ad univerſale aliquod ex multis ſimilibus particularibus colligendum*, vel ad inductionem conſtituendam, quam non tam facilè conſtruere poterunt illi, qui rerum particularium, quas inter ſe habent, ſimilitudines ignorant: cum omnis inductio ex iis, quæ ſimilia & eodem modò affecta ſunt, progrediatur, uti *ex cap. præced.* §. *8.* & *9.* conſtat. (2.) Multum etiam facit conſideratio ſimilitudinis *ad Syllogiſmos hypotheticos efficiendos*, qui ex hypotheſi vel conditione concludunt; v. c. ſi vel ex conceſſione adverſarii, vel ex ipſius rei evidentiâ, ponatur talis hypotheſis vel conditio, omnium oppoſitorum eandem eſſe rationem, & quicquid de unâ oppoſitione probatum fuerit, valere in omnibus, tum ſi probare volo, omnium oppoſitorum eſſe eandem ſcientiam, transfero quæſtionem & concluſionem hanc principalem atqve generalem ad hæc vel illa ſingularia oppoſita, nempe ad ſalubre & inſalubre, & hæc ad unam pertinere ſcientiam probo: hoc enim quando probatum eſt, ſimul etiam principalis illa & generalis quæſtio probata erit, ſcilicet omnia oppoſita ad eandem ſcientiam pertinere, ex poſitâ ante hypotheſi, quâ omnium oppoſitorum una eſſe ratio, & quicquid in uno

valet, etiam in omnibus valere dicebatur. Sic & Aristoteles pari ratione, ex hac hypothesi, omnium stellarum eandem esse figuram, hanc quæstionem: an omnes stellæ sint rotundæ? transfert ad hanc: an Luna sit rotunda? hanc enim rotundam esse alio Syllogismo directè probat, atqve eo ipso, vi hypotheseos anteà positæ, concludit, omnes stellas globosas & rotundas esse, *Lib. 2. de Cœl. Cap. 11.* de quibus syllogismis hypotheticis, qui aliis etiam quandoqve nominibus dici solent, in Analyticis ex *lib.1. Prior. Anal. c.23. & 44.* pluribus agendum erit, nunc verò id tantùm monuisse sufficiat, ad eosdem conficiendos multùm juvare similitudinis considerationem, quia tota eorum vis in nullô alio, quam in supposita earum rerum, de quibus quæstio est, similitudine consistit, quæ num vera sit, an autem apparens tantùm, non judicabit facilè aliquis, nisi in hoc inventionis organo probè exercitatus. (3.) Utilis quoqve est similium contemplatio *ad colligendas rerum definitiones*; Si enim duæ res propositæ fuerint, *quæ forte ad unum referendæ sint genus*, quodnam genus illud sit, non difficulter investigabitur, si similitudines inter duas istas res spectentur, ex quibus ea, quæ quid res istæ sint, maximè significat, genus erit, uti ex definitione generis constat, v. c. fortitudo & justitia similes sunt, quia utraq; consistit in mediocritate, utraqve est honesta, utraqve est in appetitu sensitivo, utraqve est habitus & virtus &c, ex quibus omnibus cum ultima similitudo,

do, nempe virtus maximè ſignificet, quid fortitudo aut juſtitia ſit, inde ea genus continebit, atqve ita prima definitionis pars jam inveſtigata erit. Si verò tales res propoſitæ fuerint, *quæ ad unum genus commodè referri non posſunt*, aliqua tamen inter illas invenienda eſt ſimilitudo, ex quâ deinceps definitio vel aliqualis ſaltem deſcriptio conſtrui poterit; v.c. tranquillitas in mari & ſerenitas in aëre, aliquâ in re ſibi ſimiles ſunt, cum utraqve quies aliqua dici poſſit, quam ſimilitudinem ſi accipio pro genere & addo ipſum ſubjectum loco differentiæ, jam habebo aliqualem utriusqve definitionem, nempe tranquillitatis, quod ſit quies maris, & ſerenitatis, quod ſit quies aëris. Tantum de mediis Inventionis & de libro primo Topicorum: nunc de ipſis locis Dialecticis, ad quorum uſum hæc Inventionis Organa accommodata ſunt, agendum erit.

LIBER SECUNDUS.

DE LOCIS ACCIDENTIS SIMPLICIS.

ANtequam autem ipſos Accidentis ſimplicis locos recenſeamus, notandum eſt, eâ de causâ *problema accidentis primo loco ab Ariſtot. tractari*, quia communiſſimum eſt & latius extenditur, quam reliqua omnia, ut & quia ſimplicisſimum eſt omnium; cum enim genus, proprium & definitio ac problemata

hinc desumpta definiantur per certum aliquem modum ac singularem quandam rationem, quâ alterum alteri inest, è contrario accidens simpliciter & sine ullâ additâ restrictione per solum inesse definitur ac eapropter & simplicius quid est reliquis, quia sine omni restrictione simpliciter inest, & est communius quid, quia plura insunt rebus simpliciter & absolutè, quàm cum tali vel tali limitatione: unde problemata accidentis quoq; reliquis problematibus & simpliciora & communiora esse, atq; ita primo omnium loco tractari oportebit. Sunt autem problemata Accidentis *alia universalia*, v.c. an omnis vel nulla voluptas sit bona nec ne? *alia particularia*, v.c. an quædam voluptas bona, quædam verò non bona sit, necne? quod vel eâ de causâ hîc admonetur, quia *in reliquis problematibus, etiamsi signum universale non addatur, universalis tamen oratio semper locum habet*, v.c. homo est animal, virtus est laudabilis, binarius est numerus primus parium &c. idem valet, ac omnis homo est animal, omnis Virtus est laudabilis, omnis binarius est numerus primus parium &c. quæ ratio in accidente atqve inde desumpto problemate non semper locum habet. Sed ideò quoqve problema accidentis à reliquis problematibus differt; quia *in his obtinet conversio καθ' οἰκείαν ὀνομασίαν ac à commutatâ dicendi ratione desumpta appellatio*, ita ut ex his propositionibus, animal inest homini, laudabile inest virtuti, esse pedestre bipes inest homini, rectè inferre possim,

possim, ergò homo simpliciter est animal, virtus simpliciter est laudabilis, homo simpliciter est pedestre bipes &c: *cum in accidentibus talis consequentia non valeat*, sed ea sæpè parti tantùm insint, non autem semper toti ac absolutè, ut inferri non possit, Æthiopi inest candor, ergo Æthiops simpliciter candidus est. Porrò cum accidentis & reliqua problemata omnia ventilentur ex locis Dialecticis, notandum est, *locum*, definiente ita Alexandro, *esse principium & occasionem* ἐπιχειρήματος *vel Syllogismi dialectici*, nihilqve aliud intelligi per locos quàm *axiomata & effata dialectica*, v. c. contrariorum contraria sunt consequentia, qualis causa talis effectus &c. quæ effata aliàs ipso ἐπιχειρημάτων vel syllogismorum dialecticorum nomine appellari solent, quia principium continent & occasionem syllogismorum dialecticorum vel ἐπιχειρημάτων, uti modò dictum est, in quâ significatione vocabulo loci Aristotelem usum esse deprehendimus: Cicero autem locos non accepit pro ipsis modò dictis effatis & propositionibus universalibus dialecticis, sed *pro titulis & indicibus istorum effatorum* vel propositionum, qui tituli & indices aliàs παραγγέλματα vocari solent, secundum quos ex effatis illis, aliud à genere, aliud à differentiâ, aliud à simili, aliud à corrumpentibus &c. inscribi svevit. Sunt autem *loci dialectici* non uniusmodi, verùm *alii ad confirmandum, alii ad refutandum* valent,

alii ad universale aliquod genus examinandum, *alii ad particulare* tantùm conducunt; ex quibus primo loco tractandi sunt ii, qui ad universale genus faciunt, horum enim latior est usus, quam eorum, qui particulari quæstioni inserviunt: quia qui universale vel confirmat vel confutat, etiam particulare vel confirmat vel confutat, non autem contra: ex iis verò præmittendi sunt loci confutantes, illis, qui ad confirmandum valent, frequentior enim iterum confutantium quam confirmantium usus est, & Dialectici primarium officium est, ut ea, quæ ab adversario dicuntur, evertere possit. Tandem cum *in problematibus duplici ferè modo peccari possit, vel in reipsâ*, quando id quod est, non esse, vel id quod non est, esse dicitur ac proinde falsum pronunciatur; *vel in verbis*, quando quis in disputando inusitatis, æquivocis ac obscuris utitur nominibus, contra communem dicendi usum: inde *loci* quoqve, ex quibus problemata ventilantur, *alii ad examinanda vocabula* in problematibus posita, *alia ad res ipsas* in problematibus significatas pertinent, qui omnes in Aristotele sequenti ordine describuntur.

Locus 1. *à distinctione attributorum.* Si thesis aliquid inesse dicit alteri, ut accidens, videndum est, *annon insit alio aliquo modo*, nempe ut genus, vel proprium, vel definitio; id enim si deprehenditur, thesis refutata erit, cùm quod tali modo inest, accidens esse non possit, ideo, quia accidens nec genus est, nec proprium, nec definitio

tio, uti ex definitione ejus *lib. 1. Dial. cap. 2. §. 8.* patet. v.c. Si quis dicat, colorem inesse albedini ut accidens, vel colorem accidere albedini, refutari ex hoc loco poterit, quia color convenit albedini, ut genus, ac propterà accidens ejus non est; quamvis enim color, si ut universale aliquod vel sub ratione universali accipiatur, albedinis accidens dici possit, prout *lib. 2. Top. c. 3.* etiam triangulo æquilatero, triangulum esse, accidere dicitur: si tamen simpliciter, non præcisè sub ratione universali, vel quatenus universale quid est, sed quatenus est notio talem quandam rem significans absolutè sine ullâ vel universalitatis vel particularitatis conceptione consideretur, utiqve in quid est de albedine dicitur & ad essentiam ejus pertinet, ac eà de causâ accidens ejus dici non potest. Vid. *Alexandr. lib. 1. Nat. Quæst. c. 11.* Refutari autem ex hoc loco non ea tantùm thesis potest, quæ apertis verbis, colorem albedinis accidens esse dicit, *sed ea quoq;, quæ illud dicit tectè*, quod fit, si coloratum παρωνύμως de albedine enunciet, vel albedinem coloratam esse asserat; non enim coloratum pro genere hîc accipi poterit, quia paronymum est & paronymicè prædicatur, cum nullum genus paronymicè, sed omne synonymicè de speciebus dicatur, neqve tali pacto albedo colorata, sed color dicenda foret, vid. *l. 2. Top. c. 2. l. 4. c. 3. & 6. ac alibi passim*, nec pro proprio aut definitione sumere istud licebit, cum hæc ad plura non extendantur, coloratum esse verò utiqve plura

quam ſolam albedinem comprehendat: quâ de causâ, cum præter genus, proprium & definitionem nihil ſuperſit, quod hîc intelligi poſſit, quam accidens, patet, ante poſitam theſin aliter quam de accidente explicari non debere atqve adeò ex præſente loco, pariter, ac ſi apertis verbis colorem albedinis accidens esſe dicat, refutandam eſſe. Pari jure ex hoc loco refelli poſſunt, qui dicunt v. c. vocem eſſe ſonoram, febrem incaleſcere, emptionem contrahi &c. quales locutiones tamen ſæpè in Scriptis Doctorum etiam virorum, præprimis apud Platonem quoqve paſſim reperiuntur.

2. *à diviſione ſubjecti.* Quando theſis prædicatum aliquod ſubjecto alicui univerſaliter ineſſe dicit, *dividendum erit ſubjectum iſtud in ſpecies, & videndum, an prædicatum iisdem conveniat, nec ne?* ſi enim aut nulli ſpeciei convenit, aut ſaltem alicui non convenit, theſis refutata erit; v. c. ſi theſis fuerit, omnem arborem tempore autumni mittere folia, dividenda erit arbor in ſuas ſpecies, usqve dum ad abietem, juniperum & alias tales perveniatur, quæ cum folia tempore autumni non amittant, patet, theſin falſam eſſe. Pari pacto, ſi theſis dicit, prædicatum nulli ineſſe, vel ſubjecto alicui univerſaliter non ineſſe, ſimiliter ſubjectum dividendum in ſpecies, & an prædicatum iſtud aut iis omnibus, aut alicui ſaltem inſit, videndum eſt, id enim ſi fuerit, theſis rurſus refutata eſt; v. c. ſi theſis dicit, Nullum corpus eſſe incorruptibile, divide corpus in ſuas ſpecies, donec

donec ad cœlum usqve perveneris, quod cum ſit incorruptibile, theſis falſa erit. Non tantum autem ad refellendum hic locus valet, *ſed & ad confirmandum*; ſi ſcilicet ſubjectum in ſpecies dividatur, & prædicatum in theſi poſitum omnibus ac ſingulis ſpeciebus aut pluribus ſaltem ineſſe oſtendatur: eo ipſo enim theſin abundè confirmatam habebis.

3. *à definitione ſubjecti & prædicati.* Si theſis aliquid alicui ineſſe dicit, aut utrumqve, ſubjectum nempe & prædicatum, aut alterum ex his tantum, prout res ipſa poſtulaverit, definiendum eſt, & *an definitio prædicati conveniat ſubjecto vel ejus definitioni, aut ſubjecti definitio conveniat prædicato, vel ejusdem definitioni*, videndum eſt; ſi enim conveniat, confirmata eſt theſis, ſi non conveniat, refutata. v. c. Si theſis fuerit, ſapientem eſſe Invidum, Tyrannum eſſe felicem &c. definienda eſt invidia, quod ſcilicet ſit ægritudo ex rebus ſecundis boni alicujus & virtuoſi viri, ex quâ definitione jam patet, invidiam non ineſſe Sapienti, vel ſapientem non eſſe invidum, quia ſimul improbus eſſet, quod Sapienti verè tali repugnat: ſic & in alterâ theſi definiendum eſt & ſubjectum, Tyrannus, quod ſit, qui aliis invitis contra jus & fas in propriam utilitatem imperat, & prædicatum, felix, quod ſit, qui in perpetuo virtutis & probitatis exercitio nihil contra jus & fas committit, & omnibus animi, corporis ac fortunæ bonis abundat, quæ definitiones cum ſibi invicem non conveniant, theſin falſam eſſe oportebit. Sit

porrò

porrò thesis, animam esse immortalem, definio prædicatum, immortale, id esse, quod nullâ naturali potentiâ ab esse suo ad non esse, vel ut non sit, redigi potest; quæ definitio, cum animæ nostræ ex asse competat, utiqve anima immortalis & thesis vera ac confirmata erit.

4. *ab instantiâ.* Cum thesis aliquid alicui universaliter inesse, vel non inesse dicit, videndum est, *an aliquid afferri possit loco instantiæ*, in quo quod universaliter inesse dictum est, non insit, aut quod universaliter non inesse dictum est, insit, id enim si fieri potest, thesis refutata est; v. c. dicat thesis, omne animal movere mandibulam inferiorem; quærendum est animal, quod non moveat inferiorem mandibulam, ut Crocodilus, qui movet superiorem: quo ipso posita thesis eversa erit. Hic *locus differt à loco secundo*, quia secundus & ad confirmandum & ad refellendum, hic autem solùm ad refellendum valet; secundus iterum ex divisione universalis & singulorum inferiorum consideratione, hic verò ex quacunqve re dissimili destruit universalem thesin.

5. *à judicio vulgi & sapientum.* Quando thesis aliquid alicui inesse dicit, videndum est, *an verba in illâ posita sint ad captum vulgi, res ipsa verò & sententia theseos ad Sensum Doctorum & Sapientum*; si enim utrumqve horum ita se habeat, thesis confirmata, si autem aut utrumqve aut alterum solùm aliter se habeat, refutata erit: *loquendum namq; est cum vulgo, at sentiendum cum*

cum eruditis, v. c. vocabulis justi, salubris, &c. utendum est in eâ significatione, quâ iisdem vulgus utitur, at verò res ipsa, quid scilicet salubre huic vel illi sit, quid in Republicâ justum vel injustum sit &c. non amplius judicanda est ad vulgi judicium, sed eam ad Sapientum sententiam examinari oportet. Hinc ex sequentibus thesibus, Pisces respirant, voce respirationis, pro qualicunqve corporis infrigidantis attractione, sumptâ; Anima est mortalis, vocabulis his in consvetâ significatione acceptis; Divitiæ postponendæ sunt virtuti, in significatione iterum à vulgo receptâ; prima quidem refelli ex hoc loco potest, quia abit à positâ significatione vocum & consvetâ dicendi ratione vulgi, quod respirationem non appellat qualemcunqve attractionem corporis infrigidantis, sed præcisè attractionem aëris per pulmones & arteriam, quæ cum in piscibus non sit, falsa est thesis: secunda porrò inde refutatur, quia utut nominibus utatur in positâ vulgo significatione, in ipsâ tamen re à judicio omnium in universum Sapientum abit, & sententiâ abjecti vulgi, quod vel in voluptate vel divitiis beatitudinem suam quærit, nullamqve animæ immortalitatem credit, nititur, ac proinde meritò pro ineptâ & falsa habetur: tertia vero confirmari ex hoc loco potest, quia cum vulgo loquitur & vocabula in positâ & consvetâ accipit significatione, in reipsâ autem cum Sapientibus & doctis sentit, qui contra opinionem vulgi Virtutem divitiis anteponunt.

6. *ab*

6. *ab homonymiâ vocum*. Quando thesis, quæ aliquid alicui inesse dicit, vocabulum continet æquivocum & ambiguum, tum *si secundùm omnes vocis istius significationes refelli thesis non possit, in eam significationem dirigenda est disputatio, in quâ adversus thesin argumenta suppetunt*; v. c. si thesis dicat, voluptatem esse bonam, cum voluptas dicatur & de purâ istâ animi voluptate & de illicitâ corporis voluptate, quæ in nimio veneris usu sita est, inde, quia voluptate in priori significatione sumptâ, nullum adversus thesin suppetit argumentum, ad secundam vocis significationem thesin transfero, in quâ eam falsam esse probatu facillimum erit, quia talis scilicet voluptas contra naturam est, quia inhonesta est, quia varios inducit morbos &c. ac eapropter bona dici minimè potest. *Non oportet autem æquivocationem hanc esse nimis evidentem*, secus Respondens statim excipiet, & dicet, se non locutum esse in thesi de eâ significatione, quam interrogans impugnat, sed de aliâ quadam; v.c. si in thesi dicat, nullum animal esse inanimatum, parum juvabit, si animal accipiat interrogans in aliâ significatione, pro picto animali atqve illud animâ carere ostendat: statim enim respondens excipiet, se non de hac sed propriâ animalis significatione locutum esse & animal pro vivente non picto animali sumpsisse. Si verò obscurior sit æquivocatio, quam ut à quovis animadverti queat, *valet hic locus non ad refutandum solùm*, ut hac-

tenus ostensum, *sed & ad confirmandum*; docebimus enim, thesin, si in utraqve significatione non possimus, in alterâ significatione esse veram, & dicemus, in hac significatione & nullâ aliâ nos eam intellexisse, quo ipso thesis jam confirmata erit: plenissimè verò confirmabitur, si secundum omnes vocis significationes prædicatum subjecto inesse ostendere possimus, v. c. si virtutem esse utilem, de quacunqve virtutis significatione, & de virtute naturali, & morali & intellectuali & aliâ quavis, verum esse doceamus.

7. *ab amphiboliâ, quæ est ambiguitas orationis, non ex æquivocatione unius aut alterius vocis sed ex constructione vel collatione vocabulorum, etiamsi idem planè significantium, orta.* Cum thesis aliquid alicui inesse dicit, tali oratione, quæ ambigua est *& uno sensu vera, altero falsa, vel neutro vera, sed utroq; falsa*, thesis falsa & refutata erit; v. c. dicat thesis aliqua, Rhetoricam esse justi & injusti scientiam, oratio hæc duplicem habet sensum, significat enim, Rhetoricam esse justi & injusti scientiam vel ideò, quia justum & injustum est finis Rhetoricæ, vel quia Rhetorica est causa efficiens justi & injusti: at neutrum Rhetoricæ competit ac proinde nec ea justi & injusti scientia dici poterit, sed thesis falsa erit. Rursus autem, ut in loco præcedente, ita & hîc observandum est, *an amphibolia nimis aperta sit*, tum enim iterum statim Respondens excipiet, ut supra, & de aliâ, quam quæ impugnata est, oratio-

orationis ſignificatione ſe locutum eſſe dicet; *ad confirmandum quoq; valet hic locus*, ſi ſcilicet ambiguæ orationis non omnes afferamus ſignificationes, ſed eas ſolùm, in quibus theſis vera eſt, quemadmodum *ad refellendum valet*, ſi eas afferamus, in quibus falſa eſt: v. c. ſi hæc theſis fuerit, conſiderationem coloris ad medicinam pertinere, refelli ea ex hoc loco poteſt, ſi dicatur, ſignificari hac oratione, colorem conſiderari à Medico, vel quia finis ejus eſt, vel quia medium eſt ad finem ducens, quorum neutrum cum de colore dici poſſit, tractatio ejus ad medicum non pertinebit, ac proinde theſis refutata erit; confirmari verò ea poterit, ſi dicatur, oratione hac indicari, colorem tractari à Medico eatenus & ideò, quatenus ac quia eſt ſignum ſanitatis, quatenus ac quia de mutatione morbi quandoqve teſtatur &c. quod cum colori ex aſſe competat & Medici quoqve, ut hoc ſciat, interſit, patet colorem à Medico conſiderandum, atqve ſic theſin confirmatam eſſe.

8. *à mutatione nominis.* Si theſis aliquid alicui ineſſe dicit, nomine obſcuro & ignoto, tum *nomen iſtud in notius & evidentius commutari debet*, ut ita theſis facilius tractari & vel *confirmari* vel *refutari* poſſit; v. c. ſit hæc theſis confirmanda, Metaphyſica conſiderat Deum, id ut fiat, commuto obſcurius nomen Metaphyſicæ, in evidentius nomen Sapientiæ, quæ cum *lib. 6. Ethic. c. 7.* definiatur eſſe ſcientia rerum naturâ

ſuâ

ſuâ honorabiliſſimarum, ſtatim apparet, Metaphyſicam conſiderare debere Deum, quippe qui omnium rerum ac ſubſtantiarum honorabiliſſima exiſtit. Pariter ſi theſis refellenda hæc fuerit, paupertas eſt mala, pro voce mala propter ambiguitatem admodùm obſcurâ, ſubſtituatur vox evidentior, nempe vitioſa vel flagitioſa, quod enim tale eſt, propriè malum dicitur, & apparebit, theſin falſam eſſe ac refutatam, cum paupertas in ſe flagitioſa non ſit, quamvis alio ſenſu mala, nempe calamitoſa dici poſſit.

9. *à genere Subjecti.* Cum theſis alicui rei contraria ineſſe dicit, tum ad rei iſtius genus reſpiciendum eſt, *quod ſi genus contraria illa recipit, etiam ipſi rei in theſi poſitæ contraria iſta inerunt, ſi verò generi ea non inſunt, nec rei ac ſpeciei in theſi poſitæ inerunt;* v. c. ſi theſis ſit, ſentire aliquem poſſe & rectè & non rectè, aut, ſcientiam aliam eſſe bonam, aliam malam, &c. reſpicio ad genus ſubjecti, nempe ad judicare, quod eſt genus, reſpectu τȣ̃ ſentire, & ad habitum, qui eſt genus ſcientiæ, & video, an generi huic contraria in theſi dicta inſint? deprehendo autem quod ſic, quia & judicare rectè ac non rectè posſumus & præterea habitus alius bonus, alius malus datur: quâ de cauſâ contraria hæc & ſpeciei in theſi poſitæ inſunt, ac utraqve theſis confirmata eſt. Si verò hæc ſit theſis, liberalitatem aliam expetendam eſſe, aliam fugiendam; videndum eſt, an generi liberalitatis, ſcilicet virtuti morali,

hæc contraria insint? cui cum planè non conveniant, quia omnis virtus expetenda est, nulla verò fugienda, inde neqve liberalitati hæc contraria adscribi poterunt, sed thesis falsa & refutata erit. In confirmando tamen hic locus non semper valet, quia non semper, quæ de genere dicuntur, speciei quoqve statim conveniunt, nisi ad essentiam rei per genus significatæ pertineant: tum enim cuivis speciei ea competere oportet.

10. *à specie subjecti.* Quando thesis alicui rei contraria inesse dicit, *tum ad rei istius speciem respiciendum est*, cui si contraria ista insunt, & rei isti inerunt ac thesis confirmata erit, si verò speciei non insunt, nec rei in thesi positæ inerunt ac thesis refutata erit; quod ex exemplis in priori loco positis, si ea solummodò invertantur & in thesi loco speciei ipsum genus ponatur, manifestum est. Hic locus, *utut in confirmando semper obtineat, in refutando tamen non semper valet;* quia non statim, quicquid non convenit speciei, ipsi quoqve generi non convenit; cum homini non conveniat, esse rationale ac irrationale quid, quæ contraria tamen generi, nempe animali utiqve insunt, neqve virtuti morali conveniat, esse expetendum aut fugiendum quid, quæ tamen generi, nempe habitui maximè insunt.

11. *à specie prædicati.* Si thesis dicit, alicui rei inesse aliquid, quod genus est, tum *ad species ejus respice & an earum aliqua rei insit, an verò nulla insit, vide*, si enim aliqua inest, inerit

etiam

etiam genus & thesis confirmata, si nulla inest, nec inerit genus, & thesis refutata erit; v. c. dicat thesis aliqua, Metaphysicam esse scientiam, respicio ad species scientiæ, & aliam deprehendo esse de substantiâ mobili corruptibili, aliam de substantiâ mobili incorruptibili, aliam deniqve de substantiâ immobili, nempe de Deo, quæ ultima scientiæ species cum conveniat Metaphysicæ, inde & genus nempe scientiam ipsi competere, vel Metaphysicam scientiam esse concludo atqve ita thesin confirmo: si verò thesis dicat, animæ inesse motum, vel animam moveri, motus species considero, easqve invenio esse generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem, alterationem & mutationem loci, ex quibus speciebus omnibus cum nulla animæ conveniat aut insit, neqve ipsum genus, scilicet mòtus, ipsi inerit, ac proinde anima non movebitur, sed thesis falsa & refutata erit. Vid. *lib. 1. de Animâ c. 5. & Macrob. l. 2. in Somn. Scip. c. 14.*

12. *à definitione sive subjecti, sive prædicati.* Quando thesis aliquid alicui inesse dicit, & aliunde non suppetunt argumenta, quibus vel probari thesis vel refutari possit, *ad definitionem confugiendum est, aut subjecti, aut prædicati, & quidem non solum ad propriam & veram illius definitionem, sed ad plures & qualescunqꝫ alias descriptiones;* quæ licet non sint veræ definitiones, ex hujus tamen vel illius opinione tales existunt, ex quibus pluribus definitionibus modò hanc,

modo aliam accipere oportet, prout vel confirmare thesin, vel refellere eandem, propositum est: si enim definitio prædicati subjecto aut ejus definitioni vel contra definitio subjecti prædicato aut ejus definitioni convenit, thesis confirmata, si non convenit, refutata erit. v.c. Sit proposita thesis, infinita esse æqualia, hanc si confirmare volo, assumo talem definitionem, quæ ad confirmandum utilis est, nempe definio æqualia esse, in quibus nec abest quicquam nec redundat, quæ prædicati definitio, quia subjecto nempe infinitis ex asse convenit, thesis probata est: si vero refellere eam volo, aliam prædicati accipio definitionem, scilicet, æqualia esse, quæ sub eandem cadunt mensuram, quæ definitio, cum infinitis non conveniat, quippe quæ planè sub mensuram non cadunt, thesis refutata erit. *Coincidit planè hic locus cum superiori tertio*, adeò ut Alexander etiam dicat, hunc locum esse solùm additionem aliquam superioris tertii, neqve ab eodem differre, nisi quod tertius locus de unâ & verâ rei definitione, hic verò de pluribus & qualibuscunqve loquatur: uti ex ipso præcepto ante posito constat. Alii tamen *eum à superiori tertio aliter distingvunt* ac ita explicant: Cum thesis aliquid alicui inesse dicit, & aliunde non suppetunt argumenta, *postulanda est* à Respondente, vel ultro ab interrogante *afferenda est definitio aliqua*, aut plures etiam definitiones, vel prædicati tantùm vel subjecti tantùm vel utriusqve simul, & *contra hanc*

hanc definitionem dirigenda disputatio, ex iis locis, quæ *infra lib. 6. Topic.* describentur; facilior enim adversus definitionem est disputatio, quippe quæ est oratio & plures continet partes, ex quibus si unica tantùm sit confutata, totam definitionem concidere necesse est: quæ hujus loci explicatio si valet, jam *manifesta est inter hunc & superiorem tertium differentia*, cum hic solum ad refellendum non autem & ad confirmandum, superior tertius verò ad utrumqve utilis sit, hic prætereà contra definitionem subjecti aut prædicati ex locis definitionis directus sit, ille superior autem non contra ipsam definitionem subjecti aut prædicati argumentetur, sed ex definitione illâ contra thesin concludat.

13. *ab antecedente & consequente*; quorum *illud*, hoc quidem loco, definitur id esse, quod *ita cum alio cohæret, ut eo posito, etiam aliud istud subsequatùr*, v. c. voluptas secundum naturam est, ergo bona est, homo est, ergo animal est, aurora est, ergo dies erit &c: *hoc* verò vocatur, quod *ita cum alio cohæret, ut si negetur, etiam aliud istud negandum sit*, v. c. si voluptas bona non est, ergò nec secundùm naturam erit, si animal non est, ergò nec homo, si dies non est, ergò nec aurora fuit &c. Quando itaqve thesis aliquid alicui inesse vel non inesse dicit, *in confirmando quidem ad antecedens theseos respiciendum est*, hoc enim posito, ipsam etiam thesin poni necesse est, *in refutando autem ad consequens* vel id,

 quod

quod thesin sequitur, attendendum est, hoc enim negato, ipsa quoqve thesis negata & confutata est; v.c. si probanda sit hæc thesis, voluptas est bona, respicio ad antecedens, quod hoc est, voluptas est secundùm naturam, hinc thesin confirmo ita: quod est secundum naturam, id est bonum, voluptas est secundum naturam, ergo est bona: aut si probanda sit hæc thesis: vir fortis despicit pericula, video antecedens, quod est, virum fortem esse magni animi, inde enim sequitur, quod despiciat pericula & thesis confirmata erit. Si verò refellenda fuerit hæc thesis: pisces respirant, ad consequens respicio, quod est, habere pulmones, ex quo refutatur thesis, quia quod respirat, pulmones habet, pisces autem pulmones non habent, ergo nec respirant, & thesis erit refutata: quâ ratione refutari quoqve potest, continentem esse virtuosum, quia virtuosi consequens est, affectus habere planè subjugatos, quod cum non conveniat continenti, nec virtuosus ille dicendus erit.

14. *à circumstantiâ temporis.* Propositâ aliquâ thesi, videndum est, *an id, cui inesse dicitur aliquid & id, quod inesse dicitur, discrepent tempore*, id enim si fuerit, thesis refutata est; v.c. sit thesis, scientiam esse sensum, refutatur, quia tempore hæc differunt, sensus enim à nativitate statim inest, scientia verò adultâ demum ætate acquiritur: ex quo loco Clodius etiam olim refellebat adversariorum accusationem, quâ illum,

bonæ

bonæ deæ ſacra violaſſe, dicebant, ſe enim eo tempore Romæ non fuiſſe excipiebat. Hinc etiam ſequitur, quod non ſtatim omnia, quæ nutriuntur, etiam augeantur, tempore enim hæc differunt, quia nutrimur per omnes vitæ dies, at non augemur per omnes vitæ dies, definitam namqve & virilem magnitudinem adepti, amplius non augemur, quamvis eo ipſo tempore adhuc nutriamur. *lib. 2. de Animâ c. 4.*

15. *à translatione diſputationis.* Quando propoſita theſis jejuna eſt aut ſterilis ac diſputandi materia aridior, *transferenda eſt diſputatio ad aliam quandam propoſitionem & materiam,* in quâ magnâ argumentorum copiâ inſtructi ſumus; quæ diſputationis translatio quatuor ferè modis fieri poteſt. (1.) Aliquando nobis *negatur aliqua ex iis propoſitionibus*, quibus ad confirmandam vel refellendam theſin utimur, quod ſi fit, utiqve diſputatio ab ipsâ propoſitâ principali theſi transferenda erit ad illam propoſitionem, quæ negata eſt, ſecus enim tota diſputatio abrumpenda erit; v. c. ſit theſis, voluptatem eſſe ſummum bonum, quam confutare velit aliquis in Ethicis parùm verſatus, in phyſicis autem melius exercitatus, is ut reſpondentem à foro ethico ad phyſicum trahat, ex naturâ motus ducto argumento contra theſin inferat, voluptatem non eſſe ſummum bonum, quia voluptas motus eſt, motus autem imperfectus eſt, quod autem imperfectum eſt, ſummum bonum eſſe nequit:

ex quibus propoſitionibus ſi aliquam negat reſpondens, jure interrogans totam diſputationem à propoſitâ theſi ad hanc phyſicam propoſitionem transferre poteſt. (2.) Si adverſus theſin propoſitam directè opponere eamqve refellere nequeamus, *videndum eſt, num aliquid ex iſtâ theſi ſequatur, quod facilius impugnari poſſit* & in quo magna nobis ſuppetat argumentorum copia, tum enim ab ipſa theſi ad hoc conſequens diſputatio iterum transferenda eſt, niſi rurſus ea tota impediri debeat; v.c. ſit theſis, animam eſſe mortalem, contra quam cum directè diſputare nequeam, video quidnam ex theſi hac ſequatur, ſcilicet, ſi anima cum corpore interit, fruſtra nos ſtudere pietati ac divino cultui, quod conſequens deinde pluribus oppugno & quanta humanæ ſocietatis conſecutura ſit miſeria ac horrenda confuſio, ſublatâ pietate ac religione, longè latèqve diduco, atqve ita ex refutato hoc conſequente, ipſam theſin, juxta *locum Præced. 13.* falſam eſſe concludo. Atqve *hi duo modi transferendi diſputationem* à propoſitâ theſi *neceſſarii ſunt*, quia ſine iis continuari diſputatio aut refelli principalis theſis non poteſt; aliquando autem (3.) neceſſaria eſſe videtur hujusmodi translatio, cum reverà neceſſaria non ſit, *quando ad aliquod, cujus in propoſitâ theſi mentio facta eſt, quod tamen neq; ad confirmandam neq; ad refutandam theſin facit, ſit abductio*; v. c. ſi theſis loquatur de motibus animi, interrogans autem multa

multa de motu phyſico ejusqve ſpeciebus repetat, quæ nonnullis ad rem facere vel ad præſentem diſputationem neceſſaria eſſe videbuntur, ſi præprimis reſpondens ex iis aliquid negaverit, cum tamen verè propoſitum ſcopum non tangant. (4.) Tandem eſt abductio aliqua & translatio diſputationis, quæ nec neceſſaria eſt, nec neceſſaria eſſe videtur, *quando v. c. reſpondenti inter diſputandum aut ſolœciſmus excidit, aut falſa hiſtoria, aut aliud tale*, interrogans verò dimiſsâ propoſitâ theſi, omnem diſputationis nervum adverſus illud dirigit; qui abducendi modus verè Sophiſticus eſt & à Dialectico prorſus alienus, cui quomodo occurrere debeat Dialecticus reſpondens, Ariſt. docet & jubet reſpondentem ea, quæ à propoſito abhorrent ac præter rem interrogantur, concedere quidem, ſed ita, ut moneat, ſe concedere ea, non quod ſibi probentur, ſed quod ex iis contra ſuam theſin nihil planè inferri poſſit.

16. *à contrariis immediatis.* Inter hunc & præcedentem locum *nonnulli alium interponunt à translatione diſputationis* à prædicato theſeos ad ejus conſequentia, quem locum ipſe quoqve Ariſt. deſcribit; at verò, quia Alexander fatetur, hunc cum parte ſecunda præcedentis loci planè coincidere, potius interjecta hæc Philoſophi verba pro explicatione prioris loci, quam pro novo aliquo loco habemus & eapropter præcedenti illi hunc à contrariis ſtatim ſubnectimus.

Cum itaqve thesis alicui inesse dicit aliquid, quod contrarium habet sibi immediatè oppositum, & in priori illo nulla suppetunt argumenta, *ad hoc, nempe ad contrarium te converte*, hoc enim si rei non inest, inerit prius illud & thesis erit confirmata, si verò inest, prius illud non inerit & thesis confutata erit; cum ex contrariis immediatis utrumqve inesse non possit, sed alterum insit, alterum verò necessariò non insit, ut ex definitione contrariorum immediatorum *supr. Lib. 1. Dial. c. 4. §. 3. loc. 1. ab oppositis* patet. v. c. Sit thesis confirmanda, binarium esse parem, in quâ si ratio nulla suppetat, ad contrarium, nempe ad impar me converto & probo, binarium non esse imparem, unde necessariò sequitur, binarium esse parem, quia tertium, quod ipsi inesse possit, non datur: si verò confutanda sit thesis, quoddam corpus esse infinitum, & in eâ desint argumenta, contrarium nempe finitum omni corpori inesse probo, atqve ita thesis impugnata erit.

17. *ab etymologiâ.* Quando thesis alterum alteri inesse dicit, *ad etymologiam aut subjecti aut prædicati respiciendum est* & videndum, num alterius significatio alteri conveniat nec ne? si enim convenit, thesis probata, si non convenit, refutata erit; v. c. sit probanda thesis, hominem ad contemplandum Deum & divina natum esse, probari ea poterit ex græco nomine, quo homo ἄνθρωπος dicitur, vocisqve hujus etymologiâ, secundum quam homo ἄνθρωπος dicitur, quod ocu-

oculos & vultum ſurſum vertat & DEO ac divinis quaſi obvertat: aut ſi probanda ſit theſis, hominem eſſe fragilem & corruptibilem, fieri id poterit, ex etymologia, quia homo dicitur ab humo, ex quâ factus eſt & in quam rurſus convertetur. Improbanda verò ſi fuerit theſis hæc, mathematicas ſcientias, v. c. artes numerandi & menſurandi, ineſſe naturâ, ab etymologiâ deſumi poteſt argumentum, quia ἀπὸ τοῦ μανθάνειν dicuntur, quod diſcere ſignificat, quæ autem diſcere cogimur, ea naturâ non inſunt. *Non tamen ſemper hic locus valet*, neqve ſequitur, εὐδαίμων ratione etymologiæ dicitur, qui bonum genium habet, ergo etiam uſu & conſvetudine loquendi ita vocatur, ſecundùm hanc enim εὐδαίμων, non qui bonum genium habet, ſed felicem ſignificat; ita εὔχειρ, quamvis per etymologiam ſuam ſignificet eum, qui pulchras habet manus, uſu tamen & conſvetudine linguæ eum ſignificat, qui agilis & promptus eſt: id quod in aliis quoqve vocabulis, qualia ſunt, μεγαλόψυχος, ὀλιγαρχία &c. obſervare licet.

18. *à differentiis accidentium vel eorum, quæ inſunt*; alia enim inſunt *neceſſariò*, id eſt, omni & ſemper, v. c. homo eſt mortalis, intellectus eſt immortalis, alia vero inſunt *ut plurimum vel plerumq;*, v. c. homo manu dexterâ eſt agilior, matres diligunt filios ſuos &c. alia tandem *vel æqualiter*, modò inſunt, modò non inſunt,

ſunt, vel etiam *rarò admodùm* inſunt, quorum priora ſunt v.c. hominem peregrinari, diſputare, &c. poſteriora verò v.c. hominem reperire theſaurum, ruſticum fieri Regem &c. Quando itaqve theſis *hos inexiſtendi modos confundit*, & quod neceſſario ineſt, utplurimum, vel æqualiter, vel rarò ineſſe dicit, aut contra, quod aliquo trium horum modorum ineſt, necesſariò ineſſe dicit, ea confutari exinde poteſt; v.c. ſint theſes, homo utplurimùm mortalis eſt, neceſſariò ſub cane pluit, hæredes rarò ſunt hilares, homines æqualiter aut virtuoſi ſunt aut vitioſi &c. refelli iſtæ omnes ex hoc loco poſſunt, prima quidem, quia mortale eſſe, non utplurimùm homini ineſt, ſed necesſariò, cum inſit omni & ſemper, ſecunda verò, quia ſub cane, vel diebus canicularibus, non neceſſariò pluit, ſed rarò, tertia porrò, quia hæredes non rarò, ſed utplurimùm vel plerumqve gaudent, quarta deniqve, quia homines neutiquam æqualiter tales, ſed plerumqve vitioſi, rarius autem verè virtuoſi & probi exiſtunt. Quamvis autem theſis aliquid alicui ineſſe vel neceſſariò, vel utplurimùm *expreſsè non dicat*, eſt tamen nihilominus contra eam ex hoc loco argumentandum, *quaſi ita ineſſe dixerit*; ſi præprimis abſolutè & ſine ullo addito ineſſe dicat: qui enim ſimpliciter ineſſe dicit, is in primariâ ſignificatione & tanquam neceſſariò vel ſaltem utplurimùm inſit, locutus eſſe videtur.

19. *à polyonymis*, quæ definiuntur eſſe *plura*

plura unius ejusdemq; rei vocabula, ratione rei significatæ prorsus convenientia & solo sono discrepantia; v. c. ensis & gladius, percussit & verberavit, pactio & pactum &c Si itaqve thesis aliquid alicui inesse dicit, *ut subjectum & prædicatum Polyonyma sint*, ac eandem prorsus rem significent, soloqve differant sono, ea refutari ex hoc loco poterit, quia idem sibi ipsi accidere vel inesse nequit, quamvis diverso fortè nomine dicatur; v. c. Prodicus Philosophus Chius, Protagoræ auditor, voluptatem divisit in gaudium, delectationem & lætitiam, atqve ita voluptati gaudium ac lætitiam inesse dixit, quæ quia solo differunt nomine, sequitur inde, idem inesse vel accidere sibi ipsi, quod cum fieri non possit, ipsa Prodici thesis falsa erit.

20. *à combinatione contrariorum eorum*, quæ ut expetenda & fugienda differunt, seu quorum aliud expetendum est, aliud verò fugiendum: quæ complicari vel conjugari sequentibus modis possunt. (1.) *Contraria prædicata contrariis tribuuntur subjectis*, idqve duplici modo & combinatione, vel ita, amicis est benefaciendum, inimicis est malefaciendum; vel ita, amicis est malefaciendum, inimicis est benefaciendum. (2.) *Eidem subjecto contraria tribuuntur prædicata*, iterum duplici complexione, vel ita, amicis est benefaciendum, amicis est malefaciendum; vel ita, inimicis est benefaciendum, inimicis est malefaciendum. (3.) *Idem prædicatum*

con-

contrariis confertur subjectis, rursus duplici conjugatione, vel ita, amicis est benefaciendum, inimicis est benefaciendum; vel ita, amicis est malefaciendum, inimicis est malefaciendum. Ex his combinationibus *primæ duæ ex primo modo ortæ inter sese non pugnant*, sed, quamvis vocabulis contrariis constent, consentiunt tamen inter sese ac ab iisdem fluunt moribus, & in suo genere æquè sunt expetendæ ambæ, aut fugiendæ ambæ; v. c. in primâ combinatione utraqve propositio est expetenda, in secundâ verò utraqve est fugienda: reliquæ quatuor autem complexiones ex duobus posterioribus modis ortæ, verè cum invicem pugnant, & à diversis proficiscuntur moribus, semperqve altera earum pars & propositio expetenda est, altera verò fugienda. Ex his contrariis dicit Arist. ea sumenda esse, quæ prodesse nobis ad propositam thesin videmus; quâ de re sequentia tria præcepta notari possunt. (1.) Quando thesis alicui inesse dicit aliquid, quod contrarium habet, *respice ad contrariam conjugationem, juxta primum paulò antè definitum complexionis modum*, & si contrariæ conjugationis propositio falsa fuerit, falsa quoqve & confutata erit thesis, si verò illa vera fuerit, thesis quoqve vera & confirmata erit; v. c. sit thesis, justitiam esse laudabilem, respicio ad contrariam ejus combinationem, quæ juxta primum modum hanc continet propositionem, injustitia est vituperabilis, quæ propositio cùm sit evidenter vera, vera & confirmata

erit

erit thesis: si verò thesis dicat, injustitiam esse utilem, iterum ad primi modi contrariam conjugationem attendo, & hanc invenio propositionem, justitia est inutilis, quæ cùm evidenter falsa sit, falsa & confutata erit thesis, quia contraria contrariorū quatenus talia sunt, attributa esse oportet, & quia combinationes primi modi sibi non adversantur, sed ab iisdem moribus proficiscuntur, & simul utraque earum vel fugienda, vel expetenda. (2.) Quando thesis alicui inesse dicit aliquid, quod contrarium habet, *respice ad conjugationes secundi modi*; si enim propositio juxta has conjugationes thesi opposita vera fuerit, ipsa thesis falsa est & refutata, eâ de causâ, quia fieri non potest, ut contraria, nempe expetendum & fugiendum, actu uni subjecto simul insint, quod tamen fieri dicendum esset, si verâ existente alterâ propositione secundùm has duas Conjugationes thesi oppositâ, ipsa quoqve thesis vera foret; v. c. dicat thesis aliqua, injustitiam esse utilem, respicio igitur ad propositionem in secundi modi conjugationibus huic thesi contrariam, quæ hæc est, injustitia est inutilis, quæ cum verissima sit, propter ingentia illa & innumera damna, quæ ex injustitiâ in Republicâ proveniunt, patet, stante thesi, uni eidemqve rei, nempe injustitiæ, duo contraria, nempe utile & inutile esse, simul & actu inesse, quod cùm fieri nequeat, thesis falsa & refutata erit. (3.) Si thesis aliquid alicui inesse dicit, *respice ad tertii modi conjugationes*, & ad propositionem in iis conjugationibus ipsi

ipsi thesi oppositam, si enim propositio illa vera est, thesis erit falsa & refutata, quia sequeretur aliàs, contrariis subjectis idem inesse prædicatum, quod fieri non potest in iis, quæ ut expetenda & fugienda sibi adversantur; v. c. dicat thesis, vitium esse amplectendum, respicio ad propositionem in dictis conjugationibus thesi oppositam, quæ hæc est, virtus est amplectenda, quæ cùm evidentissima sit, patet, thesin esse falsam, vel vitium non esse amplectendum, aliàs enim sequeretur, contrariis subjectis idem convenire prædicatum, quod fieri non posse & ex hoc & pluribus expetendorum aut fugiendorum exemplis constat.

SCHOLION. Quamvis contraria *actu* simul uni eidemqve subjecto inesse non possint, ut ex *præced. loco* manifestum est, quod non tantùm de iis contrariis, quæ ut expetenda & fugienda accipiuntur & considerantur, sed & de aliis quibusvis verum est, id tamen absurdum non est, si quis dicat, contraria uni eidemque rei inesse *potentiâ*; cùm fieri optimè possit, ut res, etiam quando calida est, *capax* tamen sit frigoris, & quando humida est, *capax* tamen sit siccitatis &c. quod inprimis ex iis contrariis, quæ non præcisè ut expetenda & fugienda accipiuntur, sed quæ inter qualitates aut affectiones & accidentia corporum naturalium numerantur, evidens est, quorum omnium idem est reapse subjectum, nisi fortè alterum contrariorum per naturam insit: unde *Arist.* hîc novum interserit *locum à susceptione contrarii*, quem

quem ita exponit: Quando thesis alicui inesse dicit quidpiam, quod contrarium habet, videndum esse, dicit Aristoteles, *idemnè sit contrarii illius & ejus, quod in thesi inesse dicitur, subjectum*, idem enim ad contraria suscipienda potentiam habet, quamvis, ut ea actu simul illi insint, fieri non possit, ut numeris præcedentibus dictum est; unde si thesis tale quid alicui inesse dicit, cujus contrarium rei inesse non potest, nec ipsa illa res in thesi inesse dicta, inerit, sed thesis refutata erit, v. c. si quis dicat, lignum esse sanum, veritatem esse in rebus, refutari potest, quia lignum non est ægrum, nec falsitas est in rebus: ubi tamen notandum est, non valere hunc locum in iis contrariis, quorum alterum à naturâ est, seu innatum & congenitum, v. c. non valet, igni non inest calor, quia ipsi inesse nequit frigus, aut aqua non est humida, quia non potest esse sicca, &c. alterum enim ex his ipsis naturâ inest. Ita quidem hic locus valet *in refellendo*, at *in confirmando* exiguus ejusdem est usus, neqve probari ex eo potest, alterum contrariorum inesse, sed solùm inesse posse, v. c. quia materia est susceptiva formæ, inde quidem sequitur, eandem & privationis capacem esse, at ipso actu privatam esse, non sequitur, cùm à posse ad esse non valeat consequentia.

21. *à consecutione contradictoriorum.* Consecutio autem alia est *directa, quando de opposito subjecti dicitur oppositum prædicati*, v. c. virtus est laudabilis, ergo vitium est vituperabile, justitia suum cuiq; tribuit, ergo injustitia non tribuit suum cuiqve, &c. *alia in-*

directa, quando inverso ordine de opposito prædicati dicitur oppositum subjecti, quæ consecutio aliàs *conversio per contrapositionem* appellari solet, v. c. virtus est laudabilis, ergo quod non est laudabile, non est virtus, justititia suum cuiqve tribuit, ergò quod suum cuiqve non tribuit, non est justitia &c. Jam *in contradictoriis valet consecutio indirecta*, v. c. homo est animal, ergo quod non est animal, non est homo, at verò consecutio *directa*, v. c. homo est animal, ergo quod non est homo, non est animal, non valet, nisi *in quibusdam solùm exemplis per accidens & ratione materiæ*, quando scilicet termini sunt convertibiles & æquè latè patent; v. c. in his, homo est risibilis, ergo quod non est homo, non est risibile, generabile est corruptibile, ergo, quod non est generabile, non est corruptibile &c. Quando itaqve thesis aliquid alicui inesse dicit, vide, *an valeat consecutio indirecta*, si enim valet, thesis confirmata, si non valet, refutata erit; v. c. sit thesis, quicquid respirat pulmones habet, attende ad propositionem indirectè consequentem, nempe hanc, quicquid non habet pulmones, non respirat, quæ cùm vera sit, ipsam quoq; thesin talem & proinde confirmatam esse oportebit: si verò thesis dicat, omne divisibile esse lineam, vide iterum propositionem indirectè consequentem, nempe hanc, quicquid non est linea, non est divisibile quid, quæ cùm falsa sit, quia & superficies & corpora sunt divisibilia, inde thesis quoq; falsa ac proinde refutata erit.

22. *à consecutione contrariorum*. In his sæpissimè *valet consecutio directa*, v. c. fortitudo est virtus, ergo timiditas est vitium, album disgregat visum, ergo nigrum congregat &c. *universaliter tamen non procedit* hæc contrariorum consequentia, sed aliquas etiam instantias admittit, quia non valet, avaritia est vitium, ergo prodigalitas est virtus, quod generatum est, habet principium, ergo quod ingenerabile est, principium non habet &c. *aliquando autem in contrariis*

etiam

etiam conſecutio indirecta valet, quando nempe *ex contrariis alterum in altero includitur*, v. c. vitium ſequitur miſeria, nòn benè colligo directè ita, ergò virtutem ſequitur felicitas, quia felicitas includit virtutem, ſed indirectè, ergò felicitatem ſequitur virtus &c. Quando itaqve theſis aliquid alicui ineſſe dicit, videndum eſt, *an aliqua, vel directa vel indirecta valeat conſecutio*; ſi enim aliqua valet, theſis confirmata eſt, ſi nulla, refutata; v. c. ſit theſis, ignavia eſt vitium, reſpicio ad conſecutionem, & deprehendo valere eam directè ac ita, ergo fortitudo eſt virtus, inde concludo, theſin benè ſeſe habere & veram eſſe; ſi verò theſis dicat, omnem profuſionem esſe laudabilem, neqve directè posſum inferre, ergo liberalitas eſt vituperabilis, nec indirectè, ergo quicquid eſt vituperabile, eſt liberalitas, ac propterea theſis falſa & refutata erit.

23. *à conſecutione privativorum*. Cum ea, quæ ſecundùm habitum & privationem dicuntur, *aliquando & in habitu & in privatione proprium aliquod conſequens habeant*, quomodo viſum conſequitur ſenſus, cœcitatem verò ἀναισθησία vel carentia ſenſus; *aliquando autem utriusq; unum tantùm ac idem ſit conſequens*, quomodo & ſomni & vigiliæ unum conſequens eſt, nempe vita, quia & is vivit, qui dormit & is qui vigilat: inde in illis prioribus privativis *conſecutio directa* valet, v. c. lux eſt jucunda, ergò tenebræ ſunt moleſtæ, ſcientia eſt animi perfectio, ergò igno-

 ran-

rantia est animi imperfectio &c. Hinc si thesis aliquid alicui inesse dicit, quod habitus rationem habet, videndum est, *an hæc privativorum consequentia valeat*, si enim valet, thesis confirmata, si non valet, refutata erit; v. c. dicat thesis, sensum, exempli gratiâ, visum esse scientiam, video, an directè sequatur, ergò ἀναισθησία vel cœcitas est ignorantia, quod cum falsum sit, ipsa quoque thesis falsa est & refutata: si verò thesis sit, cœcitatem esse oculi imperfectionem & vitium, attendo ad propositionem directè consequentem, nempe hanc, visum esse oculi perfectionem & virtutem, quæ cum rectè se habeat, etiam ipsa thesis vera & confirmata erit.

24. *à consecutione relatorum*. Valet in his *consequentia directa*, v. g. dominus est possessor, ergò servus est possessus, si triplum multiplex est, etiam subtriplum submultiplex erit; *neq; valet instantia*, sensibile est scibile, ergo sensus est scientia: non enim sensibile verè & qua tale est, scibile dici potest, cum illud singularium, hoc verò universalium existat. Quando itaqve thesis aliquid alicui inesse dicit, quod inter relata numeratur, tum videndum est, *an consecutio directa locum habeat*, si enim habet, thesis confirmabitur, si non habet, refutabitur; v. c. sit thesis, visibile est intelligibile, video propositionem directè hinc fluentem, quæ hæc est, ergo visus est intellectus, quæ cum falsa sit, falsa quoqve & refutata erit thesis: si autem thesis dicat, Parentis esse imperare, attendo,

tendo, quænam hinc directâ relatorum consecutione consequatur propositio, & deprehendo hanc sequi, ergo filii est parere, quæ cum sit verissima, vera quoqve & confirmata erit thesis.

25. *à conjugatis & casibus.* Si thesis quidpiam alicui dicit inesse, vide *an in conjugatis, vel verbis ejusdem generis & significationis ita quoque se habeat*, si enim ita se habet, thesis probata est, si non ita se habet, erit confutata; v.c. sit thesis, fortiter agere est laudabiliter agere, confirmatur ea, quia in verbis ejusdem generis pari modo sese habet, & quia fortitudo est laudabilis, ut & fortis laude dignus &c. si verò thesis dicat, continentiam esse virtutem, refutatur ista ex eadem ratione, quia nempe continens non est virtuosus, cum ille affectibus suis adhuc turbetur, hic vero eosdem planè subjugatos habeat & sopitos. Notandum verò est, hunc locum, *utut plerumque & in multis valeat, non tamen prorsus universalem esse*, sed aliquas pati instantias, cum non sequatur v.c. ἀναλυτικὸς est πεπαιδευμένος, ergo ἀναλυτικὴ est παιδεία &c.

26. *à conjugatis contrariis.* Quando thesis aliquid inesse dicit alicui, non tantùm ad ipsa conjugata, sed & *ad eorum contraria respiciendum est* & videndum, an contrarium conjugatum insit contrario conjugato, si enim inest, thesis confirmata est, si non inest, refutata erit; v. c. sit thesis, justitiam esse scientiam, intueor contraria conjugata, nempe, an injustè agere sit ignoranter

agere, & deprehendo, quod non, quia injuſtè agere eſt ſpontè agere, ignoranter verò agere eſt invite agere, *lib.3. Ethic. c. 1.* ſi itaqve injuſtè agere non eſt ignoranter agere, nec injuſtitia erit ignorantia ac per conſequens, nec juſtitia erit ſcientia: quo ipſo theſis refutata eſt. Si verò theſis ſit, liberalitatem eſſe virtutem, reſpicio ad contraria conjugata, an ſcilicet avarè vel prodigaliter agere ſit vitiosè agere, & deprehendo quod ſic; qua de causâ, cum avarè vel prodigaliter agere ſit vitiosè agere, avaritia aut prodigalitas erit vitium ac proinde liberalitas erit virtus: quo ipſo theſis confirmata erit.

27. *à generatione & corruptione ac cauſis generantibus & corrumpentibus.* Quando in theſi aliquid bonum vel malum eſſe dicitur, tum ad generationem & corruptionem illius reſpiciendum eſt, ut & ad cauſas efficientes & corrumpentes, ex his enim & pro theſi & contra eandem inveniri poterunt argumenta, juxta ſequentia axiomata & præcepta. Scilicet (1.) *cujus rei ortus aut generatio bona eſt, ea ipſa quoq; bona erit*, & contra, *cujus generatio mala eſt, ea ipſa quoq; mala erit*; v.c. docere bonum eſt, docere autem eſt ortus vel generatio Scientiæ, hæc enim per doctrinam generatur, *lib. 6. Ethic. c.3.* ergò ipſa quoqve ſcientia bona eſt; nimium indulgere libidini, malum eſt, hoc autem generatio eſt venereæ luis vel via eſt ad morbum gallicum, ergò ipſa illa venerea lues aut morbus gallicus malus erit. Valet

autem

autem collectio contra quoqve à pravitate & bonitate rerum, ad pravitatem & bonitatem generationis. (2.) In corruptionibus contra ſeſe res habet; *cujus enim interitus & corruptio bona eſt, illud malum eſt, & cujus interitus ac corruptio mala eſt, id bonum eſſe neceſſe eſt*; v. c. corruptio & interitus morbi bonus eſt, ergò morbus malus eſt, corruptio & interitus pacis ac libertatis publicæ malus eſt, ergo ipſa pax & libertas publica bona erit: ubi rurſus contra à pravitate rei ad bonitatem corruptionis & à bonitate rei ad pravitatem interitus argumentari licet. (3.) *Cujus efficientia bona ſunt, illud ipſum bonum eſt, & cujus mala ſunt, illud quoq; malum* erit; v.c. efficientia ſanitatis ſunt medicamenta & temperata diæta, hæc autem bona ſunt, ergo ipſa quoqve ſanitas bona erit, efficientia paupertatis ſunt converſatio cum improbis & inhoneſtis, vita turpis ac vitioſa &c. quæ cum mala ſint, ipſam etiam paupertatem malam dici oportebit: quâ ratione iterum ex bonitate vel pravitate rerum, bonitas vel pravitas efficientium inferri poteſt, *ut plurimum quidem vel plerumq;, non autem planè univerſaliter*, cum non valeat, ſanitas eſt bona, ergo ſecari, uri & alia, quæ ſanitatis efficientia quandoq; ſunt, bona ſunt, quod tantùm abeſt, ut potius per ſe & ſimpliciter mala exiſtant. Ex hac tertiâ hujus loci parte nata videtur illa vulgò uſitata regula, *qualis cauſa eſt, talis eſt effectus*, quam ad omnes cauſæ & effectus qualitates extendunt, ineptiſſimè,

 cum

cum non ſequatur, ſol producit calorem, ergò ipſe calidus eſt, cœlum generat corruptibilia, ergò ipſum corruptibile eſt: verùm de ſolâ explicanda erit bonitate & pravitate, neqve eâ omni, ſed eâ ſolùm, quæ per ſe aut cauſæ aut effectui ineſt, aliàs enim ex eadem inferri nihil prorſus poteſt. (4.) *Cujus corrumpentia bona ſunt, id malum eſt, & cujus mala ſunt, id bonum eſt*; v.c. corrumpentia morbi aut ignorantiæ, nempe medicamenta & diæta, ut & diſciplina ac doctrina, bona ſunt, ergo morbus & ignorantia mala erunt, corrumpentia aureæ pacis & ſalutis publicæ, nempe agrorum vaſtationes, urbium incendia &c. mala ſunt, ergo aurea pax & ſalus publica inter bona numerari debent: ubi rurſus contra à pravitate rei ad bonitatem corrumpentium & à bonitate rerum ad pravitatem corrumpentium, conſequentia valet.

28. *à ſimilibus*. Si theſis aliquid alicui ineſſe dicit, *ad ſimilia reſpice, & an in iisdem ſimiliter ſe habeat, attende*, ſi enim ita ſe habet, theſis confirmata, ſi non habet, refutata erit; v.c. ſi theſis dicit, ſcientiam eſſe contrariorum, confirmatur, quia ſenſus eſt contrariorum, utrobiqve enim par & ſimilis videtur eſſe ratio: ſi autem dicatur, ad id, ut quis rectè audiat, ſufficere, ſi auditum habeat, refutari poteſt ex eo, quia ad id, ut quis rectè videat, non ſufficit, ut viſum habeat, ſed plura requiruntur, ut nempe viſibile juſtâ abſit diſtantiâ, ut rectè poſitum ſit, ut medium benè affectum ſit &c. quare & ad audiendum non ſufficiet audi-

auditus, ſed plura requirentur, quia auditus & viſus ſimili prorſus modo ſeſe habent.

29. *ab uno & multis.* Quando theſis aliquid alicui ineſſe dicit, videndum, *an id, quod uni ineſſe dictum, valeat etiam in multis*, ſi enim valet, theſis confirmata, ſi non valet, refutata erit; v.c. dicat theſis, docere aliquem eſt ipſi prodeſſe, confirmatur, quia multos docere eſt multis prodeſſe: ſi verò dicatur, ſcire aliquid eſt cogitare aliquid, refutatur, quia multa ſimul ſcire non eſt multa ſimul cogitare, quia ut aliquis multa ſimul cogitet, impoſſibile eſt, cum tamen ſcire ſimul multa poſſit. Valet autem conſequentia hæc non tantùm ab uno ad multa, ſed & contra à multis ad unum.

30. *à majore & minore vel comparatis imparibus.* Habet hic locus ſequentes partes; (1.) Quando theſis aliquid alicui ineſſe dicit, vide, an prædicatum magis tale, ſit conſequens ſubjecti ſecundum magis accepti, id eſt, vide, *an ſubjectum & prædicatum, magis & minus, vel intenſionem ac remisſionem recipiant, & ſi recipiunt, an intenſionem ſubjecti ſequatur intenſio prædicati;* id enim ſi fit, theſis confirmata eſt, ſi non fit, refutata; v.c. ſit theſis, voluptas eſt bona, confirmatur, quia major voluptas eſt majus bonum, inde & voluptas ſimpliciter bona erit: ſi verò dicatur, formam eſſe generabilem, vel tyrannidem eſſe expetendam, refutatur, quia quod eſt magis forma, non eſt magis generabile, adeò, ut Deus, qui eſt omnium maximè forma, omnium minimè gene-

generabilis ſit, & quia quod imperium magis tyrannicum eſt, non eſt magis expetibile, ſed eò magis deteſtandum & fugiendum. *Non tamen univerſalis eſſe videtur hic locus*, cum non valeat; magis vel maximè ſeſe exercere, non eſt magis vel maximè ſanum, ergo nec ſimpliciter ſe exercere, ſimpliciter ſanum eſt, aut, admiratio excitat riſum, ergo major vel maxima admiratio majorem vel maximum excitat riſum, quod tantùm abeſt, ut potius ſtuporem inducat. (2.) *Confertur unum prædicatum cum duobus ſubjectis.* Quando theſis aliquid alicui ineſſe dicit, vide, *an prædicatum iſtud illi inſit, cui minus ineſſe videtur*, ſic enim inerit & rei in theſi dictæ, ac ipſa theſis confirmata erit; aut vide, *an prædicatum iſtud illi non inſit, cui magis ineſſe videtur*, ſic enim nec rei in theſi dictæ inerit ac ipſa theſis refutata erit; v, c. ſit theſis, divitias eſſe bonas & expetendas, aut generationem eſſe mutationem, confirmatur, quia minus expetenda videtur corporis exercitatio, & tamen expetenda ac bona eſt, minusq; mutatio eſſe videtur latio, & tamen mutatio eſt, ergò multò magis divitiæ erunt bonæ, multoqve magis generatio mutatio dicenda erit. Si verò in theſi dicatur, Deum velle parcere peregrinis ac inſititiis ramis, aut voluptates animi eſſe fugiendas, refutatur, quia Deus magis parcere velle videtur naturalibus ramis, at iis non pepercit, aut magis fugiendæ eſſe videntur voluptates corporis, non tamen ſemper ſunt fugiendæ, ſed quando-

doqve expetere eas licet, ergò, multò minus Deus parcet peregrinis & insititiis ramis, multoqve minus voluptates animi fugiendæ erunt. (3.) *Conferuntur duo prædicata cum uno subjecto.* Quando thesis alicui quidpiam inesse dicit, vide, *an aliud quoddam prædicatum, quod magis inesse videtur subjecto, non tamen insit*, id enim si fuerit, nec prædicatum, quod in thesi inesse dicitur, inerit, sed thesis confutata erit; aut vide, *an aliud quoddam prædicatum, quod minus inesse videtur subjecto, insit tamen nihilominus*, hoc enim si contigerit, inerit & illud, quod in thesi inesse dictum est & ipsa thesis confirmata erit; v.c. sit thesis, audacem esse prudentem, refutatur, quia audaci magis inesse videtur fortitudo quam prudentia, at fortitudo ipsi non inest, cum opposita sint audacia & fortitudo, tanquam virtus & vitium, ergò multo minus prudentia ipsi inesse, vel audax prudens esse potest: si verò dicatur, animal vivere posse, inciso & vulnerato ventriculo, confirmatur, quia vivere potest, vel exsecto prorsus liene, vel extracto etiam corde, ut Galenus & alii multi per experientiam probant, quod cum minus inesse animalibus videatur & tamen insit, multô magis id inerit, quod in thesi dictum est, multoqve magis animalia vulnerato ventriculo vivere valebunt. (4.) *Conferuntur duo prædicata cum duobus subjectis.* Quando thesis aliquid alicui inesse dicit, vide, *an aliud quoddam prædicatum subjecto suo magis videatur inesse & tamen non insit*, id enim si fuerit,

nec

nec prædicatum in thesi positum suo inerit subjecto, sed thesis falsa ac confutata erit, aut vide, *an aliud quoddam prædicatum subjecto suo minus videatur inesse & tamen insit*, id enim si fuerit, prædicatum quoqve in thesi suo inerit subjecto ac thesis confirmata erit; v. c. sit thesis, opulentia facit beatum, refutatur, quia magis videtur paupertas facere miserum, at non facit miserum, ergò nec opulentia beatum reddet: si verò dicatur, liberalitatem esse laudabilem, confirmatur, quia minus videtur continentia esse bona, quàm liberalitas laudabilis, quæ tamen cum bona sit, multò magis liberalitas laudanda erit.

31. *à comparatis paribus.* Hujus loci sequentes sunt partes (1.) *confertur unum prædicatum cum duobus subjectis.* Cum thesis aliquid alicui inesse dicit, videndum est, *an istud prædicatum alii alicui subjecto pari jure insit*, si enim insit, inerit & isti, cui in thesi inesse dictum, ac ipsa thesis confirmata erit, si verò non insit, nec illi cui in thesi inesse dictum, inerit, sed ipsa thesis confutata erit; v. c. sit thesis, parentibus esse parendum, confirmatur, quia legibus est parendum, quæ & parentes cum pari veniant honore, utiqve & parentibus parendum ac proinde thesis confirmata erit: si verò dicatur, eum qui matrem offendit, extremo afficiendum esse supplicio, refutatur, quia is qui patrem offendit, non statim extremo punitur supplicio, ergo, neqve is qui matrem offendit, atqve ita thesis refutata erit. (2.) *Conferun-*

runtur duo prædicata cum uno ſubjecto. Cum theſis alicui quidpiam ineſſe dicit, videndum eſt, *an eidem aliud quoddam prædicatum pari jure ineſſe poſſit*, ſi enim poterit, inerit iſti & illud, quod in theſi ineſſe dicitur, ipſaqve theſis confirmata erit; ſi non poterit, nec illud inerit, quod in theſi ineſſe dicitur, ipſaqve theſis refutata erit; v. c. ſit theſis, liberalem oportet accipere, confirmatur, quia pariter liberali ineſſe videtur, dare, at hoc ineſt, ergo & illud, unde enim daret, ſi nihil acciperet, quare theſis vera eſt & confirmata: ſi verò dicatur, piſces reſpirare, refutatur, quia piſces pariter videntur & pulmones habere & reſpirare, at pulmones habere ipſis non convenit, ergò nec reſpirare ipſis conveniet ac theſis confutata erit. (3.) *Conferuntur duo prædicata cum duobus ſubjectis.* Cum theſis aliquid alicui ineſſe dicit, videndum eſt, *an alii ſubjecto aliud quoddam prædicatum æqualiter & pari jure conveniat*, ſi enim hoc huic convenit, etiam illud illi in theſi dicto conveniet ac theſis confirmata erit, ſi verò hoc huic non convenit, neqve id quod in theſi poſitum eſt, ſubjecto ibi poſito conveniet, ſed theſis refutata erit; v. c. ſit theſis, temperantiam verſari circa voluptatem & dolorem, confirmatur, quia æqve fortitudo verſari videtur circa fiduciam & timorem, at hæc verſatur circa fiduciam & timorem, ergò & illa circa voluptatem & dolorem verſabitur ac theſis confirmata erit: ſi verò dicatur, omnem voluptatem eſſe bonam, refuta-

tur,

tur, quia pari jure & ratione, omnis dolor malus dicendus eſt, at non eſt omnis dolor malus, ergò, nec omnis voluptas bona, ſed theſis falſa & refutata erit.

32. *ab adjectione.* (1.) Quando theſis aliquid tali aut tali qualitate præditum eſſe dicit, vide, *an res iſta alii rei addita vel adjecta eandem ſimili qualitate imbuat*, id enim ſi fit, & ipſa talem qualitatem habebit, ac theſis confirmata erit; v. c. ſit theſis, virtutem eſſe bonam, confirmatur, quia ſi homini addatur virtus, reddit eum bonum, ergò & ipſa virtus bona erit, quia propter quod alterum tale eſt, idipſum quoqve tale eſſe videtur: quo ipſo theſis confirmata erit. Hinc etiam confirmatur, Saccharum eſſe dulce, quia ſi vino non dulci addatur, illud dulce reddit, animam vivere, quia ſi corpori non viventi addatur, facit, ut ipſum vivat &c. univerſalis tamen hic locus non eſt, ac Alexandro dicente, *non valet in iis, quæ ex hominum inſtituto talia ſunt*, v. c. non ſequitur, una uncia addita undecim unciis, facit, ut ſint libra, ergò una uncia libra eſt &c. neqve valet in iis, *in quibus talem qualitatem non ipſum additum producit, ſed conjunctio ſubjecti vel ejus, cui aliquid additur*, v. c. non ſequitur, Sal cibum reddit eſu gratum, ergò & ipſum eſu gratum eſt, vinum panno viridi additum, reddit ipſum violaceum, ergò, ipſum vinum violaceum eſt &c. in his enim hujus novæ qualitatis cauſa non eſt ipſum additum, v. c. Sal aut vinum,

ſed

ſed conjunctio potius & κρᾶσις utriusqve: neqve tum valet, *quando id, quod additur, ut pura & nuda aliqua qualitas vel eatenus, quatenus talis qualitas eſt, additur,* non autem prout res eſt qualitatem habens, v. c. non ſequitur, virtus reddit hominem virtuoſum, ergò, ipſa virtus virtuoſa eſt &c. virtus enim homini addita, hoc loco non accipitur pro re qualitatem aliqvam aut bonitatem aut laudabilitatem aut aliud tale habente, ut ſupra ſaccharum pro re dulcedinem habente accipiebatur, ſed ſimpliciter pro ipsâ aliquâ qualitate, aut pro ſeipsâ, quæ non ſecundum aliquam qualitatem, ſed ſecundum ſeipſam adjuncta ſit aut appoſita ad hominem, qui ab eâ virtuoſus appellatur: neqve tandem valet *in magnitudinibus,* v. c. non ſequitur, quadratum additum quadrato facit illud oblongum, ergò ipſum quadratum oblongum eſt, aut angulus acutus recto additus facit illum obtuſum, ergò, angulus acutus obtuſus eſt &c. (2.) Quando theſis aliquid tali aut tali qualitate præditum eſſe dicit, vide, *an res iſta, alii rei ſimili qualitate præditæ, addita, faciat eam eſſe magis talem, qualis ante fuerat,* id enim ſi facit, & ipſa talem qualitatem habebit ac theſis confirmata erit; v. c. ſit theſis, ſanitatem eſſe expetendam, confirmatur, quia ſanitas vitæ virtuoſæ, quæ in ſe expetenda eſt, addita, facit eam magis expetendam, ergò in ſe quoqve ſanitas expetenda, ipſaqve theſis confirmata erit: ita mel quoqve dulce eſſe, confirmatur, quia ſi rei dulci, nempe huic

huic aut illi aquæ addatur, facit eam dulciorem, unciam esse gravem, quia si undecim addatur unciis, totum facit gravius, quàm ante erat &c. Valet autem posterior hæc loci hujus pars *in iis solùm, quæ magis & minus* vel intensionem & remissionem recipiunt; *utraq; verò pars ad confirmandum solùm conducit, non verò ad refellendum;* non enim sequitur, hoc vel illud alteri additum non facit illud aut simpliciter tale, aut magis tale, ergò ipsum quoqve tale non est, v. c. parum mellis absinthio additum non facit illud dulce, ergo in se dulce non est, aut, divitiæ morbo additæ non faciunt eum expetibilem, ergò neqve ipsæ divitiæ expetibiles erunt, &c.

33. *à gradu comparativo.* Quando thesis aliquid alicui inesse dicit, quod comparativum gradum, ut Grammatici vocant, admittit, vide, *an prædicatum in comparativo acceptum respectu alterius alicujus rei, subjecto inesse possit,* id enim si fuerit, prædicatum simpliciter quoqve subjecto inerit ac thesis confirmata erit; v. c. sit thesis, eruditionem esse optabilem, confirmabitur ea, si attendatur, annon prædicatum hoc huic subjecto in comparativo insit respectu alius cujusdam rei, deprehendo autem quod sic, quia eruditio optabilior est divitiis, hinc simpliciter eam optabilem esse concludo, quia comparativus præsupponit positivum & quia quod magis tale est, id etiam simpliciter tale esse oportet. Id tamen hîc requiritur, *ut comparativus accipiatur propriè, non abusi-*

abusivè, quomodo ſæpè melius dicere impropriè ſolemus id, quod eſt minus malum, in ſe verò bonum non eſt, aut dulcius, quod eſt minus amarum, in ſe verò dulce non eſt &c. in quâ comparativi acceptione locus hic non valet, cum non ſequatur: melius eſt fortunas perdere, quam vitam, ergò, fortunas perdere bonum eſt, mare Caſpium, ut Curtius ait, eſt dulcius cœteris, ergò eſt dulce, Phalaris eſt juſtior Perillo, ergo omnino & ſimpliciter juſtus eſt. &c. Porrò *ad confirmandum ſolùm hic locus valet, non autem & ad refellendum*; quia iterum non ſequitur, Socrates non eſt magis homo, quam Plato, ergò ſimpliciter homo non eſt, divitiæ non ſunt optabiliores quàm eruditio, ergò nec ſimpliciter optabiles erunt. &c.

34. *ab eo, quod determinatum aut certo aliquo modo limitatum eſt.* Quando theſis aliquid alicui ineſſe dicit, vide, *an inſit vel ex parte aliquâ, vel aliquo tempore, vel aliquo loco*, &c. ſi enim aliquo ex determinatis his modis ineſt, inerit etiam ſimpliciter, & theſis confirmata erit; v. c. ſint theſes, equum eſſe velocem, corpora animalium ſudori obnoxia eſſe, eſſe ignem elementarem, &c. confirmantur, quia equus pedibus velox eſt, corpora æſtatis tempore ſudore madent, ignis elementaris ſub concavo Lunæ eſt &c: cum enim equus pedibus velox ſit, utiqve omnino & ſimpliciter velox eſt dicendus, cum corpora æſtate ſudent, utiqve eadem ſudare certum eſt, & cum ignis elementaris ſit ſub lunâ, utiqve eſſe illum

 ſim-

ſimpliciter oportebit. *Neutiquam tamen universalis hic locus eſt, ſed multas patitur inſtantias*, ſive ratione partis, ſive ratione temporis, ſive ratione loci limitatio & determinatio fiat; v.g. non ſequitur, Æthiops ſecundùm partem eſt albus, vel eſt albus quoad dentes, ergò eſt ſimpliciter albus, cor aliquando, nempe quamdiu vivit, non putreſcit, ergò ſimpliciter non putreſcit, aliquo in loco, nempe apud Tribalos immolare patrem honeſtum eſt, ergò ſimpliciter & abſolutè hoc honeſtum eſt, &c. neqve porrò valet, eſt virgo deflorata, ergò eſt virgo ſimpliciter, eſt oculus lapideus, ergo eſt oculus ſimpliciter, hæ enim & ſimiles particulæ limitantes & determinantes, ſimul *alienantes ſunt aut diminuentes*, quæ ſignificationem vocabuli aut alienant à nativa ad peregrinam, aut ſaltem diminuunt, ut id, quod cum tali addito eſſe dicitur, propriè ſimpliciter & abſolutè amplius eſſe aut dici non posſit. Conf. *lib. de interpret. cap. 11.* Tantùm de locis Accidentis ejus, quod vulgò ſimplex vocari ſolet.

LIBER TERTIUS.
DE LOCIS ACCIDENTIS COMPARATI.

QUidnam *accidens comparatum*, quidqve *problema accidentis comparati* ſit, ſuprà *lib.*

lib. 1. Dial. cap. 2. §. 8. definitum jam eſt; cujus quantus ſit uſus, vel exinde patet, quia *nulla planè datur ſcientia & diſciplina, in quâ quæſtio comparationis locum non obtineat:* ex quibus comparatis omnibus tamen, ea ſolummodò hoc libro tractabuntur, quæ propinqua ſunt, & in quibus major eſt difficultas, cum eorum quæ multùm inter ſe diſtant, quodnam ſit præſtantius, quodnam verò deterius, facilè quivis diſcernere poſſit. Probè tamen notandum eſt, hîc *non agi de locis comparativis*, quales quosdam Ariſt. libr. præcedente *num. 29. 30. 31.* tradidit, *ſed de problematibus comparativis*, in quibus ipſum illud, quod quæritur, in comparatione conſiſtit; longè enim aliud eſt, de ſimplici quæſtione oſtendere aliquid per comparativum, quod *libro præcedente loco 30.* factum eſt, aliud verò eſt ipſum comparativum, in quæſtione comparatâ, ineſſe vel non ineſſe, probare aut confutare: id quod præſente libro Ariſt. per ſequentes locos docet.

Locus I. *à durabilitate.* Quando in theſi aliquid altero eligibilius vel melius vel præſtantius dicitur, ex duratione iſtarum rerum vel pro theſi vel contra theſin argumentum duci poteſt; *ex duobus bonis enim, id quod durabilius eſt, præſtantius eſt eo, quod minus durabile eſt:* hinc ſi illud theſis præſtantius eſſe dixerit, confirmata, ſi hoc, refutata erit. v. c. Sit theſis, animi bona eſſe præſtantiora bonis fortunæ, confirmatur facilè, quia illa diuturna ſunt, hæc verò infinitis mutabi-

tabilis fortunæ casibus obnoxia; si verò dicatur, vitam practicam esse præstantiorem contemplativâ, refutatur facilè, quia practica vita multis exposita est difficultatibus ac impedimentis, quibus interrumpitur frequentissimè, ut nulla ferè continuitas aut durabilitas ipsi insit, cum è contrario vita contemplativa ab omni tali tumultu civilium impedimentorum procul absit, ac sua perpetuò gaudeat diuturnitate & vel nunquam vel raro admodum interrumpatur: ex quibus patet, vitam practicam contemplativâ non esse præstantiorem, sed thesin falsam ac refutatam. Valet autem *hic locus in iis tantùm, quorum alterum ab altero non includitur aut continetur*; secus enim non sequitur v. c. sanitas est durabilior, quam firma corporis constitutio, quia hæc non inest, nisi insit & illa, illa verò inesse potest etiam si hæc non insit, ergo sanitas præstantior est firmâ corporis constitutione, sanitas enim à firmâ corporis constitutione includitur, & eapropter firma hæc constitutio, tanquam bonum, aliud simul includens & comprehendens, præstantius est, quamvis durabilius non existat. Porrò *ut valeat hic locus, non intelligendus est de bonis aliis, nisi in quibus cætera sunt paria*, inter duo bona enim, si reliqua omnia sunt paria, id quod durabilius est, præstantius erit; si verò bona aliqua pari bonitate non gaudeant, consequentia hæc non valet, v. g. non sequitur: aurum vel quercus sunt durabiliora homine, ergò & præstantiora, sensus est durabi-

lior

lior ſcientiâ, nam & pueri eum habent, qui ſcientiâ carent, ergò & præſtantior &c. Valet autem hic locus etiam in malis, *ex quibus quod diuturnius eſt, deterius ac deteſtabilius quoq; eſt;* ex quo loco Ariſt. *lib.4. Ethic. c.3.* avaritiam prodigalitate deteriorem eſſe probat, quia prodigi vel ætate vel aliis de cauſis facilè ad ſaniorem mentem redeunt, avaritia autem ad extremum vitæ halitum perdurat.

2. *à judicio & præſtantiâ eligentium*, quæ iterum ad theſin vel refellendam vel confirmandum conducit ac argumenta ſuppeditat, juxta ſequentia axiomata & præcepta. (1.) *Id eligibilius eſt, quod anteponunt viri prudentes*, qui rectâ utuntur ratione, v.c. præſtantius & eligibilius eſt bonum commune & publicum, quam privatum, illud enim prudentes præferunt, hoc autem imprudentiores amant. (2.) *Quod Viri boni eligunt*, præſtantius eſt eo, quod anteponunt pravi, v.c. obedientiam magiſtratui præſtandam eſſe dicunt boni, ſeditionibus verò turbandam eſſe Rempublicam, mali, ergò obedientia ſeditioni præſtat. (3.) Id eligibilius & præſtantius eſt, *quod rectæ leges tale eſſe dicunt*, v.c. melius eſt ſervare ordinem quam rumpere, Principi parere, quam obſiſtere, &c. ea namqve rectæ leges eligere jubent. (4.) Iſtud eligibilius eſt, *quod illi tale eſſe dicunt, qui in iſto rerum genere exercitati ſunt & præ aliis excellunt ac ſapientes ſunt;* v.c. exercitatus Athleta, agilitatem potiorem eſſe

 dicit

dicit robore, ergò eligibilior quoqve agilitas quam robur erit; excellens Politicus imperium moderatum præstantius esse dicit violento, ergò præstantius quoqve erit. (5.) *Quæ omnibus aut pluribus probantur*, meliora sunt iis, quæ paucis, v. c. pax melior est bello, scientiâ melior disciplinâ, sanitas melior medicamentis, &c. quia illa aut omnibus aut pluribus, hæc verò aut paucis aut nulli talia esse videntur. His itaqve hujus loci regulis & confirmare poteris thesin & refutare, prout ista vel secundum eas, vel contra eas fuerit informata; non tamen semper ac ubiqve omnibus uti decet, sed pro re natâ modò hâc modò aliâ, v. c. si præferre vis virtutem divitiis, utere autoritate ac judicio sapientum, contra, si probare cupis, divitias virtute optabiliores esse, judicio plurium aut multorum utendum erit.

3. *à præstantiore facultate vel scientiâ.* Quæcunq; pertinent *ad meliorem scientiam vel à præstantiori proficiscuntur arte, ea simpliciter & absolutè sunt meliora ac præstantiora; quæ verò ab inferiori proveniunt arte, deteriora sunt in se & simpliciter*, quamvis fortè huic vel illi optabiliora esse possint; v. c. occupari circa res Philosophicas longè præstantius est, in se & absolutè, quam fabrilia tractare, huic tamen vel illi, nempe fabro, circa fabrilia occupari melius est & optabilius. Hæc itaqve si thesis non benè distinguit, sed illud, quod deterioris est facultatis, melius,

quod

quod autem melioris eſt, deterius eſſe dicit, vel id, quod abſolutè melius eſt, ſecundùm quid & huic vel illi tantùm tale eſſe asſerit, aut contrà peccat, *ex hoc loco refutari*, ſi autem juxta præcedens axioma, quod melioris eſt artis, melius, quod verò deterioris, deterius vocat, *confirmari ea* ex præſente loco poteſt; quâ ratione *omnia reliqua ſubſequentia axiomata* ad theſes vel confirmandas vel refellendas applicari poſſunt, prout vel juxta axiomata illa theſes informatæ ſunt, vel contra eadem: quam applicationem, quia facilè à quovis addi poteſt, & ne idem toties ac toties cum tædio repetere opus habeamus, poſthac in ſubſequentibus locis omittemus, ac ſola axiomata cum exemplis ponemus.

4. *à genere.* Quod *propriè & primò eſt in genere bonorum*, præſtantius ac optabilius eſt eo, quod *tantum reductivè eſt* in genere bonorum, vel quod reducitur ad illud, quia bonum aliquod habet, non autem quia ipſum aliquod bonum eſt; v. c. juſtitia eſt præſtantior & optabilior quam vir juſtus, quia illa propriè in genere bonorum eſt, hic verò reductivè, vel quia juſtitia ipſa bonum eſt, vir juſtus autem non eſt ipſe bonum aliquod, ſed bonum tantùm habet. Sic & eruditio optabilior eſt quam eruditus, divitiæ quam dives, ſanitas quam ſanus &c.

5. *ab eo, quod eſt propter ſe.* Quod *propter ſe bonum* & expetendum eſt, melius eſt eo, quod expetitur *propter aliud*; v. c. ſanitas eſt

melior & præſtantior corporis exercitatione, quia ſanitas propter ſe expetitur, exercitatio corporis autem propter ſanitatem: ſcire melius eſt quam diſcere, quia illud per ſe expetimus, hoc autem propter illud.

6. *ab eo, quod eſt per ſe.* Quod *per ſe* expetitur, eligibilius eſt eo, quod expetitur *per accidens; per ſe verò expeti dicitur*, quod non propter nos aut propter utilitatem aliquam, ſed ſui ſolius gratiâ eligimus, ut v. c. amicos eſſe juſtos, eligimus per ſe, etſi ex illorum juſtitiâ nihil ad nos perveniat emolumenti: *per accidens verò expeti dicitur*, quod non per propriam ſuam naturam expetitur, ſed cui accidit, eſſe eligibile propter aliam quandam circumſtantiam, quomodo v. c. expetimus, hoſtes eſſe juſtos, per accidens & eâ de causâ, ne nobis noceant. Hinc amici juſti longè expetibiliores erunt quam hoſtes juſti, & ſanitas expetibilior eſt, quàm uſtio aut ſectio, quia illa per ſe & ſuam naturam expetitur, hæ autem per accidens vel quia accidit ipſis aliquid, cujus gratiâ expetuntur, vel quia ſanitatem efficiunt, aut aliâ ratione juvant. Eſt autem *præſens locus admodùm cognatus præcedenti loco*, atqve ab eo non niſi modo loquendi aut enunciandi differt.

7. *à causâ per ſe.* Quod eſt *cauſa per ſe alicujus boni*, eligibilius eſt eo, quod eſt *boni cauſa per accidens* tantùm; v. c. medicina eſt cauſa per ſe alicujus boni, nempe ſanitatis, fortuna autem eſt ejus cauſa per accidens, ergo medicina

cina fortunæ præſtat: actio bona eſt cauſa virtutis per ſe, divitiæ verô per accidens, ergo actio bona divitiis præſtat. Valet hic locus etiam *in contrario*, nempe quod eſt cauſa mali per ſe, eſt deterius eo, quod eſt ejus cauſa per accidens; v.c. deteſtabilior eſt luxus, quam opinio abundantiæ, ille enim cauſa mali, ſcilicet diſſipati patrimonii vel paupertatis per ſe eſt, hæc verò per accidens tantùm.

8. *ab eo, quod eſt abſolutè.* Quod *omninò ſeu ſimpliciter ac abſolutè bonum eſt*, præſtantius & melius eſt eo, quod bonum *huic vel illi tantùm* eſt; v. c. ſanitas melior eſt uſtione vel ſectione, quia illa ſimpliciter bona eſt, hæc verò illi tantùm, qui aut ſuperfluâ laborat carne, aut cui pars aliqua corrupta eſt, quæ aut urenda eſt aut ſecanda, ne reliqvæ quoqve partes inficiantur.

9. *ab eo, quod naturâ eſt.* Quod *ſuâ naturâ bonum* eſt, id melius eſt eo, quod tale eſt *per aliud & propter adſcititium* quoddam; v. c. juſtitia melior eſt Viro juſto, quia illa per naturam ſuam bona eſt, hic per adſcititiam quandam asſvefactionem & qualitatem: ingenita pulchritudo præſtat illi, quæ per artem & fucum facta eſt, quia illa per naturam ſuam talis eſt, hæc verò adſcititia ac per artem generata: innati ac inſiti capilli meliores ſunt iis, quæ arte attexuntur &c.

10. *à ſubjecto.* (1.) Quod *rei meliori & honorabiliori ineſt*, id ſimpliciter eligibilius eſt &

melius eo, quod deteriori rei ineſt; v. c. contemplatio præſtat actioni, quia illa ineſt Deo, hæc tantùm hominibus, ſcientia præſtat pulchritudini, quia illa animæ, hæc corpori tantùm ineſt. (2.) Quod *rei melioris proprium* eſt, abſolutè melius & præſtantius eſt eo, quod rei inferioris proprium eſt; v. c. omnibus benefacere longè præſtantius eſt, quam benefacere uni aut paucis, quia illud Dei proprietas eſt, hoc hominum tantum: creare melius eſt, quam generare, quia illud Dei proprium eſt, hoc animalibus quibusvis ineſt. (3.) Quando duo uni inſunt ſubjecto, tum iſtud, *quod in parte meliori aut priori ineſt*, eligibilius erit eo, quod in deteriori aut poſteriori ineſt; v. c. contemplatio præſtat virtuti, quia illa eſt in parte animæ priori & meliori, nempe intellectu, hæc autem poſteriori & deteriori, nempe appetitu ſenſitivo: ſanitas melior eſt robore ac pulchritudine, quia ſanitas eſt in temperie quatuor humorum, ex quibus primò animal conſtat, robur autem & pulchritudo in poſterioribus ineſt & iis, quæ ex quatuor humorum aptâ compoſitione fiunt.

II. *à fine.* (1.) *Finis melior eſt iis, quæ ad finem tendunt*; v. c. ſanitas venæ ſectione melior eſt, quia illa finis eſt, ad quam hæc tendit: meliores ſunt divitiæ peregrinatione, quam mercator illarum tanquam finis gratiâ inſtituit &c. (2.) Ex duobus quæ ad eundem referuntur finem, id eligibilius & melius eſt, *quod ad finem propius accedit*;

dit; v. c. virtus eligibilior eſt vel ſanitate vel divitiis, quia illa ad finem, nempe felicitatem civilem propius accedit, eandemqve magis attingit, hæc verò minus: in medicinâ magis expetenda ſunt, quæ ſanitatem conſervant, quàm quæ reſtituunt, illa enim ſanitati propiora ſunt, hæc magis ab eâ remota. (3.) Quæ faciunt *ad finem totius vitæ vel ad finem perfectisſimum*, meliora in ſe & ſimpliciter ſunt iis, quæ ad alium quemcunqve finem conducunt; v. c. virtus præſtat mercaturæ, quia illa ad felicitatem civilem & finem perfectiſſimum facit, hæc verò ſolùm ad divitias comparandas: prudentia præſtat divitiis, quia illa primò ad actiones beati viri obeundas facit, hæ autem ad alios plerumqve uſus adhibentur.

12. *à poſſibili.* Inter duo bona, quorum alterum nobis poſſibile eſt, alterum verò impoſſibile, *id eligibilius eſt, quod poſſibile eſt*; v. c. eligibilior eſt medicina, quàm aurifactiva, illa enim poſſibilis eſt & exerceri à nobis poteſt, hæc verò non poteſt: melius & eligibilius eſt, paucis nempe bonis placere, quam omnibus, hoc enim impoſſibile eſt, ejusqve obtinendi gratiâ fruſtrà laboratur.

13. *à comparatione efficentium & finium.* (1.) Inter duo efficientia id melius & præſtantius eſt, *cujus finis melior* ac præſtantior exiſtit; v. c. Jurisprudentia melior eſt medicina, quia illius finis eſt res melior, nempe conſervatio Reipublicæ, hujus autem res inferior, ſcilicet ſanitas hujus vel

vel illius individui: virtus est præstantior mercaturâ, quia illius finis est res longè expetibilior, nempe felicitas civilis, hujus autem res deterior, nempe divitiæ. (2.) Quando finis præstantior minus præstantem plus superat, quam minus præstans suam efficientem, tum *efficiens finis præstantioris est præstantior fine minus præstante*; v. c. sint duo fines, beatitudo & sanitas, ac finium istorum duæ efficientes, virtus & salubre, hîc si beatitudo est quadruplo melior sanitate, sanitas verò solùm duplo melior re salubri, quemadmodum beatitudo virtute duplo melior est, inde sequitur, virtutem esse duplo meliorem sanitate.

14. *ab eo, quod est secundùm se.* Quod *secundùm se honorabile aut pulchrum* est, melius & præstantius est eo, quod tale est vel propter utilitatem quandam, vel aliâ de causâ; v. c. honesta amicitia longè melior est quàm utilis, quia illam per se honoramus, hæc verò propter utilitatem expetitur, quâ exspirante & ipsa exspirat: sapientia præstat cognitioni lingvarum, quia illa per se expetitur, hæc autem propter sapientiam ex scriptis Doctorum felicius addiscendam.

15. *à consequente.* (1.) Ex quo *majora consequuntur bona*, id melius est eo, ex quo minora sequuntur; v. c. exercitatio animi præstantior est exercitatione corporis, quia ad illam sequitur scientia, ad hanc sanitas, quæ scientiâ inferior est: ita Cicero *lib.* 1. *off.* consilium Solonis, quo

quo Areopagitas constituit, præfert victoriæ Themistoclis ad Salaminam, quia hæc semel tantùm & unico bono profuit Reipublicæ, illa verò semper ac bonis infinitis. (2.) Id optabilius est, ex quo *minora consequuntur mala & incommoda*; v. c. melius est viduum esse, quàm Zelotypum, quia viduitatem longè minora sequuntur mala, quàm Zelotypiam: eligibilior est cœlibatus conjugio, quia minora & pauciora mala & incommoda eum consequuntur, cum è contrario in conjugio mala & plura sint & majora.

16. *à numero bonorum. Plura bona eligibiliora sunt* & anteponenda paucioribus; v. c. præstat justum & fortem simul esse, quàm solùm temperantem, virtuosum & nobilem simul esse præstat, quam vel nobilem solùm esse, vel virtuosum tantùm: amicitia præstat divitiis, quia hæ res solùm necessarias suppeditant, illa verò præter necessaria, alia insuper addit, nempe consilium, auxilium, consolationem in adversis &c. Valet autem hic locus tunc solùm, *quando unum aliquod bonum, cum quo plura conferuntur, finis non est reliquorum bonorum, aut reliqua bona non includit*; secus enim si unicum istud bonum finis sit reliquorum bonorum, aut ea simul comprehendat, consequentia non procedit; v. c. non sequitur, discere, disputare, peregrinari, conversari cum doctis, evolvere bonos autores &c. sunt multa bona, ergo sunt optabiliora quàm scientia, quæ unicum modò bonum est, scientia enim

enim illorum omnium finis eſt: neqve ſequitur, divitiæ, ſanitas, robur, virtus, pulchritudo, prudentia &c. ſunt multa bona, ergò præſtantiora & optabiliora ſunt beatitudine civili, quæ unicum bonum eſt, hæc enim finis eſt præcedentium omnium ac eadem ſub ſe comprehendit. Quin, imò & id fieri aliquando poteſt, ut id quoqve, *quod bonum non eſt, bono tamen præferatur, ſi ſcilicet cum majori bono conjunctum fuerit*; v. c. paupertas cum pietate juncta anteponenda eſt divitiis ſine pietate, & invidia cum virtute juncta longè melior eſt, quam ſanitas, divitiæ, pulchritudo & alia plura hujusmodi bona, quibus omnibus ſola & unica virtus præſtat.

17. *à voluptate & dolore.* Bonum aliquod *cum voluptate melius* & eligibilius eſt, quam iſtud ipſum bonum *ſine voluptate*, vel *cum moleſtiâ aut contrario dolore* conjunctum; v. c. melius eſt ducere mulierem prudentem ac formoſam, id enim cum voluptate conjunctum eſt, quàm prudentem & deformem, quod voluptate caret, aut planè moleſtiam ac dolorem conjunctum habet: fortitudo victrix melior eſt quàm ea, quæ vulnera accipit, illa enim cum voluptate eſt, hæc cum dolore: melior fuit ſenectus Neſtoris quam Priami, quia illa caruit moleſtiâ, hæc filiorum cæde afflicta fuit.

18. *à tempore.* (1.) Eo tempore aliquid eſt eligibilius, *quo major ejus vis ac uſus eſt* & quo quàm maximè valet; v. c. fortitudo eligibilior

eſt

eſt in juventute, tum enim propter corporis robur & ſanitatem plus valet ac magis vim ſuam exſerere poteſt, prudentia verò ea melior, quæ in ſenectute eſt, propter variam experientiam, quæ ad prudentiam requiritur & in ſenectute demum perfecta eſt: monarchia melior eſt tempore belli, Ariſtocratia expetibilior tempore pacis &c. (2.) Quod *omni tempore vel ſemper* aut ſæpius uſum habet, melius ac præſtantius eſt eo, cujus *uſus rarior eſt & aliquo ſolùm tempore* valet; v. c. juſtitia melior eſt fortitudine, quia illius uſus ſemper tam tempore pacis quam belli, hujus verò aliquando ſolùm, nempe tempore belli valet: ad quem locum iſtud etiam exemplum, quod *ſupra loco 15. num. 1.* ex Cicer. adductum eſt, ſpectat.

19. *à ſufficientiâ.* Inter duo bona, *id quod ſibi ſufficit*, vel quod ita comparatum eſt, ut, ſi iſtud omnes haberent, altero non indigerent, vel alterius nullus eſſet uſus, eligibilius & melius eſt eo, *quod ſibi non ſufficit*, vel quod ita affectum eſt, ut etiamſi illud omnes haberent, altero tamen illo adhuc indigerent, ejusqve nihilominus aliquis eſſet uſus; v. c. juſtitia eligibilior eſt fortitudine, quia juſtitia non eget fortitudine, fortitudo autem juſtitiâ opus habet, quamvis enim omnes eſſent fortes, juſtitiâ tamen adhuc indigerent, ſi autem omnes juſti eſſent, nullâ opus eſſet fortitudine, quippe quæ in propulſandis injuriis & repellendâ vi potiſſimum verſatur: Sanitas quoq; præſtantior eſt arte medicâ, quia ſi omnes eſſent ſani, arte medicâ

medicâ non indigerent, nullusqve ejus esset usus, at verò etsi omnes haberent artem medicam, adhuc tamen opus haberent sanitate, essetqve hujusdem magnus nihilominus usus.

20. *â comparatione ex generatione & corruptione, assumptione & abjectione, ut & ex contrariis.* Distingvi autem possunt generatio vel ortus, & assumptio vel acquisitio, quod *generatio sit ejus*, quod ante non fuit, sed nunc modò esse incipit, *assumptio autem ejus sit*, quod jam ante exstitit, quamvis meum non exstiterit; interitus vel corruptio autem & abjectio vel amissio, quod *corruptio sit eorum*, quæ penitus pereunt, *amissio autem eorum*, quæ manent quidem, at non in nostrâ potestate, prout liber, quando igne crematur, dicitur corrumpi vel perire, quando autem surripitur, amitti: cui id quoqve addi potest, quod *corruptio sit* rerum irreparabilium, ut visus, *amissio vel abjectio* verò recuperabilium, ut &, quod illa sit qualitatum subjecto inhærentium, hæc verò externarum & advenientium rerum. Hinc (1.) quorum bonorum *interitus & corruptio magis est fugienda, ea ipsa bona meliora sunt* & eligibiliora; v. c. corruptio visus magis est fugienda, quam corruptio pulchritudinis, ergò visus pulchritudine melior est & præstantior: corruptio sanitatis magis fugienda est, quàm corruptio agilitatis & velocitatis, ergò, sanitas velocitati & agilitati præstat. (2.) Quorum bonorum *abjectiones aut amissiones magis*

sunt

sunt fugiendæ, ea bona expetibiliora sunt & præstantiora; v. c. gravior & magis fugienda est amissio famæ aut honoris, quam divitiarum, ergo bona fama aut honor divitiis expetibilior est & melior: gravior est jactura librorum quàm vestimentorum, ergò libri vestimentis sunt expetibiliores. (3.) Inter duo bona, illud, *cujus contrarium magis est fugiendum, melius est & exoptabilius*; v. c. justitia melior est liberalitate, quia illius contrarium nempe injustitia, magis est fugiendum quàm hujus contrarium, nempe prodigalitas: temperantia melior est quam continentia, quia intemperantia deterior est, quam incontinentia: sanitas præstantior est divitiis, quia morbus magis fugiendus est, quàm paupertas. (4.) Inter duo bona, *cujus generatio est exoptabilior, id melius est & præstantius*; v. c. discere, quod est generatio scientiæ, exoptabilius est, quam exercere corpus, quod est generatio sanitatis, ergo, scientia sanitate melior est & præstantior: ad normam rectæ rationis agere, quod est generatio virtutis, eligibilius est, quàm saltare, currere &c. quod est generatio agilitatis ac velocitatis, ergò virtus agilitati ac velocitati corporis præstat. (5.) Cujus boni *assumptio aut acquisitio melior est, idipsum expetibilius erit*; v. c. acquisitio famæ & honoris expetibilior est assumptione vel acquisitione divitiarum, ergò, bona fama & honor, meliora & magis, quàm divitiæ, expetenda erunt.

21. *à propinquitate boni.* Quod *ad bonum*

aliquod propius accedit, eſt melius & exoptabilius eo, quod longius ab illo abeſt; v. c. diſcere melius eſt quàm multos libros emere, quia illud ad ſcientiam, quæ citra controverſiam bonum aliquod eſt, propius accedit, hoc verò longius ab eâ abeſt: vita theoretica præſtat practicæ, quia illa propius ad vitam Dei accedit, hæc autem longius ab eâ recedit.

22. *à ſimilitudine.* (1.) Id *quod bono alicui ſimilius eſt*, melius eſt eo, quod eſt diſſimilius; v. c. minus mala eſt prodigalitas, quàm avaritia, quia illa virtuti, nempe liberalitati, ſimilior, hæc verò diſſimilior eſt: melior eſt continentia quam intemperantia, quia temperantiæ illa quam hæc ſimilior exiſtit. (2.) Quod *meliori, intellige in re meliori aut quatenus melius eſt, ſimilius eſt, id eſt præſtantius*; v. c. juvenis, meliori nempe perfecto & conſummato viro, in re meliori, nempe in uſu rationis & exercitio virtutis ſimilior eſt, quàm puer, ergò juvenis puero melior & præſtantior erit: continens melior eſt incontinente, quia ille meliori bono, nempe virtuti, in re meliori, nempe rectâ ratione, ſimilior, hic autem disſimilior exiſtit. Secus verò *ſi ſimilitudo & disſimilitudo non in re meliori, ſed aliâ quacunque ſpectetur, nulla eſt conſequentia*; v. c. non ſequitur, ſimia homini, in geſtibus nempe, ſimilior eſt, quam equus, ergo equo præſtantior eſt, ſtultus aliquis Platoni aut Ariſtoteli, illi quidem quatenus balbutiens fuit, huic quatenus gibboſus exſtitit, ſimi-

similior est, quàm alius quis insigniter doctus, ergò stultus docto præstat. (3.) Si duo cum duobus conferuntur, tum id, *quod meliori similius est, melius*, quod deteriori, deterius erit; v. c. cum melior sit virtus, deterius vitium, continentia autem virtuti, incontinentia vitio sit similior, inde continentia quoqve melior, incontinentia deterior erit. Iterum autem ratione melioris, non cujusvis aut deterioris rei, collationem institui oportet, secus non valet; v. c. non sequitur: simia similior est homini, scilicet in ridiculis quibusdam gesticulationibus, equus autem similior est asino, in portandis nempe oneribus, ergo simia equo præstat: non enim simia homini in re meliori similior est, quam equus, sed deteriori.

23. *à claritate.* Quod *bonum illustrius & clarius* est altero, id melius est & præstantius; v.c. gloria aut honor expetibilior esse videtur divitiis, quia his clarior est & illustrior: magnificentia liberalitati præstat, quia illustrior est & splendidior: vita publica præstantior est privata, quia majori claritate gaudet.

24. *à difficultate.* Quod bonum *majori cum labore & difficilius obtinetur*, longè præstantius est, quàm quod facilè paratur; v.c. præstantius est, seipsum vincere, quàm alios, quia illud difficilius est, hoc facilius: præstantius est multis imperare, quàm uni, quia laboriosius id est & cum majori difficultate conjunctum.

25. *à proprietate.* Inter duo bona quorum

rum uſus & fructus eſt, id *quod proprium eſt*, licet fortè non abſolutè ac ſimpliciter, *huic vel illi tamen*, cui proprium eſt, melius ac exoptabilius eſt, quàm illud, quod pluribus commune eſt; v.c. ager ſi ab uno poſſidetur, illi à quo poſſidetur, melior ac optabilior eſt, quàm ſi poſſideatur à multis: ita quoqve & ædes & ſylvæ & paſcua & horti & alia talia ſeſe habent.

26. *ab adjunctâ moleſtiâ.* Quod *cum malis & incommodis aut planè non aut minus conjunctum eſt*, præſtantius eſt eo, quod cum iis aut ſimpliciter aut magis conjunctum eſt; v. c. præſtantior eſt pax, quàm bellum, quia illa aut nulla aut certè pauciora & minora habet mala, quàm bellum: melius eſt habitare in civitate munitâ, quam eâ, quæ cuivis hoſti patet, illa enim minoribus, hæc verò majoribus malis & incommodis ſubeſt.

27. *à poſitivo & ſuperlativo.* (1.) Si unum bonum alteri *ſimpliciter vel in poſitivo præſtat*, etiam quod in illo priori genere optimum ac præſtantiſſimum eſt, eo, quod in poſteriori optimum ac præſtantiſſimum eſt, melius ac præſtantius erit; v. c. ſi homo præſtantior eſt equo, & mas fœminâ, & Philoſophus oratore, & monarchia democratiâ &c. etiam optimus homo præſtantior erit optimo equo, & optimus mas optimâ fœminâ, & optimus Philoſophus optimo Oratore, & optima Monarchia optimâ Democratiâ &c. (2.) Si unum *bonum in ſuperlativo acceptum, alteri*

itidem in superlativo sumpto præstat, etiam illud simpliciter vel in positivo sumptum, huic in positivo accepto, præstabit; v. c. si optimus animus melior est optimo corpore, etiam simpliciter animus corpore melior & præstantior erit: & si acutissimè videre præstantius est, quàm sagacissimè odorari, etiam simpliciter videre quàm odorari optabilius erit. Fortè tamen *universalis hic locus non est*; cum non sequatur: optimè mori præstantius quid est, quam optimè scribere, ergò & simpliciter mori quàm scribere præstat.

28. *à communicatione cum amicis.* (1.) Quodcunqve *bonum cùm amicis communicari potest*, præstantius est eo, quod non potest; v. c. scientia melior est sanitate, & divitiæ meliores sunt nobilitate, quia illæ cum amicis communicari possunt, hæ verò non possunt. (2.) Ea bona, *quæ cum amicis communicare volumus*, meliora sunt iis, quæ cum *quovis promiscuè*, quicunqvè etiam ille sit, communicare volumus; v. c. mutuum dare præstat, quàm fœnori dare, illud enim amicis solùm facimus, hoc sine discrimine cuivis, qui solvendo sit: officia verè præstare ac benè mereri, melius est, quàm hæc facere videri, illa enim solis amicis, quibus ex animo benè volumus, præstamus, hæc cuivis.

29. *à necessario & abundante.* Ex duobus bonis, *id quod ad abundantiam, vel ad ornatum, honestatem, & benè esse facit*, præstantius est eo, quod necessarium est & ad esse tantùm facit; v. c.

benè vivere melius eſt, quam vivere, cum illud inter abundantia, vel ea, quæ neceſſariis ſuperveniunt, nempe inter jucunda, honeſta &c. hoc verò inter ipſa neceſſaria numeretur: aurifaber in Republicâ præſtantior habetur agricolâ, quia hic ad planè neceſſaria, ille verò ad ornatum & melius eſſe refertur. Non rectè ergo ſemper res laudantur à neceſſitate, ſed contrarius potius ordo nobilitatis & neceſſitatis eſt, cum & tactus v. c. omnium maximè neceſſarius, at non propterea nobiliſſimus ſtatim exiſtat. Utut autem *abundantia in ſe ſint expetibiliora*, quàm neceſſaria, *huic vel illi tamen expetibiliora ſtatim non ſunt*, ſed ſæpè fit, ut quis neceſſaria præ abundantibus eligere cogatur. v. c. philoſophari in ſe & ſimpliciter melius eſt, quàm lucrari, & tamen ſæpè huic vel illi, qui aut pauper eſt, aut multis oneratus liberis, hoc præ illo eſt amplectendum.

30. *ab acquiſitione boni.* Quod *ab alio non poteſt ſuppeditari ac acquiri*, præſtantius eſt eo, quod poteſt; v. c. præſtantior eſt juſtitia quàm fortitudo, quia ut ſuum cuiqve tribuamus, quod juſtitiæ eſt, id planè in nobis ipſis eſt & ab aliis accipi aut ſuppeditari non poteſt, ut autem periculis maſculè obſiſtamus ac vim repellamus, quod fortitudinis eſt, id per alios etiam, nempe per fortes amicos aut ære conductos milites comparare, & obtinere poſſumus: virtus etiam præſtantior, eſt divitiis, quia virtus aliunde ſuppeditari vel accipi non poteſt, ſed propriâ induſtriâ & actione, acqui-

acquirenda eſt, divitiæ autem aliunde advenire, & per famulos quoqve ac miniſtros acquiri poſſunt.

31. *ab appetitu & electione alterius ſine altero.* Inter duo bona, *id quod per ſe & ſolùm ſine altero expetibile eſt*, præſtantius & melius eſt eo, quod ſine altero expetibile non eſt; v. c. prudentia melior eſt robore corporis, quia prudentia, etiam ſola & ſine robore corporis expetenda eſt, at vero ſolum robur ſine rectâ ratione & prudentiâ expetibile non eſt, quia, niſi ratione & prudentiâ regatur, ſæpius obeſt, quàm prodeſt: virtus quoqve præſtat divitiis, quia illa etiam ſola & ſine divitiis expetenda eſt, hæ autem ſine virtute expetendæ non ſunt, cum ſine eâ ſemper obſint, nunquam autem proſint.

32. *à diſſimulatione.* Ex duobus, *quorum alterum diſſimulamus aut nobis ineſſe negamus*, eo fine, ut aliud quoddam nobis ineſſe videatur, id quod nobis ineſſe videri volumus, melius eſt & eligibilius; v. c. puellæ fucum diſſimulant, vel faciem fucatam eſſe negant, ut pulchræ eſſe videantur, ergò, pulchritudo melior eſt quàm fucus: ſic plurimi labores ſuos diſſimulant, ſeſeqve operibus ſuis induſtriam & laborem impendere negant, ut ingenioſi & acuti eſſe videantur, ergò, ingenium & acumen difficilibus laboribus præſtat.

33. *à reprehenſione & increpatione.* (1.) Inter duo bona id melius & præſtantius eſt, *cujus ab-*

absentiam, qui dolent aut molestè ferunt, minus increpantur aut reprehenduntur; v.c. si dolemus amissionem filiorum, minus reprehendimur, quàm si doleamus amissionem pecuniæ, ergò filii pecuniâ sunt meliores: si virgo dolet amissam pudicitiam, minus increpatur, quàm si doleat deperditum oculum, ergò, pudicitia oculo præstat. (2.) Inter duo bona id melius & præstantius est, *cujus amissionem, qui non dolet aut molestè fert, magis increpatur ac reprehenditur*; v.c. qui virtutem sibi deesse non dolet, magis reprehenditur, quam qui divitias sibi deesse non dolet, ergò, virtus præstantior est divitiis: virgo, quæ se pudicam non esse, non dolet, magis increpatur, quàm quæ se pulchram non esse, non dolet, ergò, pudicitia pulchritudini præstat.

34. *à propriâ generis virtute.* (1.) Inter duo bona ejusdem speciei, *id quod speciei istius propriam virtutem ac laudem habet*, præstantius est eo, quod illâ caret; v.c. inter duos homines, ille altero perfectior & melior est, qui humanæ speciei propriâ virtute & laude, id est, prudentiâ ac sapientiâ, præ altero pollet: inter duas orationes, quarum altera propriâ orationis virtute, nempe perspicuitate pollet, altera verò caret, illa melior & perfectior, hæc autem deterior & imperfectior existit. (3.) Inter bona ejusdem speciei, *quod speciei suæ propriâ virtute magis fruitur*, melius & præstantius est eo, quod minus eadem pollet; v.c. visus acutior præstat obtusiori, equus velocior

minus

minus veloci, homo magis eruditus illi, qui eruditione minus gaudet.

35. *ab effectu.* (1.) Inter duo bona, *quorum alterum subjectum, in quo est, bonum reddit*, alterum verò non reddit, prius illud præstantius & melius, posterius verò inferius est; v. c. virtus præstat divitiis, quia illa subjectum, in quo est, bonum reddit, hæ verò non reddunt: prudentia melior est nobilitate, cum iterum illa probos faciat, hæc autem non faciat. (2.) Ex duobus bonis, quorum utrumqve subjectum suum bonum reddit, illud eligibilius est & melius, *quod magis bonum reddit*, eo, quod minus bonum reddit; v. c. justitia universalis magis bonum reddit subjectum, cui inest, quàm justitia particularis, ergò illa hac melior est: temperantia magis bonum reddit hominem, quàm continentia, ergò illa huic præstat. (3.) Inter duo bona, *id quod nobilius subjectum reddit bonum*, præstantius est eo, quod ignobilius subjectum bonum reddit; v. c. virtus & Philosophia meliora sunt sanitate & pulchritudine, hæc enim corpus bonum reddunt, at illa animum, qui corpore nobilior est: Sapientia præstat temperantiæ, quia illa intellectum bonum reddit, qui nobilior est, hæc verò appetitum sensitivum, qui longè inferior existit.

36. *à casibus.* Cujus *casus est præstantior alterius casu*, idipsum altero melius erit; & contra, quod altero melius est, ejus casus quoqve alterius casu præstantior erit; v. c. quod justè fit, melius

eſt, quàm quod fortiter fit, ergò juſtitia melior quoqve eſt fortitudine, & contra, vir perfectior & præſtantior eſt puero, ergò, viriliter vel maſculè agere præſtantius quid, quam pueriliter agere, erit.

37. *ab uſu.* Cujus *uſus præſtantior eſt*, idipſum etiam præſtantius erit, & contrà, quod præſtantius eſt, ejus etiam uſus præſtantior erit; v. c. virtutis uſus præſtantior eſt, quam uſus divitiarum, ergò virtus quoqve divitiis præſtat, & contrà, viſus præſtantior eſt olfactu, ergò uſus etiam viſus, quam olfactus, præſtantior erit.

38. *ab actione & opere.* Cujus *actio & opus præſtantius eſt*, idipſum quoqve præſtantius erit, & contra, quod præſtantius eſt, ejus actio & opus etiam præſtantius erit; v. c. architectonicæ actio & opus, nempe domus, præſtantius quid eſt, quam opus ſutoriæ artis, nempe calceus, ergò ipſa quoqve architectonica, quàm ſutoria ars, præſtantior erit, & contra; Analytica præſtantior eſt, quàm Dialectica, ergo actio Analyticæ, nempe docere, præſtantius quid erit, quàm actio Dialecticæ, nempe diſputare, & opus Analyticæ, ſcilicet ſcientia, præſtantius quid, quam opus Dialecticæ, nempe opinio, erit.

39. *à comparatione duorum cum tertio.* (1.) Si duo bona cum uno tertio conferantur, *unum autem ex iſtis tertio ſit melius, alterum verò deterius*, certè melius iſtud deteriori anteferendum erit; v. c. conferantur virtus & divitiæ cum ſanitate, virtus certè ſanitate præſtantior eſt,

eſt, divitiæ autem ſunt eâ inferiores, ergo, virtus quoqve divitiis præſtabit: conferantur quoqve eruditio & pulchritudo cum robore corporis, eruditio certè robore corporis præſtantior eſt, pulchritudo autem eodem inferior, ergò, eruditio quoqve pulchritudine melior erit. (2.) Quodcunqve *bonum majori bono majus eſt*, id minore quoqve majus erit; v. c. vita activa melior eſt vitâ voluptuariâ, contemplativa verò melior eſt activâ, ergò contemplativa multò melior quàm voluptuaria erit: aurum melius eſt, quàm argentum, virtus autem melior eſt auro, juxta illud Horatii, vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum, ergò, virtus etiam argento melior erit. (3.) Si duo aliqua præſtant tertio, alterum tamen magis, alterum autem minus, tum *illud eligibilius & melius eſt, quod magis* præſtat; v. c. & virtus & honor præſtant divitiis, longè magis tamen virtus quàm honor præſtat, ergò virtus, quàm honor, eligibilior & melior erit: & ſcientia ac recta opinio præſtant ſenſui, magis tamen præſtat ſcientia quàm opinio, ergo ſcientia opinione melior erit.

40. *à præſtantiâ & abundantiâ.* Cujus *abundantia aut præſtantia melior eſt alterius cujusdam abundantiâ aut præſtantiâ*, idipſum ſimpliciter quoqve altero melius erit; v. c. abundantia vel præſtantia virtutis melior eſt abundantiâ ac præſtantiâ divitiarum, ergò, virtus opibus melior erit: abundantia ac præſtantia amicitiæ

me-

melior eſt abundantiâ ac præſtantiâ voluptatis, ergò ipſa quoqve amicitia voluptate melior erit.

41. *à causâ efficiente.* Cujus rei *ipſi malumus eſſe cauſa, quàm ut ſint alii*, ea melior eſt & præferenda; v. c. amicos ipſi nobis eligere & comparare, divitias verò à parentibus relinqui aut ab aliis parari malumus, ergò amici divitiis præſtant: pacem conſtituere & colere ipſi malulumus, bellum verò incipere & gerere alios volumus, erga pax bello præſtat.

42. *ab additione.* (1.) Quod rei alicui additum aut adjunctum, *facit, ut totum ſit optabilius*, id melius ac eligibilius eſt, quàm quod adjunctum facit totum minus optabile; v. c. divitiæ acceſſione virtutis fiunt optabiliores, acceſſione ſanitatis autem minus optabiles, ergò, virtus melior eſt ſanitate: pulchritudo acceſſione pudicitiæ fit optabilior, acceſſione divitiarum autem minus optabilis, ergò pudicitia divitiis præſtantior erit. *Non valet tamen hic locus*, ſi res, cui duo aliqua adduntur, altero ex his tanquam inſtrumento utatur aut aliud ex eo percipiat commodum, altero verò non utatur nec emolumentum ex eo ſentiat; v. c. liberalitas, ſi ei addantur divitiæ, expetibilior eſt, quàm ſi ei addatur robur, illis enim utitur tanquam organo, hoc autem nihil ei adjumenti affert, non tamen propterea divitiæ robore meliores ſunt: agricola melior eſt, cui adjungitur ligo aut raſtrum, quibus tanquam inſtrumentis utitur, quàm cui adjungitur

tur liber, qui nullo ipſi eſt uſui, non autem inde ſequitur, raſtrum aut ligonem libro ſimpliciter melius quid eſſe. (2.) Quod *minori bono adjunctum, totum melius efficit*, id anteponendum eſt ei, quod adjunctum ad majus bonum, totum minus bonum efficit; v.c. firma corporis conſtitutio & ſanitas duo bona ſunt, illa majus, hæc minus, ſi tamen huic minori bono, nempe ſanitati addatur virtus, illi majori autem addantur divitiæ, erit nihilominus minus hoc bonum propter rem additam expetibilius & melius, quàm majus iſtud bonum cum ſuo addito, ergo, quod minori additum eſt, ſcilicet virtus, melius quid erit eo, quod majori additum eſt, nempe divitiis: loqui & tacere ſunt duo bona, illud majus, hoc minus, ſi tamen ad minus addatur prudentia, ad majus ſales & joci, minus iſtud anteferendum eſt majori propter additionem, ergò prudentia minori addita eligibilior eſt jocis ac ſalibus, qui majori addebantur.

43. *à detractione.* Quodcunqve *alteri bono detractum facit id minus expetibile*, id præſtantius eſt eo, quo detracto alterum non redditur minus expetibile; v. c. ſi divitiis auferatur prudentia, minus eâ expetibiles erunt, quàm ſi auferatur iisdem nobilitas, ergò prudentia nobilitate melior eſt: ſi pulchritudini auferatur pudicitia, minus ea expetibilis erit, quàm ſi auferatur illi pecunia, ergò pudicitia pecuniâ expetibilior erit.

44. *à fine.* (1.) Quod *propter ſe expetitur*, præſtantius eſt eo, quod expetitur *propter hominum opinionem & oſtentationis ac gloriæ causâ*; v. c. ſapientia præſtat ſophiſticæ, quia eam appetimus propter ſe, hanc opinionis & oſtentationis gratiâ, ſanitas præſtat pulchritudini, illam enim per ſe expetimus, hanc verò oſtentationis causâ, ſani namqve eſſe volumus, etiamſi nemo id ſciat, pulchritudinem autem propter alios exoptamus: quo modo propter exiſtimationem vel opinionem expeti dicitur illud, quod, ſi nemo iſtud cognoſceret, planè non expeteremus aut pararemus. (2.) Quod *utroq; modo & propter ſe & propter opinionem ac exiſtimationem* hominum expetendum eſt, id melius eſt eo, quod alterutro modo ſolùm expetibile eſt; v. c. virtus glorioſa & apud omnes prædicata, longè expetibilior eſt, quam vel ſola gloria, vel ſola virtus ingloria & obſcura, ſola enim virtus tantùm per ſe, ſola gloria tantùm propter opinionem & oſtentationem, glorioſa verò virtus utraqve de causâ exoptanda eſt. (3.) Ex duobus bonis, quæ propter ſe, non gloriæ causâ expetuntur, *id quod omni utilitatis opinione detractâ honorabile eſt*, melius eſt eo, quod propter utilitatem quandam honorabile eſt; v. c. utraqve & contemplativa & practica vita per ſe, nullius verò oſtentationis & gloriæ causâ expetitur, hæc tamen non prorſus ſine utilitate eſt, illa autem etiam ſine utilitate honorabilis eſt, ergò, contemplativa practicæ præſtat.

45.

45. *à divisione bonorum*, quorum alia ſunt *utilia*, quæ aliquam utilitatem pro fine habent, ut medicamenta, divitiæ &c. quorum illa ad ſanitatem utilia ſunt, hæ verò ad ſuſtentationem vitæ; alia ſunt *jucunda*, quæ voluptatem in animo excitant, ut cantiones &c: alia deniqve *honeſta*, quæ laudabilia ſunt & honeſtatis gratiâ expetuntur, ut fortitudo, juſtitia &c. (1.) Quod *& utilitatis & jucunditatis & honeſtatis gratiâ ſimul expetitur*, longè præſtantius eſt eo, quod tantùm alterius horum gratiâ exoptatur; v. c. beatitudo, juxta Deliacum epigramma *lib. 1. Ethic. c. 9.* melior eſt juſtitiâ, quæ eſt honeſta, & ſanitate, quæ utilis, & voluptate, quæ jucunda, quia beatitudo omnia hæc ſimul complectitur, vel ſimul & honeſtiſſima eſt & utiliſſima & jucundiſſima: medicina eſt præſtantior mercaturâ, quia illa & jucunda & utilis, hæc verò utilis tantùm exiſtit. *Non tamen valet hic locus*, ſi quod ſecundùm unum aliquod horum expetitur, *vehementer* expetitur, quod verò ſecundùm plura, non vehementer; v. c. non ſequitur, lucrum & jucundum eſt & utile, virtus autem eſt tantùm honeſta, ergo, lucrum virtuti præſtat: lucrum enim parum aut minus utilitatis ac jucunditatis habet, virtus autem plus honeſtatis, unde hæc quoqve vehementius, quam lucrum, expetitur aut exoptatur. Sed *neq; tum valet*, quando plura ea, ſecundum quæ res aliqua expetitur, *continentur ſub uno illo*, cujus ratione aliud quid deſideratur; v. c. non ſequitur, temperan-

perantia eſt tantùm honeſta, honor verò eſt & utilis & jucundus, ergò honor temperantiâ melior eſt: honeſtas enim temperantiæ & utilitatem & jucunditatem in ſe includit, atqve ita temperantia honori nihilominus præſtat. (2.) Quando duo bona ejusdem generis aut unius ejusdemqve gratiâ expetuntur, tum id præſtat, *quod cauſam appetitionis magis habet*, nempe inter duo honeſta, aut duo jucunda, aut duo utilia, quod honeſtius, aut jucundius, aut utilius eſt, alteri præfertur; v.c. eligibilior eſt juſtitia univerſalis, quæ plus honeſtatis in ſe habet, quàm particularis, quæ minus, eligibilior eſt mercatura quàm cauponaria, plus enim illa quàm hæc utilitatis habet. (3.) Quod *melioris causâ expetitur*, nempe honeſtatis gratiâ, expetibilius eſt, quàm quod expetitur inferioris & deterioris, nempe vel utilitatis vel jucunditatis gratiâ; v. c. educatio, asſvefactio, informatio &c. ſunt præſtantiora, luſu, otio, &c. quia illa ob acquirendam virtutem & honeſtatem, hæc verò voluptatis gratiâ, quæ honeſtate longè inferior eſt, expetuntur. (4.) Quod *majoris boni*, ex enumeratis ſuprà ſpeciebus, *impedimentum eſt*, id minus eligendum ſed magis fugiendum eſt; v. c. deterior & magis fugiendus eſt morbus quam deformitas, hæc enim ſoli voluptati obicem ponit, ille autem plura ac majora bona atqve ipſam ſæpè virtutem ac honeſtatem impedire poteſt.

46. *ab eo quod ſimul & expetendum eſt & fugien-*

fugiendum. Inter duo bona, id, quod pariter & fugiendum est & expetendum, minus eligibile est, quàm istud, *quod tantùm est expetendum, non verò & fugiendum*; v.c. navigare est & expetendum, ob lucrum, & fugiendum, ob pericula maris; terram colere verò est tantum expetendum, ergò hoc posterius illi priori præstat: versari in Republicâ & expetendum est, propter honores, & fugiendum, propter infinita alia incommoda; philosophari autem tantum expetibile est, ergò philosophari, quàm in Republicâ versari, melius erit.

Atqve hi sunt loci Accidentis comparati, quos Arist. *lib.3. Top. c. 4.* valere dicit, non tantùm ad probandum, quid sit altero magis vel minus expetendum, *sed etiam ad ostendendum, quid simpliciter sit expetendum vel fugiendum*; v. c. quando hîc dictum est, quod est utilius, id est melius, detrahendum est huic axiomati τὸ magis & minus, ac simpliciter dicendum, quod est utile, id bonum est & expetendum: quando supra dictum est, quod per naturam suam eligibile est, melius est eo, quod per accidens tale, commutandum est hoc axioma ita, quod per naturam eligibile est, id bonum est &c. quod in aliis locis quoqve valet. Imò loci hi accommodari possunt non tantùm ad ostendendum, esse aliquid magis aut minus bonum vel malum, aut magis vel minus appetendum vel fugiendum, sed *modicâ immutatione generaliores fieri possunt*, ut non tantùm ad bonitatem & pravitatem rerum, sed *ad qualecunqꝫ*

aliud accidens ostendendum valeant; v. c. locus supra in ordine nonus, parvâ commutatione universalior redditur, si ita dicatur, quod suâ naturâ tale vel tale est, magis tale est, quàm quod est tale aut arte aut alio adscititio modo, ut mel vel saccharum magis dulce est, quia per naturam suam tale, quam syrupus rosaceus, qui arte & per adscititium quoddam tale est: quod naturâ suâ amarum est, ut absinthium, magis tale est, quàm quod per artem tale est, ut vinum. Ita locus trigesimus quintus extendi ad alia accidentia quævis potest, si dicatur, quicquid subjectum aliquod tale vel tale facit, idipsum quoqve tale esse oportet; quâ commutatione factâ hic locus prorsus coincidit cum *loco 32. lib. 2. Top.* cujus exempla videantur: quæ immutatio & extensio in reliquis comparationis locis ferè omnibus institui potest. Valent quoqve loci Accidentis tam simplicis quam comparati hactenùs traditi non tantùm ad universales theses confirmandas vel refellendas, *sed ad particulares quoq; & indefinitas*, quæ particularibus æquipollent, *lib. 3. Top. c. 6.* v. c. ex loco à contrariis, quia ita sequitur: si omnis justitia est virtus, omnis injustitia est vitium, rectè & in particulari infero: si quædam justitia est virtus, etiam quædam injustitia est vitium: quod etiam in loco à conjugatis, ortu & interitu & aliis plerisqve valet, ut ex exemplis cuivis loco subjectis patet. Tantùm de locis accidentis comparati & lib. 3. Topicorum.

LIBER

LIBER QUARTUS,
DE
LOCIS GENERIS.

Quid nam sit *genus*, quidqve *problema generis* supr. *lib.1. Dial.c.2.§.7.* definitum jam est. Hoc autem vel ideò in tractatione Dialectices ad *problema accidentis statim sequitur*, quia communitate suâ genus ad accidens & proinde etiam problema generis ad problema accidentis proximè accedit, à communioribus autem progrediendum esse ad minus communia, ex superioribus & initio *lib. 2. Dialect.* jam constat; cui & illud adde, quod loci generis, ut & proprii, qui libro proximè sequente tractandi erunt, eâ etiam de causâ statim post locos accidentis & ante locos definitionis sint exponendi, quia *loci generis & proprii sunt quasi elementa locorum definitionis*, quippe quæ & genus rei continet & propria rei esse debet ac propterea qui probat, orationem aliquam continere verum genus,& præterea esse propriam,quadantenus jam definitionem esse confirmavit, qui verò probat, nec verum oratione istâ contineri genus, nec eam rei propriam esse, is definitionem confutavit: quam obrem cum ab elementis exordiendum semper sit, ante locos definitionis de locis generis &

proprii tractandum erit. Omnes autem loci, quibus aliquod genus vel confirmatur vel refutatur, *ex quatuor præcipuè fluunt fontibus* & axiomatibus, quæ sunt (1.) genus est *inseparabile* à specie. (2.) Genus dicitur *de omnibus speciebus* & specierum speciebus. (3.) Genus *latius patet* quàm species. (4.) Genus prædicatur *in quid est:* ex quibus fontibus loci emanant sequentes.

Locus 1. *à cognatis speciebus.* Quando aliquid in thesi quadam genus esse dicitur, respice ad ea, quorum genus esse dicitur, & *si alicui ex iis attribui, vel de aliquo eorum dici non possit*, genus quoqve dici non poterit, sed thesis refutata erit; v. c. dicat thesis, bonum esse genus voluptatis, considero voluptatem ejusqve species, & video, annon aliqua voluptas sit, quæ bona dici non possit, deprehendo autem quod sic, quia nimia ex esu, potu, venere, ex calamitatibus proximi &c. percepta voluptas non est bona, ac proinde neqve bonum voluptatis genus est, quia genus de omnibus speciebus dici oportet. Hinc nec virtutis genus est scientia, quia non potest de omnibus virtutibus dici, cum nec fortitudo, nec justitia, nec aliæ tales, scientiæ nomine rectè dicantur.

2. *à modo prædicandi.* Si aliquid genus esse dicitur, *quod de subjectis speciebus non prædicatur in quid*, istud verè genus non erit, cum omne genus in quid est prædicetur, uti ex ejus supra

pra traditâ definitione patet; v. c. dicat thesis, album esse genus nivis, refutatur ea, quia album de nive non in quid dicitur ac proinde nec genus ejus est: quâ de causâ nec motus est genus animæ, nec bonum est genus voluptatis &c. quia motus non dicit, quid sit anima, sed potius quale patiens sit, moveri enim est pati, & bonum non dicit, quid sit voluptas, sed potius qualis sit voluptas &c. Dantur tamen *in Analyticis definitiones*, quas *causales* appellare solemus, in quibus id, quod loco generis ponitur, *non necesse est in quid prædicari*; de quibus definitionibus, cum ad Dialecticam eæ planè non spectent, in ipsâ Analyticâ ex *lib. 2. Post. Anal. c. 10.* fusius agemus.

3. *à definitione accidentis.* Si aliquid genus esse dicitur, *cui competit definitio accidentis*, id minimè genus, sed ipsa thesis refutata erit, cum longè aliud sit genus, aliud verò accidens, ut ex *lib. 1. Dial. c. 2. §. 8.* constat; v. c. dicat thesis, desiderium malefaciendi esse genus odii, refutatur ea ex definitione accidentis, quia desiderium malefaciendi abesse potest ab odio, ut tamen odium maneat, quod in mendacio manifestum est, quod utiqve odimus, malefacere tamen ei non desideramus: unde nec obstructio est genus febris, nec motus est genus animæ &c. quia his definitio accidentis competit, cum & obstructio abesse possit à febre, & motus ab animâ, ut tamen febris & anima maneant &c.

4. *à diversitate categoriæ.* Si aliquid ge-

nus esse dicitur, *quod cum allatâ specie non est in eadem categoriâ*, id minimè genus sed thesis refutata erit; oportet enim *semper genus esse in eâ categoriâ, in quâ est species*, quamvis *non contra*, speciem statim necesse sit esse in eâ categoriâ, in quâ est genus: cum scientia sit in categoriâ relationis, quia ad scibile refertur, grammatica autem, quæ species scientiæ est, eapropter in eadem categoriâ non statim ponatur. Vid. *infra loc.* 25. Hinc falsa est thesis, quæ dicit, album esse nivis aut cygni genus, nix enim & cygnus ad substantiæ categoriam pertinent, ad quam referri album non potest, cum sit in categoriâ qualitatis: neqve organon rectè dicitur esse genus Dialecticæ, hæc enim ad prædicamentum qualitatis spectat, ad quam organon reduci nequit, cum sit in solâ categoriâ relatorum. Iterum autem *hoc in scientiis adeò accuratè non observatur*, in quibus sæpè propter communem loquendi usum in demonstrationibus, v. c. colorem dicere solemus superficiem, quia in superficie est, quamvis superficies in eadem cum colore categoriâ non sit, aut febrem esse calorem, cum ex illo calore febris oriatur.

5. *à participatione speciei.* Cum aliquid genus esse dicitur, *quod particeps est allatæ in thesi speciei*, id est, *quod ejusdem definitionem recipit*, tum verum genus minimè allatum, sed thesis refutata est; quoniam non genus speciei, sed contra species generis definitionem recipere debet,

debet, ut inductione constat. Hinc si thesis sit, aliquid esse genus Entis, aut multitudinem esse genus numeri, refutari ea potest, quia aliquid recipit definitionem Entis & quia multitudini definitio numeri competit; quæ causa est, ut nec aliquid Entis nec multitudo numeri genus esse possit.

6. *à subjectis speciebus.* (1.) Quando tale affertur genus, *quod non de totâ specie vel omnibus iis, quæ speciei subjiciuntur, dicitur*, tum verum genus allatum non est, sed thesis falsa; v. c. si dicatur, bonum esse genus voluptatis, refutatur, quia sub voluptate comprehenditur & honesta voluptas, & utilis, & turpis ac vituperabilis &c. de quibus omnibus, scilicet de turpi & vituperali, bonum non dicitur & eapropter neqve voluptatis genus esse potest, quia ad genus requiritur, ut de omnibus speciebus ac specierum speciebus, quæqve sub his continentur, dicatur. Coincidit ferè hic locus cum *superiori primo loco;* nisi quod ibi genus cum omnibus sub se comprehensis speciebus, hîc verò cum unâ solùm specie & quæ sub hac continentur, conferri videatur. (2.) Cum aliquid genus esse dicitur alicujus rei, *cui nulla ex allati generis speciebus tribui potest*, verum genus iterum allatum non erit, sed thesis falsa; quia cui genus competit, illi necessariò aliquam quoqve generis istius speciem competere oportet. v. c. Si thesis fuerit, motum esse genus voluptatis, refutari ea poterit, quia nulla motus

ſpecies voluptati tribui poteſt, quippe quæ nec eſt generatio, nec eſt corruptio, nec alteratio &c. ergò planè motus voluptati tribui aut ejusdem genus eſſe non poteſt: quo argumento Averroës *lib. 7. Phyſ. com. 10.* probat, motum, quo ferrum ad magnetem fertur, non eſſe tractionem, quia nulla tractionis ſpecies ibi locum habet. (3.) Si quidpiam genus eſſe dicitur, *cujus ſubjecta ſpecies latius patet aut ad plura extenditur*, vel de pluribus prædicatur, quam ipſum allatum genus, verum genus allatum non eſt; v. c. ſi theſis dicit, ens eſſe genus opinabilis, refutari poteſt, quia opinabile latius patet aut de pluribus dicitur, quàm Ens, opinabile enim dicitur & de non ente, de quo Ens dici nequit: inde & continuum non eſt genus quanti, quantum enim de pluribus dicitur quam continuum, quia & numerus quantus eſt, continuus verò dici non poteſt. (4.) Si quidpiam genus eſſe dicitur, *cujus ſubjecta ſpecies æque latè patet, vel de æque multis prædicatur*, verum genus allatum non eſt, quia ſemper genus latius ſpecie eſſe ac de pluribus dici oportet; v. c. dicant theſes, unum eſſe genus entis, aut primum eſſe genus principii, aut Sapientiam eſſe genus Metaphyſicæ, refutari eæ poſſunt, quia unum non patet latius aut de pluribus dicitur quàm ens, nec primum quàm principium, nec Sapientia quàm Metaphyſica, ergò genera quoqve hæc appellari non poſſunt. (5.) Si aliquid genus eſſe dicitur alicujus rei, *reſpice ad ea, quæ à re iſtâ in theſi*

pro-

propositâ specie non differunt, & *num illorum respectu quoq; allatum genus dici possit genus, nec ne, attende*; si enim potest, & rei propositæ genus ac thesis confirmata erit; si non potest, nec rei propositæ genus, sed thesis refutata erit. v. c. Sit thesis, nigrum esse genus Æthiopis, refutatur ea, si ad eos respiciatur, qui ab Æthiopibus specie non differunt, nempe ad Scythas, de quibus quia nigrum ut genus dici non potest, planè enim nigri non sunt, inde neqve de Æthiopibus ut genus dici poterit: si verò dicatur, quantitatem esse genus linearum bicubitalium, confirmabitur illud, si ad lineas tricubitales, quæ à bicubitalibus specie non differunt, respiciatur, quia enim quantitas harum genus rectè dicitur, inde & illarum genus dicetur ac thesis confirmata erit.

7. *à diverso genere.* Quando aliquid alicujus rei genus esse dicitur, videndum est, *an res ista aliud genus habeat, quod propositum genus nec sub se contineat, nec sub illo contineatur*, si enim tale aliud genus habet, allatum genus minimè verum, sed thesis falsa & refutata erit. v. c. Sit thesis, scientiam esse genus justitiæ, refutatur ea, quia justitia aliud genus habet, nempe virtutem, quæ scientiam nec sub se comprehendit, nec sub eâ comprehenditur, & propterea cum virtus genus justitiæ sit, scientia ejus genus non erit: ita si dicatur motum esse genus animæ, refutatur, quia anima aliud genus habet, nempe actum perfectum, qui nec sub motu comprehenditur, nec motum

ſub ſe comprehendit, qui cum ſit genus animæ, motus illius genus eſſe non poteſt.

8. *à genere ſuperiori.* (1.) Quando aliquid affertur ut genus, *reſpice non ſolùm ad ipſum illud*, quod allatum eſt, *ſed & ad ſuperiora ejus genera*, hæc enim ſi de propoſitâ, in theſi, ſpecie in quid eſt non dicuntur, verum genus non eſt allatum, ſed theſis falſa ac refutata; v.c. ſit theſis, virtutem eſſe genus verecundiæ, refutatur ea, quia virtutis genus eſt habitus, habitus autem de verecundiâ in quid eſt non prædicatur, cum ea crebris exercitiis non acquiratur ac proinde nec habitus nomine dici nec ſub virtute tanquam genere contineri poſſit. Poteſt etiam *hic locus adhiberi ad confirmandum*, quia ſi tale quid loco generis affertur, quod alia ſuperiora genera habet, & verò ſuperiora iſta genera de allatâ, in theſi, ſpecie in quid dicuntur, verum genus allatum & theſis confirmata erit; v.c. ſi dicatur, continuum eſſe genus lineæ, confirmatur, quia ſuperius continui genus, nempe quantum, de lineâ in quid eſt prædicatur: & ſi dicatur, liberalitatis genus eſſe virtutem, probatur, quia ſuperiora virtutis genera, nempe, habitus, qualitas &c. de liberalitate in quid eſt prædicantur. Valet autem hic locus *in confirmando tunc ſolùm*, quando ſpeciem in theſi poſitam, ſub eo, quod loco generis in eâ allatum eſt, verè contineri conſtat, ſecus enim ſi non conſtet, ſed dubium ſit, non ſolum an genus ſit, ſed & an ſimpliciter vel ullo modo ipſi conveniat, *ſeorſim id oſten-*

ostendendum erit, aliàs argumentum à superiori genere non valebit; v. c. si thesis sit, lationem esse genus ambulationis, ea ut probetur, non sufficit, ostendere genus lationis superius, nempe motum, prædicari de ambulatione in quid est, sed cum multa motus genera sint, nempe generatio, corruptio, alteratio &c. id præprimis ostendendum est, ambulationem nec sub generatione, nec sub corruptione nec sub alio motus genere contineri, aut alius cujusdam definitionem recipere, quam solius lationis: ita enim verè genus esse probatum erit. (2.) Si tale affertur genus, *quod vel ipsum vel cujus superius genus participat definitionem subjectæ speciei*, istud verum genus non erit ex ratione *loco* 5. datâ; v. c. sit thesis, temperantiam esse genus habitus, refutatur, quia non modo positum genus, nempe temperantia sed & hujus generis superius genus, scilicet virtus recipit integram definitionem allatæ speciei, nempe habitus, quod cum generi repugnet, temperantia verum habitus genus non est: qui locus *coincidit plane cum loco quinto, nisi quod ille* de solo allato genere, *hic autem* & de superiori ejusdem genere loquatur. (3.) Quando thesis aliquid alicui ut genus suæ speciei inesse dicit, *vide an proposita species sub posito genere aliarum quoq; rerum genus sit, & an de his quoq; allatum in thesi genus, hujusq; superiora genera in quid est dicantur*, si enim dicuntur, verum in thesi genus allatum est, si non dicuntur, nec verum erit genus allatum, sed thesis

falsa

falſa & refutata; v. c. dicat theſis, animal eſſe genus avis, confirmatur, quia avis de aliis rebus ut genus dicitur, nempe de corvo, aquilâ & aliis, de quibus cum & animal & quod ſupra animal eſt, ſcilicet vivens dicatur in quid eſt, patet animal quoqve de ave in quid eſt dici & tanquam verum genus: ſi verò dicatur, ſcientiam eſſe genus virtutis, refutatur illud, quia virtus de aliis quoqve ut genus dicitur, nempe de fortitudine, liberalitate &c. de quibus cum ſcientia in quid eſt dici non poſſit, evidens eſt, nec virtutis genus ſcientiam, ſed theſin falſam eſſe.

9. *à definitione rei loco generis poſitæ.* Quando aliquid alicujus genus eſſe dicitur, ita, *ut definitio propoſiti generis propoſitæ ſpeciei ac iis, quæ ſub eâ continentur, non conveniat,* verum genus allatum non eſt; v. c. dicat theſis, numerum eſſe genus animæ, ut putavit Ariſtoxenus, refutatur ea, quia definitio numeri, quæ eſt collecta ex unitatibus multitudo, animæ non competit: neqve rectè ſapientia genus eſſe dicitur dialecticæ aut ſophiſticæ, definitio enim ſapientiæ, nempe vera rerum honorabiliſſimarum ſcientia, nec Dialecticæ convenit, quippe quæ circa honorabiliſſima non verſatur, nec Sophiſticæ, quæ, præterquam quod iterum circa honorabiliſſima non occupetur, vera non eſt, ſed apparens & fucata.

10. *à differentiis & ſpeciebus.* (1.) Quæcunqve theſis *differentiam ponit pro genere,* peccat,

peccat quia differentia rei genus non est, cum hoc in quid, illa in quale quid prædicetur; v. c. si thesis dicat, par esse genus binarii, aut mediocritatem esse genus virtutis, refutatur, quia par differentia est binarii, & mediocritas differentia virtutis. (2.) Quando thesis *differentiam sub genere ponit tanquàm speciem*, peccat, quia differentia non potest esse species, cum hæc definitionem generis recipiat, illa verò minus; v. c. si dicatur, numerum esse genus imparis, verum genus allatum non est, quia impar non species numeri est, sed differentia ejus: non rectè quoqve voluptas dicitur esse genus boni, quia iterum bonum non species est, sed differentia voluptatis. (3.) Quæcunqve thesis *speciem loco generis ponit & genus loco speciei*, peccat, quia tali ratione genus de paucioribus diceretur, quam species, quod definitioni generis repugnat; v. c. si dicatur, justum esse genus virtutis, refutari potest, quia justum angustius est & de paucioribus dicitur, quam virtus, quæ latius patet ac justum sub se comprehendit, adeoqve contrà, virtus potius justi vel justitiæ genus dicenda erit: nec latio rectè à Platone genus esse dicitur mutationis secundùm locum, sed contra potius, mutatio secundum locum est genus lationis, illa enim latior est & lationem quoqve sub se comprehendit, hæc autem strictior est & de eo solùm motu dicitur, quo inanimata à loco ad locum feruntur, *lib. 5. Physic. c. 3.* præter quam loci mutationem plures aliæ, nempe progressus, vola-

volatus &c. dantur. (4.) Cum thesis *speciem dicit esse genus differentiæ*, peccat, quia sic iterum genus de paucioribus diceretur, quam id, cujus genus esse perhibetur, speciem enim non patere adeò latè, quàm differentiam, ex definitione differentiæ *lib.1. Dial. c.2. §. 7.* traditâ constat; v. c. si thesis dicat, globum esse genus rotundi, refutatur, quia globus est species, rotundum autem differentia ejus constitutiva, quæ latior patet quam globus & de circulo quoqve dici potest: nec punctum genus est indivisibilis, quia iterum punctum species est, cujus constituens differentia est indivisibile, quod præter punctum de unitate quoqve & aliis pluribus prædicatur. (5.) Porrò si thesis *ponit differentiam pro genere, ipsum verò genus pro specie*, peccat, genus enim nunquam subjicitur differentiæ genus dividenti, sed semper eâ superius est & latius patet; v. c. sit thesis, impar esse genus numeri, refutatur, quia numerus genus est & latius patet, impar autem differentia numeri est, quæ numerum dividit & eapropter minus latè patet ac de paucioribus prædicatur: nec benè mediocritas dicitur esse genus habitus, quia habitus genus est & universalius quid, mediocritas verò differentia habitus est, quæ eundem dividit & longè angustior est ac proinde genus habitus dici non potest. (6.) Cum thesis *id quod genus alicujus rei est, dicit esse differentiam ejus*, peccat, quia genus differentia esse non potest, cum istud latius pateat, hæc verò strictior sit, istius definitio participetur

cipetur ab eo, cujus genus eſt, hujus verò definitio, ab eo, cujus differentia eſt, non participetur; v. c. ſit theſis, loci mutationem eſſe differentiam lationis, refutatur, quia genus ejus eſt, uti *ex tertio hujus loci præcepto* patet, latio enim definitionem recipit mutationis ſecundum locum, quod fieri non poſſet, ſi differentia ejus eſſet: unde nec animal pennigerum differentia avium erit, quia genus ejus eſt, cujus definitionem integram aves participant. (7.) Quando theſis alicujus rei *tale eſſe dicit genus, cujus nulla differentia de re iſtâ dicitur*, verum genus allatum non eſt; v. c. dicat theſis, animal eſſe mundi genus, refutatur, quia nulla animalis differentia, nec terreſtre, nec volatile, nec aquatile &c. mundo tribui poteſt: nec numerus genus erit animæ, quia nullam numeri differentiam, nec par nec impar, de animâ rectè prædicare licet.

II. *à naturæ ordine*, ſecundùm quem *prius naturâ id dicitur*, quo poſito alterum non ponitur, ablato autem alterum quoqve aufertur, ut animal prius naturâ eſt quàm homo, poſito enim animali, non ſtatim ponitur homo, ablato autem animali aufertur & homo: *poſterius verò naturâ vocatur*, quo poſito ponitur & alterum, ablato autem alterum non aufertur, ut v.c. homine poſito ponitur & animal, ablato verò homine animal non aufertur, cum canis, equus &c. adhuc eſſe poſſit. *lib. Cat. c. 12.* Hinc ſi theſis tale genus ponit, *quod allatâ ſpecie poſterius eſt*, ea falſa & refutata erit, quia

quia omne genus quavis suâ specie secundum naturam prius existit; v.c. dicat thesis, sonum esse genus percussionis, refutatur, quia sonus naturâ posterior est percussione, sublatâ enim percussione aufertur & sonus, at contra sublato sono percussio non statim aufertur, nec latio genus est mutationis loci, quia mutatio loci naturâ prior est latione, hac enim sublatâ illa non aufertur, illa autem sublatâ omninò & hæc perit.

12. *à separatione.* Quæcunqve thesis tale ponit genus, *quod à propositâ suâ specie separari potest*, verum genus non adfert, quia genus à specie suâ inseparabile est & in quid de eâ prædicatur; v.c. si dicatur, motum esse genus animæ, refutatur, quia motus separari ab animâ vel quia anima non moveri potest, ac propterea motus genus ejus non est: unde nec verum aut falsum rectè dicitur esse genus opinionis, quia separari hæc ab opinione possunt, cum opinio nec vera nec falsa sit, ut ex *lib. 1. Dial. c. 3. §. 4.* constat, quod præprimis de eâ quoqve opinione certum est, quæ de futuris contingentibus habetur.

13. *à contrario generis.* Cum thesis tale ponit genus, *cujus contrario participat proposita species, vel cujus contrarii definitionem recipit proposita species*, verum genus allatum non est, quia idem & generis propositi & ejus contrarii definitionem simul recipere vel contrariorum particeps simul esse non potest; v.c. dicat thesis, excessum esse genus vitii, refutatur ea, quia vitium

etiam

etiam recipit definitionem defectus, qui excessui contrarius est, & eapropter excessus genus vitii non est: neqve animal genus lapidis dici potest, quia lapis recipit definitionem inanimati, quod contrarium est animali.

14. *ab attributo speciei.* Quæcunqve thesis aliquid alicujus speciei genus esse dicit, *ita ut species proposita aliquid in se habeat, cum quo genus planè non communicat*, errat & verum genus non adfert; v. c. sit thesis, numerum esse genus animæ, refutatur, quia species nempe anima habet aliquid in se, scilicet vitam, cum quâ numerus nihil communicat, quippe cujus nulla species vivit, ac proinde neqve numerus animæ genus erit: unde nec virtus genus est continentiæ, quia hæc pravas cupiditates adhuc habet, à quibus totum virtutis genus abhorret.

15. *ab homonymiâ.* Quæ thesis tale adfert genus, *quod de propositâ specie æquivocè prædicatur*, peccat, cum omne genus synonymicè prædicari debeat, ut inductione patet; v. c. sint theses, clarum esse genus vocis, sapientiam esse genus physices, unum esse genus quanti &c. refutantur, quia omnia hæc homonyma sunt & de subjectis speciebus æquivocè, contra indolem generis, dicuntur: an autem propositum genus æquivocum sit nec ne, id ex secundo inventionis organo & locis *lib. 1. Dial. c. 4. §. 3.* traditis discere licebit.

16. *à multitudine specierum.* Quando tale

le adſertur genus, *quod præter ſpeciem in theſi allatam, nullam aliam habet*, theſis falſa nec verum genus allatum eſt, cum omne genus plures habere oporteat ſpecies, ut ex definitione ejus conſtat; v. c. ſit theſis, longitudinem eſſe genus lineæ, ut habetur in definitione lineæ *ap. Euclid. lib. 1. Element.* refutatur ea, quia nulla alia præter lineam longitudinis ſpecies inveniri poteſt, ac propterea nec longitudo genus erit: neqve diviſibile rectè dicitur eſſe genus quanti, ſi enim propriè accipiatur, nulla ejus ſpecies præter quantum datur ac proinde genus dici non poteſt.

17. *à metaphorâ vel translatione.* Si tale adfertur genus, *quod de propoſitâ ſpecie non propriè dicitur, ſed per metaphoram*, id verum genus non eſt, ſed theſis falſa & refutata, cum omne genus verè & propriè aut ſynonymicè de ſpeciebus dicatur; v. c. ſint theſes, concentum ſeu ſonorum concordiam eſſe genus temperantiæ, florem eſſe genus adoleſcentiæ, occaſum ſenectutis, hæc enim occaſus vitæ, illa flos ætatis vocari ſolet, riſum eſſe genus amœnitatis, quando prata ridere dicuntur, &c. refutantur eæ omnes, quia quæ generum loco ponuntur, de allatis ſpeciebus, metaphoricè tantum, non autem propriè prædicantur ac proinde genera earum dici non poſſunt.

18. *à contrariis.* (1.) Si *genus propoſitum non habet contrarium, ſpecies autem propoſita habet contrarium, hoc autem ſub eodem cum*

ſpecie

ſpecie in theſi propoſito genere non eſt, verum genus allatum non erit, quia ſi nihil generi contrarium eſt, contraria eidem generi ineſſe oportet, ut inductione conſtat; v. c. ſit theſis, animal eſſe genus albi, refutatur, quia albo contrarium eſt nigrum, quod cum ſub animali, cui propriè nihil contrarium eſt, non contineatur, nec animal genus albi eſſe poteſt. (2.) Si & genus allatum & ſpecies allata contrarium habent, vide, *an id quod ſpeciei contrarium eſt, ſit ſub eo, quod generi contrarium eſt*, ſi enim non eſt, nec verum genus allatum ſed theſis falſa eſt & refutata, quia ſemper, quando genus contrarium habet, contrariæ ſpecies ſub contrariis generibus continentur; v. c. ſit theſis, vitium eſſe genus incontinentiæ, refutatur, quia vitio contraria eſt virtus, incontinentiæ verò continentia, continentia autem non continetur ſub virtute, ergò nec incontinentia continebitur ſub vitio ac proinde vitium incontinentiæ genus non erit. (3.) Quando tale affertur genus, cujus in theſi *propoſita ſpecies contrarium habet, iſtud verò contrarium ſub nullo planè genere eſt, ſed ipſum quoddam genus*, neqve ſpecies in theſi propoſita ſub aliquo genere erit ac propterea genus allatum verum genus non erit; v. c. ſi dicatur, dolorem eſſe genus paſſionis, refutatur, quia paſſio contrarium habet, nempe actionem, quæ nullius generis ſpecies eſt, ſed ipſum quoddam genus, ergò nec paſſio ſpecies alicujus generis aut ſub aliquo genere, ſed genus aliquod erit ac pro-

inde dolor ejus genus esse minus rectè dicetur: neqve privatio est genus mali, quia quod contrarium malo est, nempe bonum non est sub genere, sed ipsum genus, ac proinde malum quoqve non sub genere, sed ipsum genus erit. (4.) Si & propositum in thesi genus & proposita species aliquod habent contrarium, *& inter genus ejusq; contrarium aliquod interjectum est medium, inter speciem verò ejusq; contrarium non est, aut contra*, si inter speciem ejusqve contrarium aliquod interjectum est medium, inter genus verò & ejus contrarium non est, verum genus allatum non est, sed thesis falsa ac refutata; secus enim medium istud inter duo contraria genera nullam haberet speciem, aut media inter duas contrarias species nullum haberet genus, quod est absurdum. V. c. dicat thesis, congregationem, intellige atomorum, esse genus generationis, refutatur, quia inter congregationem & ejus contrarium, scilicet segregationem, est medium aliquod, immixtio, inter generationem verò & ejus contrarium, nempe corruptionem, nullum est medium, ergò congregatio generationis genus non est: ex quâ causâ neqve vita genus rectè dicitur accretionis, quia inter vitam, & quæ ei contraria est, mortem nullum interjectum est medium, inter accretionem autem vel accrescere & quod ei contrarium est, decrescere, datur medium, quod scilicet neutrum est & neqve accrescit neqve decrescit, sed quod satis jam crevit, decrescere autem nondum cœpit.

Sed

Sed *instantiam adversus hunc locum affert* Arist. de morbo & sanitate, quæ medium non habeant, & bono ac malo, quæ illorum genera sint, medium tamen habeant, nempe quod neutrum est, *lib. 10. Metaph. c. 5.* ad quam exceptionem *responderi facile potest*, partim, quod bonum & malum non sint genera, nisi transcendentia & remotissima, partim quod inter sanitatem & morbum aliquod forte medium detur, quod καχεξία vocari solet. (5.) Quando utrobiqve & inter contraria genera & inter contrarias species *interjectum quidem est medium, at diverso modo, alterum negatione, alterum verò affirmatione tale*, iterum verum genus allatum non est; utrobiqve enim similiter proferri probabile est, ut, quia virtus est genus justitiæ, medium quoqve inter virtutem ac ejus contrarium nempe vitium, & inter justitiam ac injustitiam, utrobiqve similiter & per negationem tale est: unde minùs rectè bonum dicitur esse genus sanitatis, quia medium inter bonum ejusqve contrarium, nempe malum, est per negationem tale, medium autem inter sanitatem & morbum, nempe καχεξία, per participationem & affirmationem ita vocatur. (6.) Quando generi allato nihil contrarium est, speciei verò allatæ alia species ita contraria est, ut medium aliquod interjectum sit, tum *si medium inter contrarias species interjectum sub eodem allato in thesi genere non continetur*, verum genus propositum non est, oportet enim medium cum extremis sub eodem

genere esse, ut inductione patet; v.c. circumferentia non rectè dicitur esse genus concavi & convexi, inter hæc enim est medium, nempe rectum, quod sub circumferentiâ non continetur. Adferri hîc solet *instantia*, quia *excessus & defectus sunt contrariæ species* unius generis, nempe mali, medium tamen inter has species interjectum, nempe virtus, sub malo non continetur, sed ejus contrario genere, nempe bono; at verò *responderi potest*, loqui hunc locum de tali genere, cui nihil contrarium est, malo autem contrarium est bonum & vitio virtus. (7.) Quando tale adfertur genus, cui aliquid est contrarium, *speciei propositæ verò nihil est contrarium*, verum genus allatum non est, quia semper si genus habet contrarium, habebit etiam species, ut inductione constat, quanquam non contra valeat, si species habet, etiam habebit genus; cum itaqve dicitur v.c. harmoniam esse genus animæ, vacuum esse genus loci &c. refelli potest, quia harmonia habet contrarium, nempe dissonantiam, anima verò contrarium non habet, & vacuum habet contrarium, nempe plenum, locus autem non habet: unde nec harmonia animæ, nec vacuum loci genus erit. Iterum *adfertur hîc instantia*, scilicet morbum esse tale genus, quod contrariam habet sanitatem, cum tamen speciebus morbi, v.g. pleuritidi, ophthalmiæ, febri &c. nihil sit contrarium; ad quam tamen *responderi fortè potest*, etiam his morbi speciebus sua esse contraria, at carere illa nominibus vel nulla ipsis
impoſi-

impoſita eſſe nomina: in ipsâ enim rerum naturâ his pravis animalium conſtitutionibus alias, easqve bonas ac naturæ animalium accommodatas, oppoſitas & contrarias eſſe, nemo negare poteſt. Atqve hæc ſunt *loci à contrariis præcepta, ea, quibus ad refutandum utimur, ad confirmandum verò tria tantùm ex illis valent;* (1.) Si *contrarium ſpeciei ſub genere poſito, cui nihil eſt contrarium, fuerit*, verum genus allatum eſt; v.c. color, cui nihil contrarium eſt, probatur verè genus eſſe nigredinis, quia albedo nigredini contraria ſub colore tanquam genere continetur. (2.) Si *allatæ ſpeciei medium, ſcilicet per participationem tale, eſt in propoſito genere*, verum genus propoſitum erit; v.c. color verum nigredinis genus eſt, quia quod inter albedinem & nigredinem medium eſt, nempe fuſcum, rubrum &c. ſub colore tanquam genere continetur. (3.) Si *contrarium ſpeciei eſt ſub contrario generis*, etiam propoſita ſpecies ſub propoſito genere erit; v.c. virtus eſt genus juſtitiæ, quia vitium eſt genus injuſtitiæ.

19. *à caſibus & conjugatis.* Si *caſus & conjugata allati generis, ſunt genera caſuum & conjugatorum allatæ ſpeciei*, genus verum allatum eſt, ſin minus, allatum genus & ipſa theſis falſa ſunt; v.c. ſit theſis, ſcientiam eſſe genus fortitudinis, refutatur, quia ſcienter agere non eſt genus τῷ fortiter agere, & quia ſciens non eſt genus fortis &c: ſi verò dicatur, artem eſſe genus dialecticæ,

cæ, confirmatur, quia artificiosè genus est τῆς dialectıcè & artifex genus dialectici &c.

20. *à proportione vel analogiâ.* Quando aliquid alicujus rei genus esse dicitur, *ita ut quem admodum propositum genus se habet ad aliud quid, sic & allata species ad aliud quid sit affecta*, tum si istud quod in hac proportione allato in thesi generi respondet, est genus ejus, quod allatæ in thesi speciei respondet, etiam ipsum allatum genus verum genus, ac thesis confirmata erit, si verò istud genus non est, nec quod in thesi allatum est, verum genus, sed thesis refutata erit; v.c. sit thesis confirmanda, mixtionem esse genus temperamenti vel temperiei, hîc sicuti se habet mixtio ad mixtum, ita temperies ad temperatum, ac propterea in hac proportione mixtioni è regione respondet mixtum, temperamento autem temperatum, mixtum verò genus est temperati, ergò & mixtio temperamenti genus erit: si verò dicatur, utile esse genus jucundi, refutabitur, quia uti se habet utile ad bonum, affert enim utilitas bonum, ita & jucundum ad voluptatem, cum & jucundum afferat voluptatem, atqve ita utili è regione respondet bonum, jucundo autem voluptas, ex quibus, quia bonum non est genus voluptatis, esset enim omnis voluptas bona, quod falsum est, inde nec utile jucundi genus, sed ipsa thesis falsa ac confutata erit.

21. *à generatione & corruptione.* (1.) Quando aliquid dicitur esse genus, *ad generationem*

nem & ortum attende, si enim generatio ejus quod loco generis affertur, est genus generationis ejus, quod loco speciei affertur, verum genus allatum & thesis confirmata est, si verò generatio genus generationis non est, nec id quod in thesi affertur, genus est, sed thesis refutata; v. c. sit thesis, effectum esse genus ædificati, probatur, quia efficere, quod est generatio effecti, est genus τοῦ ædificare, quod est generatio ædificati: si verò dicatur, putredinem esse genus acoris, refutatur, quia putrescere, quod est generatio putredinis, non est genus τοῦ acescere, quod est generatio acoris, ergò nec putredo acoris genus erit. Hinc neqve scientia est genus justitiæ, quia generatio scientiæ nempe disciplina non est genus assvefactionis, quæ est generatio justitiæ; neqve scientia est genus sensus, quia disciplina quæ est origo vel generatio scientiæ, non est genus naturæ, quæ est origo sensus &c. (2.) Pari pacto *respice ad corruptionem*, si enim corruptio ejus, quod pro genere allatum est, est genus corruptionis ejus, quod pro specie affertur, verum genus allatum est, si secus se habet, falsum; v. c. sit thesis, calidum esse genus ignis, confirmatur, quia refrigeratio, quæ est corruptio calidi, est genus extinctionis, quæ est corruptio ignis, ergò & calidum genus est ignis: si verò dicatur, morbum esse genus ignorantiæ, refutatur, quia exercitatio, quæ est corruptio morbi, non est genus disciplinæ, quæ est corruptio ignorantiæ, ergo nec morbus ignorantiæ genus

nus erit. Pari modo quæstio generis ex generantibus & corrumpentibus causis examinari potest.

22. *à potentiâ & usu.* (1.) Quando aliquid dicitur esse genus, *ad potentiam ejusdem respice*, si enim potentia positi generis est genus potentiæ allatæ speciei, verum genus allatum, si non est, nec genus verum, sed thesis refutata erit; v. c. sit thesis, artem esse genus dialecticæ, confirmatur, quia potentia artis, nempe potentia benè & ex ratione aliquid efficiendi, est genus potentiæ benè & decenter disputandi, quæ dialecticæ potentia est: si verò dicatur, nutritionem esse genus augmentationis, refutatur, quia potentia nutriendi vel posse nutriri non est genus potentiæ augmentandi vel τȣ͂ posse augeri, sed alia hujus alia illius existit ratio ac proinde nec nutritio augmentationis genus dici potest. (2.) *Respice quoq; ad usum & operationem*, quia si usus & operatio allati generis est genus operationis & usus allatæ speciei, verum genus propositum est, si verò non est, nec genus propositum verum, sed thesis falsa erit; v. c. sit iterum thesis, artem esse genus dialecticæ, probatur, quia usus & operatio artis, nempe promptè aliquid efficere, est genus, usus atqve operationis Dialecticæ, quæ est, promptè efficere opinionem in alio per disputationem, ergo & ars dialecticæ genus erit: si verò dicatur, scientiam esse genus virtutis, refutatur, quia usus & operatio scientiæ, nempe contemplatio, non est genus actionis, in quâ

quâ uſus & operatio virtutis conſiſtit, ergò nec ſcientia virtutis genus erit.

23. *à privativis.* (1.) Cum aliquid genus eſſe dicitur, vide *an id, quod allatæ ſpeciei privativè opponitur, ſit in eodem allato genere*, id enim ſi fuerit, verum genus allatum non eſt, quia fieri non poteſt, ut habitus & privatio ſint ſub uno genere, præprimis proximo & immediato; v. c. ſit theſis, paſſionem eſſe proximum genus motus, refutatur, quia quies, quæ privativè motui opponitur, ſub paſſione comprehenditur, ergò paſſio motus genus, proximum nempe & immediatum, non eſt: nec habitus eſt genus ignorantiæ, quia eſt genus ſcientiæ, cui ignorantia privativè oppoſita eſt. (2.) Attende quoqve, *an & propoſito generi aliquid opponatur privativè, & propoſitæ quoq; ſpeciei*, tum enim ſi id quod generi opponitur eſt genus ejus, quod opponitur ſpeciei propoſitæ, ipſum quoqve propoſitum genus verè genus erit, ſi ſecus ſe habet, allatum genus non verum, ſed theſis falſa & refutata erit; v. c. ſit theſis, ſenſum eſſe genus auditus, confirmatur, quia ſenſui privativè opponitur ἀναισθησία, auditui verò ſurditas, ἀναισθησία autem eſt genus ſurditatis, ergò ſenſus quoqve genus auditus erit: ſi verò dicatur, ſcientiam eſſe genus viſus, ut Theætetus apud Platonem dicebat, refutatur, quia ſcientiæ privativè opponitur ignorantia, viſui verò cœcitas, inde cum ignorantia non ſit genus cœcitatis, nec ſcientia genus viſus erit.

24. *à con-*

24. *à contradictoriis.* Quando aliquid genus esse dicitur, *respice ad consecutionem contradictoriorum indirectam, supra lib.II. Dial.loco 21.* descriptam, hæc enim si locum habet, propositum genus verum genus, ac thesis confirmata, si non habet, non verum genus, sed thesis refutata erit; v. c. dicat aliquis, virtutem esse genus justitiæ ac proinde talem ponat thesin, justitia est virtus, confirmabitur hæc, si attendo ad propositionem indirectè ex hac thesi sequentem, nempe, quod non est virtus, non est justitia, quæ cum sit verissima, sequitur, justitiam esse speciem virtutis, vel virtutem esse genus justitiæ: quanquàm, ut rectè monet Alexander, *hic locus probabilis tantum sit, non necessarius, atq; in accidente quàm genere verior,* neqve enim ex hac indirectâ consecutione inferri potest, *id quod propositum est, esse verum genus*, nisi cœtera sint paria, id est, nisi latius pateat propositâ specie, nisi de eâ in quid dicatur &c. unde non sequitur, hominis genus esse rationale, quia quicquid non rationale est, non est homo, rationale enim proprium est & latius quam proposita species, homo, non patet, neqve rectè infero, oloris genus esse album, quia quicquid non est album, non est olor, non enim album de olore in quid est prædicatur. *In refutando tamen universalior est ac semper valet*; v. c. dicat aliquis, laudabile esse genus boni, ac talem ponat thesin, bonum est laudabile, refutabitur, quia non valet indirecta contradictoriorum consecutio, quicquid

non

non eſt laudabile, non eſt bonum, ſunt enim plurima bona, ut ſanitas, divitiæ &c. quæ in ſe laudabilia non ſunt, unde nec laudabile genus boni erit.

25. *à relatis.* (1.) Quando *propoſita in theſi ſpecies refertur ad aliud, vel relatum eſt, propoſitum verò genus ad aliud non refertur*, verum genus allatum non eſt, quia, ut inductione patet, ſemper genus oportet eſſe in eâ categoriâ, in quâ eſt ſpecies, ut ex *ſuperiori loco 4.* conſtat, quamvis non ſtatim contra, in quâ categoriâ genus eſt, in eâ etiam ſpeciem eſſe, neceſſe ſit, ut ex ſcientiâ, quæ genus eſt, conſtat, quæ in categoriâ relatorum eſt, refertur enim ad ſcibile, cum ſpecies ejus grammatica referri ad hoc prædicamentum non poſſit. Hinc ſi dicatur, quantitatem eſſe genus æqualis, refutatur, quia ſpecies nempe æquale ad categoriam relatorum pertinet, æquale enim reſpectu alterius cujusdam, ad quod refertur, ita dicitur, quantitas verò ad relata reduci non poteſt; ergò nec quantum æqualis genus erit. Solet *adferri hic inſtantia*, virtutis genus nihilominus eſſe bonum vel honeſtum, quamvis virtus referatur ad alium, cujus nempe virtus eſt, atqve ita inter relata numeretur, bonum autem vel honeſtum ad relatorum categoriam referri non poſſit; cui tamen *occurri facilè poteſt*, ſi dicatur, vel virtutem non numerari inter relata, quâ virtus eſt, ſed quatenus habitus eſt, vel bonum ac honeſtum vera virtutis genera non eſſe, illud quidem, quia æqui-

æquivocum eſt, hoc verò quia cum virtute æqve latè patet, cum omne genus latius pateat ac de pluribus dicatur. Porrò *locus hic ad refutandum ſolùm, non autem ad confirmandum valet*, cum non ſtatim illud alicujus rei genus ſit, quod ad eandem cum eâ categoriam refertur, neqve rectè inferatur, duplum eſſe genus ſcientiæ, quamvis utrumqve in categoriâ relatorum exiſtat. (2.) Quando & propoſitum genus & propoſita ſpecies ad relata pertinent, *id tamen ad quod referuntur, unum idemq; non eſt*, verum genus allatum non erit; v. c. ſit theſis, potentia videndi eſt genus viſionis, refutatur, quia viſio refertur ad viſibile, potentia videndi verò non ad viſibile, ſed potentem vel eum, qui potentiam habet. (3.) Imo & *ad generis poſiti genus reſpiciendum eſt*, ſi enim & hoc ad idem cum propoſita ſpecie non refertur, poſitum genus iterum verùm non eſt; v. c. ſit theſis eadem, potentiam videndi eſſe genus viſionis, refutatur, quia ſuperius hujus generis genus, nempe qualitas, non ad unum idemqve cum allatâ ſpecie, ſcilicet ad viſibile refertur, ſed ad aliud quid, nempe ad quale, vel id, quod qualitatem habet: unde potentia videndi genus viſionis non eſt. Rurſus hîc *adfertur inſtantia*, habitum verè eſſe genus ſcientiæ, quamvis ad idem non referatur & genus & ſpecies, cum habitus ad habentem referatur nempe ad animum, cujus habitus eſt, ſcientia verò ad ſcibile; ad quam tamen *Alexander reſpondet*, habitum dupliciter dici & de habente & de

& de iis, quæ habentur, in quâ poſteriori ſignificatione ſi accipiatur, ad idem cum ſcientiâ, nempe ad ſcibile refertur ac objectio exſpirat. (4.) Cum tale adfertur genus, *quod ad ſuum correlatum non in eodem refertur caſu, in quo ſpecies allata ad ſuum oppoſitum refertur*, verum genus allatum non eſt; v. c. ſit theſis, volentem eſſe genus amici, refutatur, quia volens ad ſuum correlatum refertur in caſu accuſativo, qui enim vult, aliquid vult, amicus autem in dativo, qui enim amicus eſt, alicui amicus eſt: neqve additio genus eſt augmenti, quia additio in dativo ad aliquid refertur, additio enim fit alicui, augmentum verò in genitivo, alicujus enim augmentum eſt. *Non tamen univerſalis eſt hic locus*, ſed in multis ſolùm ita ſe habet, non verò in omnibus; v.c. aliud aut diverſum eſt genus contrarii, quamvis contrarium ad oppoſitum referatur in dativo, contrarium enim alicui contrarium eſt, aliud verò ac diverſum in ablativo, aliud enim ac diverſum aliquid ab alio eſſe dicitur. (5.) Quando & propoſitum genus & propoſita ſpecies iisdem quidem caſibus ad ſua correlata referùntur, *ipſa verò hæc correlata non reciprocè iisdem ſed diverſis caſibus ad relata ſua, ad poſitum nempe in theſi genus ac poſitam in eâ ſpeciem recurrunt*, verum genus allatum non eſt; v. c. ſit theſis, opinionem eſſe genus ſcientiæ, refutatur, quia, utut relata hæc ad ſua correlata, nempe ad opinabile & ſcibile referantur iisdem caſibus, nam & opinio opina-

opinabilis opinio & ſcientia ſcibilis ſcientia dicitur, non tamen reciprocatio vel relatio horum poſteriorum ad priora illa his ipſis fit caſibus, ſed cum prior illa relatio fieret in genitivo, poſterior hæc fit in ablativo, neqve opinabile opinionis opinabile, ſed opinione opinabile & ſcibile ſcientiâ ſcibile dicitur: unde opinio ſcientiæ genus non eſt. (6.) Quando utrumqve in theſi poſitum & genus & ſpecies relata ſunt, *alterùm verò ex his non æqualibus aut totidem caſibus ad ſuum correlatum fertur, quot alterum, vel quando alterum ad unum tantùm refertur, alterum verò ad plura*, genus verum allatum non eſt; v. c. ſit theſis, orationem eſſe genus laudis, refutatur, quia laus pluribus caſibus dicitur vel ad plura refertur, dicitur enim & alicujus eſſe & in aliquâ re, oratio verò unico tantùm caſu ſeu ad unum tantùm refertur, quia oratio alicujus ſolùm eſſe dicitur, ergò oratio laudis genus non eſt: unde nec appetitus genus erit iræ, quia iterum ira & alicujus & ſuper aliquâ re, appetitus autem tantùm alicujus eſſe dicitur, atqve ita ira pluribus caſibus vel ad plura, appetitus verò uno tantùm vel ad unum refertur. *Non tamen univerſalis videtur hic locus eſſe*, quia v. c. ſuperans vel excedens videtur eſſe genus dupli aut multipli, cum tamen multiplum & duplum uno tantum caſu & ad unum ſolùm referatur, eſt enim alicujus duplum vel multiplum, ſuperans autem vel excedens & aliquid ſuperare & aliquâ in re ſuperare dicatur:

quo-

quomodo & oratio in primo loci exemplo poſita nihilominus laudis genus eſſe videtur, quamvis totidem cum laude caſibus ad aliud non referatur. (7.) Quando & propoſitum genus & propoſita ſpecies ſunt relata & oppoſita correlata habent, *vide, an quod generis oppoſitum & correlatum eſt, ſit genus ejus, quod ſpeciei allatæ oppoſitum & correlatum eſt*, ſi enim eſt, verum genus allatum erit, ſi non eſt, genus ac proinde ipſa quoqve theſis falſa erunt; v. c. ſit theſis, multiplum eſſe genus dupli, confirmatur, quia illi relativè opponitur ſubmultiplum, huic vero ſimplum, ſubmultiplum autem eſt genus ſimpli, ergò & multiplum genus dupli erit: ſi verò dicatur, ſenſum eſſe genus ſcientiæ, refutatur, quia ſenſibile ſcibilis genus non eſt. (8.) Cum relata alia in iis, ad quæ referuntur, *ſint neceſſariò*, ut altera ſine alteris eſſe non poſſint, quomodo compoſitio eſt in compoſito, affectio in affecto &c. *alia non neceſſariò inſint*, ineſſe tamen aliquando poſſint, ut ſcientiam non neceſſe eſt eſſe in ſcibili, v. c. lapide, auro & aliis, quæ ſcibilia ſunt, eſſe tamen aliquando in ſcibili poteſt, ut ſi ipſe animus ſciatur, alia deniqve *impoſſibile eſt ineſſe in iis, ad quæ referuntur*, ut duplum in dimidio, multiplum in ſimplo &c. inde ſi tale adfertur genus, talisqve ſpecies, *ut alterum ex his in eo, ad quod refertur, inſit vel neceſſariò vel non neceſſariò, alterum verò eo modo non ſit*, verum genus allatum non eſt: v. c. ſit theſis, manſionem vel retentio-

nem, intellige ſcientiæ, eſſe genus memoriæ, refutatur, quia manſio neceſſariò eſt in manente, ad quod refertur, cum nec manſio ſine manente, nec manens ſine manſione eſſe poſſit, memoria autem in eo, cui ineſt, vel qui memoriam habet, neceſſariò non ineſt: quod exemplum, ut & alia plura, præter Ariſtotelem, Alexander prolixius diducta habet.

26. *ab habitu & operatione.* Quæcunqve theſis tale adfert genus talemqve ſpeciem, *ut illud operationem & actum ſignificet, hæc verò habitum, aut contra, illud habitum, hæc verò actum,* ea verum genus non attulit; v. c. ſi dicat, motum eſſe genus ſenſus, refutatur, quia motus eſt actus, *lib. 3. Phyſic. c. 1.* ſenſus autem eſt habitus vel facultas: neqve ex eadem ratione virtus rectè dicitur eſſe genus beatitudinis civilis, virtus enim habitus eſt, beatitudo autem non habitus ſed actio *lib. 1. Ethic. c. 3.*

27. *à conſequente.* (1.) Qui *facultatem ex habitu conſequentem ipſius habitus genus* eſſe dicit, is errat; v. c. ſit theſis, moderationem iræ eſſe genus clementiæ, refutatur, quia moderatio hæc facultas eſt conſequens ipſam clementiam, clementia enim non ipſa moderatio eſt, ſed eam ſolum adjunctam aut connexam habet: unde nec contemplatio eſt genus ſcientiæ, quia ſcientiam ſequitur contemplatio. (2.) Qui *id alicujus rei genus eſſe dicit, quod ejus qualecunqꝫ conſequens eſt,* is peccat, quia, utut genera ſpecie-

rum

rum consequentia sint, non tamen statim contrà, quævis consequentia sunt genera, sed ea solum, quæ ita rem consequuntur, ut res sit ipsum illud, quod consequentis nomine significatur; sicuti animal ita consequitur hominem, ut homo sit ipsum quoddam animal & virtus ita consequitur justitiam, ut hæc sit ipsa quædam virtus &c. quod si in allato genere observatum non est, thesis falsa est & refutata; v. c. dicat thesis, dolorem esse genus iræ, refutatur, quia quanquam dolor consequens iræ sit in prædicando, ut rectè dicere possim, hic irascitur ergo dolet, non tamen ira est ipse dolor, quod necessarium foret, si species doloris esset, sed aliud à dolore, dolor enim tempore præcedit, & qui se injuriâ affectum esse putat, prius dolet, deinde irascitur: unde manifestum est, iram non esse ipsum quendam dolorem, sed aliud quid à dolore, ac propterea dolorem non esse genus iræ, quamvis iram in prædicando consequatur.

28. *à subjecto.* Si tale adfertur genus, *quod cum proposita specie non est in eodem subjecto*, verum genus allatum non est, oportet enim genus in eodem cum specie subjecto esse, ut inductione patet; v. c. sit thesis, prudentiam esse genus Philosophiæ practicæ, refutatur, quia prudentia est in intellectu deliberativo, Philosophia autem in intellectu scientifico: unde nec scientia genus sensus est, illa enim in intellectu est, hic in animâ sensitivâ.

29. *à communicatione generis.* Si tale adfertur genus, *quod cum ſpecie ſecundum aliquam tantùm partem communicatur, aut ſecundum quid & aliquam ſolum partem de eâ dicitur*, id verum genus non eſt, cum genus ſimpliciter & omnino aut ſecundùm totum ineſſe oporteat; v. c. dicatur, viſibile eſſe genus animalis, refutatur, quia viſibile eſſe non convenit animali toti, omninò ac ſimpliciter, ſed ſecundùm aliquam tantùm ejus partem, non ſcilicet ſecundùm animam, ſed ſolùm ſecundùm corpus & exteriorem ejus ſuperficiem: neqve immortale genus hominis eſt, quia homini non toti aut quà homo eſt, neqve ſimpliciter & omninò competit, ſed parti tantùm illius, nempe animæ ejusdem.

30. *à toto & parte.* Non uno modo dicuntur pars & totum, ſed *pars quidem integralis* vocatur, quæ ad quantitatem aut integritatem totius complendam facit, ut eſt pes, manus, collum &c. ex quibus *totum integrale*, nempe corpus, conſtituitur; quædam verò vocatur *eſſentialis* & eſt vel *Phyſica*, v. c. materia & forma, corpus & anima, ex quibus *totum esſentiale Phyſicum*, nempe animal, conſtituitur, *vel metaphyſica ac logica*, ut vulgò à nonnullis vocatur, v. c. genus & differentia, ex quibus *totum eſſentiale logicum vel metaphyſicum* componitur &c. Hinc quæcunqve theſis tale adfert genus, *quod allatæ ſpeciei pars eſt aut integralis aut eſſentialis Phyſica*, illa verum genus non attulit; v. c. ſit theſis,

cor-

corpus eſſe genus animalis, refutatur, quia corpus animalis pars eſſentialis Phyſica eſt, ex corpore enim & animâ eſſentia animalis Phyſicè conſtat, ergo genus ejus non eſt: nec tectum eſt genus ædificii, quia pars illius integralis exiſtit.

31. *ab eligendis & fugiendis.* (1.) Quando theſis *rei turpi & fugiendæ pro genere asſignat potentiam aliquam*, ea verum genus non adfert, turpitudo enim non ex potentiâ ita aut aliter agendi æſtimanda eſt, ſed ex proæreſi & intentione; v. c. ſi dicatur, poſſe clam aliquid auferre eſſe genus furis, refutatur, quia potentia loco generis poſita eſt, nemo enim ideò fur dicitur, quia auferre aliquid poteſt, ſed quia vult & intendit: unde nec Sophiſtæ genus eſt, poſſe decipere fucatâ Sapientiâ, propter eandem cauſam. (2.) Pariter peccat, qui *rei eligendæ ac honorabilis genus potentiam eſſe* dicit, cum res honorabilis per & propter ſe expetatur, potentia verò ſemper propter aliud, propter id nempe, cujus efficiens exiſtit; v. c. potentia virtuosè agendi non eſt genus beatitudinis, quia hæc propter ſe expetitur, potentia verò propter illam, cum ejus, ut ita dicam, efficiens ſit; quamobrem neqve bona indoles eſt genus eruditionis & ſcientiæ, quia illa vis ac facultas eſt ad hanc, vel quaſi efficiens hujus, atqve ita propter hanc expetitur, cum hæc propter ſeſe expetatur.

32. *à numero generum.* Quando ejus rei, *cujus duo vel plura ſunt genera, unum tantùm*

adfertur, verum genus allatum non est, quædam enim sunt, quæ ad unum genus referri non possunt; v. c. si quis dicat, genus impostoris aut calumniatoris esse, aut velle tantùm aut posse tantùm, nempe decipere aut calumniari, refutatur, quia non alterum horum tantùm sed utrumqve requiritur ad id, ut aliquis impostor aut calumniator dicatur, neqve enim is impostor vocatur, qui decipere vult, at non potest, neqve is, qui potest, at non vult, sed qui utrumqve & vult & potest. Videtur autem *hic locus repugnare superiori loco 7. hujus libri*, ubi dictum est, non posse unius rei duo esse genera non subalterna, cum tamen præsente loco velle & posse, quæ certè subalterna non sunt, nec se invicem comprehendunt, unius rei, nempe impostoris genera esse dicantur; cui *exceptioni respondet Alexander*, esse quædam genera, quæ nomine carent ac unâ voce efferri non possunt, sed pluribus circumscribi opus habent: quod cum & hîc fiat ac impostoris genus duabus efferatur vocibus, de duabus his vocibus loquitur Arist. quasi duo sint genera, cum tamen reverà unum tantùm sit genus, innominatum scilicet, quod & facultatem & voluntatem in sese comprehendit, sicuti animal, quod certè unum genus est, & sensitivum & à se mobile complectitur, quanquam hæc subalterna non sint, aut alterum sub altero non contineatur.

33. *à permutatione generis & differentiæ.* Quæcunqve thesis *permutat genus & differentiam*,

tiam, ac in definitione aliquâ genus loco differentiæ, differentiam autem pro genere ponit, ea verum genus non adfert; v. c. sit thesis & definitio talis, occasio est tempus opportunum, refutatur, quia nec tempus respectu opportuni genus dici potest, nec opportunum respectu temporis differentia, sed contra potius opportunum loco generis ponendum, tempus autem loco differentiæ, & occasio opportunitas temporis dicenda est, quod cum inverterit & permutarit thesis, falsa ea est & refutata: unde nec Respublica rectè definitur esse civitas ordinata, quia iterum genus & differentia permutata hîc sunt, sed ordo potius civitatis dicenda est, nec obstupefactio rectè dicitur esse exsuperantia admirationis, sed contra potius, admiratio exsuperans vel excedens modum. Si enim hæc definitio, stupor vel obstupefactio est exsuperantia admirationis, bona esset, sequeretur etiam res inanimatas obstupescere; quia namqve omnis exsuperantia est in eo, cujus exsuperantia est, inde si stupor est exsuperantia admirationis, stupor in admiratione erit ac proinde obstupescet admiratio, imò quoqve cum detur vehemens aliquis & exsuperans stupor, si stupor exsuperantia est, dabitur exsuperans exsuperantia: ex quibus & aliis positam definitionem consequentibus absurdis patet, eam non recte sese habere, nec exsuperantiam genus, sed differentiam potius, admirationem verò non differentiam, sed genus, totamq; definitionem hanc esse, stuporem esse admiratio-

nem, quæ exſuperat vel excedit modum. *Coincidit planè hic locus cum ſuperioris loci 10. parte 1. & 6.* niſi fortè *hæc ſit differentia*, quod ſupra genus & differentia non conſiderentur in reſpectu ad ſe invicem, ſed in reſpectu, quem utrumqve horum habet ad ſpeciem, quippe cujus utrumqve eſſe dicitur, neqve quæratur ibi, an aliquid rectè dicatur genus reſpectu differentiæ aut contra differentia reſpectu generis, ſed an aliquid aut genus aut differentia rectè dicatur ratione & reſpectu ſpeciei, hîc autem genus & differentia non cum ſpecie conferantur, ſed ſimpliciter eo tantùm reſpectu, quem inter ſe habent tanquam partes unius definitionis ſine ſpecie ac definito conſideratæ accipiantur, neqve quæſtio ſit, an aliquid vel genus vel differentia reſpectu hujus vel illius ſpeciei, ſed an aliquid genus reſpectu hujus differentiæ, & an aliquid differentia reſpectu iſtius generis dici poſſit? quæ quidem reſponſio Alexandri eſſe videtur, quantum in defectu ipſius græci textus, ex *Joh. Bapt. Raſarii verſione ſatis mendoſa* divinare conceſſum fuit.

34. *ab affectione & ſubjecto.* (1.) Quando *propoſitum genus eſt ſubjectum, poſita verò ſpecies affectio ejus*, verum genus allatum non eſt; v. c. ſint theſes, vitam æternam eſſe genus immortalitatis, virtutem eſſe genus laudabilis, &c. refutantur, quia vita eſt ſubjectum immortalitatis, & virtus eſt ſubjectum laudis vel laudabilitatis: unde nec vita immortalitatis nec virtus laudabilis genus

nus eſt, ſed theſes refutatæ ſunt. (2.) Quando contra, *propoſitum genus eſt affectio*, *poſita verò ſpecies ſubjectum iſtius*, iterum verum genus allatum non eſt; v. c. ſint theſes, fluctum eſſe genus aquæ, ſonum eſſe genus aëris &c. refutantur, quia fluctus eſt affectio aquæ, & ſonus eſt affectio aëris: unde nec fluctus aquæ, nec ſonus aëris genus eſſe poteſt, ſed theſes falſæ ſunt. Exempla, quæ Ariſt. *huic ſecundæ parti ſubnectit*, *ex aſſe conveniunt cum exemplis primæ partis*, & reverà omnia ad illam ſpectant; *neq; enim prorſus diverſa eſt hæc pars à priori*, ſed aliquo ſolùm ſumptionis modo ab eâ differt, ut Alexander monet, vel repetitio aliqua prioris eſt, ut Pacius notat: eo fine ab Ariſt. adducta, ut occaſionem haberet, copioſius & pluribus exemplis priorem illam hujus loci partem declarandi, cum eâ ſatis intellectâ nec poſterior obſcura amplius eſſe poſſit.

35. *ab eo, quod non communicatur rebus ſpecie differentibus.* Quando tale quid pro genere adfertur, *quod de nullis ſpecie differentibus prædicatur ac* proinde nullius rei genus eſt, iſtud neqve rei in theſi poſitæ genus, ſed ipſa theſis falſa ac refutata erit; v. c. ſint theſes, nigrum eſſe genus picis, aut album oloris, aut ſapientiam metaphyſicæ &c. refutantur, quia nec nigrum, nec album, nec ſapientia, ullius rei genus eſſe poteſt, cùm omnia hæc non de talibus dicantur, quæ ſpecie differunt, quod ad genus requiritur, ſed talibus,

quæ numero ſolùm diſtingvuntur, omnia enim al-ba eatenus quatenus alba ſunt vel eo ipſo quod alba ſunt, non ſpecie differunt ſed numero tantùm, ſic & nigra, ſic & ſapientiæ numero non verò ſpecie inter ſeſe diſtant: ergò hæc neqve harum in theſibus poſitarum rerum genera eſſe poterunt, ſed ipſæ theſes falſæ erunt.

36. *à transcendentibus*; quo nomine *ea vocari vulgò ſolent*, quæ communiter omnes res conſeqvuntur & nullâ categoriâ comprehenduntur ſed omnes pervagantur: qualia ſunt v. c. ens, unum, bonum, res, aliquid &c. Quando itaqve theſis *tale aliquod transcendens alicujus rei genus eſſe dicit*, verum genus non adfert; quia, ut reliquas rationes non adducamus, per genus diſcerni ac diſtingui debet res ab omnibus iis, quæ extra genus ſunt, v. c. homo per animal diſtingvitur à lapide, ligno &c. quæ animalia non ſunt, per tranſcendentia verò diſtingvi res à nulla aliâ re poteſt, cum tranſcendentia omnes res conſequantur, vel omnibus inſint: unde peccant hujusmodi theſes, genus ſubſtantiæ eſſe Ens, unum eſſe genus quantitatis &c. talia enim genera rectè dici non poſſe ex adductâ & pluribus aliis ab Ariſt. allatis rationibus patet.

37. *ab iis, quæ ſunt in ſubjecto*. Cum tale genus adfertur, *quod eſt in ſpecie ſuâ tanquam in ſubjecto*, id verum genus non erit, quia ſpecies reſpectu generis tale eſt ſubjectum, *de quo genus dicitur, non in quo eſt*; illud quoqve, cui de-

finitio

finitio existendi in alio tanquam in subjecto convenit, accidens rei & subjecti illius est ac proinde genus esse nequit, cum aliud sit genus, aliud verò accidens, ut ex definitione horum patet; v.c. si dicatur, album esse genus nivis, vel nigrum esse genus corvi, refutatur, quia nigrum corvo inest ut accidens subjecto, album nivi simili modo, ergo genera hæc harum rerum esse non possunt. Hic locus admodum *affinis est loci superioris 34. parti (2.)* ut ipse Alexander comment. in loc. sequent. confitetur; *dici tamen fortè potest* in superiori loco 34. intelligendam esse affectionem rerum propriè dictam, quæ ex essentiâ earum fluit, hîc verò passionem & accidens qualecunqve, *intellige prædicamentale: ab accidente enim prædicabili jam alius in hoc libro locus*, qui in ordine tertius est, desumptus erat, qui eâ etiam de causâ ab hoc præsente loco differt.

38. *ab eo, quod Synonynum non est.* Quando tale genus adfertur, *quod non est synonymum, veq; speciei cum nomine suo definitionem quoq; communicat*, id verum genus non est, cum omne genus synonymicè de speciebus dicatur; v. c. si dicatur, nigrum esse genus atramenti, aut ens esse genus substantiæ, refutatur illud quidem, quia nigrum de atramento non synonymicè, aut in quid aut per communicationem suæ definitionis, sed paronymicè prædicatur, uti ex definitione synonymorum & paronymorum *lib. 1. Dial. cap. 4. §. 3.* traditâ patet, genus autem non paronymicè, sed syno-

ſynonymicè prædicari oportet: hoc verò, quia ens æquivocum eſt atq; ita rurſus genus eſſe non poteſt, cum non æqualiter & ſynonymicè, ſed ſecundum prius ac poſterius de ſuis inferioribus dicatur. Affinis eſt hic locus *ſuperiori loco 15. ab homonymiâ, latior tamen eodem exiſtit;* latius enim eſt non ſynonymum, quàm homonymum, ſub illo enim & paronymum & ſi quæ plura dantur præter æquivoca vel homonyma, comprehenduntur.

39. *à comparatione melioris & deterioris.* (1.) Quando & genus & ſpecies contraria habent, *ita ut ex contrariis illis alterum melius ſit alterum verò deterius*, tum ſi ex contrariis generibus, *quod deterius eſt, melioris ſpeciei genus eſſe dicatur, aut quod melius, deterioris*, propoſitum genus verùm non eſt, ſed theſis falſa; v. c. ſit theſis, malum eſſe genus voluptatis, refutatur, quia malo opponitur bonum, voluptati verò dolor, jam bonum melius eſt, malum autem deterius, ut & voluptas melior eſt, dolor autem deterior, ac per conſequens, cum melius melioris genus ſit, deterius verò deterioris, ut inductione patet, inde malum doloris genus erit, bonum autem erit genus voluptatis, quod cum non obſervarit theſis, ſed deterius melioris genus eſſe dixerit, falſa ea erit & refutata: quo modo erravit quoqve *Thraſymachus apud Platon. lib. 1. de Republ.* quando injuſtitiæ genus εὐϐȣλίαν eſſe dicit, juſtitiæ verò κακοϐȣλίαν, cum contrà hoc genus illi ſpe-

ſpeciei atqve illud genus huic poſteriori ſpeciei tribuere debuiſſet. (2.) Si res aliqua *ad duo pertinere æqualiter videtur genera, ex quibus alterum melius eſt, alterum verò deterius, theſis verò refert eam ad deterius genus*, vitium committit & falſa eſt; v. c. ſit theſis, motum eſſe genus animæ, refutatur, quia animæ æqualiter competere videtur motus & ſtatus, ex quibus cum ſtatus melior ſit motu, potius ſtatus quàm motus animæ genus erit: unde vitæ genus potius eſt vigilia quàm ſomnus, ſyllogiſmi potius oratio quàm ratio &c.

40. *à comparatis imparibus & paribus.* (1.) Quando tale adfertur genus, *quod magis & minus recipit, ſpecies verò propoſita non recipit, aut contra ſpecies recipit, genus autem non recipit*, verum genus allatum non eſt, quia ſi genus recipit, etiam recipere ſpeciem oportet, ut inductione conſtat; v. c. ſit theſis, harmoniam eſſe genus animæ, refutatur, quia harmonia capit magis & minus, anima autem magis & minus non capit, quare harmonia animæ genus non eſt: unde nec æqualitas erit genus dubitationis, quod ii dicunt, qui dubitationem per æqualitatem contrariarum rationum definiunt, quia dubitatio magis & minus recipit, æqualitas verò non capit. (2.) Quando aliquid alicujus genus eſſe dicitur, *attende, annon aliud propoſitæ ſpeciei magis eſſe videatur genus & tamen genus non ſit*, id enim ſi fuerit, nec propoſitum genus verum genus, ſed

theſis

thesis falsa & refutata erit; aut *vide, annon aliud propositæ speciei minus videatur esse genus, & tamen genus sit*, id enim si fuerit, etiam propositum genus verum genus atque thesis confirmata erit; v. c. sit thesis, dolorem esse genus desiderii, refutatur, quia magis desiderii genus videtur esse indigentia, quam dolor, at indigentia genus desiderii non est, ergò nec dolor ejus genus erit: si verò dicatur, Analyticæ genus esse artem, confirmatur, quia analyticæ genus minus esse videtur habitus instrumentalis, quàm ars, at verò habitus instrumentalis est Analyticæ genus, ergò multò magis ejus genus ars erit. (3.) Quando aliquid alicujus rei genus esse dicitur, *attende, annon aliud quid æq; vel æquali ratione istius genus esse videatur*, hoc enim si rei istius genus est, etiam id, quod in thesi positum est, genus erit, si verò hoc non est, neqve allatum genus, verum genus, sed thesis refutata erit; v. c. sit thesis, vivens esse genus hominis, confirmatur, quia æqualiter hominis genus esse videtur animal ac vivens, at animal est genus hominis, ergo & vivens ejus genus erit: si verò dicatur, dolorem esse genus iræ, refutatur, quia æquali ratione genus iræ esse videtur opinio contemptus ac dolor, at opinio contemptus genus iræ non est, ergò nec dolor genus ejus erit.

41. *à definitione generis.* Quando aliquid genus esse dicitur, *vide an ipsi competat definitio generis*, si enim competit ipsi, verum genus erit,

si

ſi non competit, genus non erit verum, ſed falſa & refutata theſis; v. c. ſit theſis, virtutem eſſe genus fortitudinis, juſtititiæ, temperantiæ &c. confirmatur, quia definitio generis virtuti reſpectu harum rerum competit, dicitur enim virtus de iis, tanquam pluribus ſpecie inter ſe differentibus in quid eſt: ſi verò dicatur, album eſſe genus Germanorum, Italorum, Hiſpanorum, Græcorum &c. nigrum autem eſſe genus Indorum & reliquorum Æthiopum, refutatur, quia nec album de illis, nec nigrum de his, ut pluribus ſpecie differentibus dicitur, cum omnes iſti ſpecie non differant, ſed conveniant, neqve præterea in quid eſt de iis prædicatur. Atqve *ita hoc loco utimur, quando plura ea, quorum genus propoſitum eſſe dicitur, in ipsâ theſi expreſſa ſunt; quando verò unum ſolùm ex iis in theſi exprimitur*, tum ut intelligam, an allatum genus de pluribus ſpecie differentibus prædicetur, *uni illi in theſi poſitæ rei, alias æqualiter ſe ad propoſitum genus habentes extrinſecus aſſumptas addo*, atqve tum ad definitionem generis modo ante dicto attendo; v. c. ſit hæc theſis, artem eſſe genus dialecticæ, confirmatur, quia ars de dialecticâ & aliis pluribus, quæ cum in ipsâ theſi poſitæ non ſint, aliunde eas accipio, nempe de Analyticâ, Rhetoricâ, Poëtica &c. tanquam ſpecie differentibus in quid eſt prædicatur: ſi verò dicatur, honorabilisſimum eſſe genus Dei, refutatur, quia nec in quid eſt de Deo dicitur, nec de pluribus ſpecie differentibus prædicatur, neqve

enim

enim plura iſta ſpecie differentia in ipſa theſi ſunt poſita, neqve aliunde accipi poſſunt, cum honorabiliſſimum eſſe, de ſolo Deo dicatur, atqve ita unica ſolùm poſiti generis exſtet ſpecies, quod cum definitioni generis repugnet, honorabiliſſimum Dei genus dici non poteſt. Porrò cum *definitio generis & definitio differentiæ admodum conveniant* & ferè in unam eandemqve coincidant orationem, ut ex *lib. I. Dial. c. II. §. 7.* patet, inde ne quis, quando ex definitione generis, aliquid genus eſſe vel confirmare vult vel refellere, æqualitate definitionis differentiæ decipiatur ac differentiam loco generis vel confirmet vel impugnet, Philoſophus hoc loco *tria inter genus & differentiam conſtituit diſcrimina.* (1.) Utut enim & genus & differentia dicantur de multis ſpecie differentibus, *plura tamen ſunt, de quibus dicitur genus*, quàm de quibus dicitur differentia v. c. de pluribus dicitur animal, quàm pedeſtre, quàm volatile &c. (2.) *Genus magis explicat quid ſit hæc vel illa res*, quàm differentia; v. c. animal magis explicat, quid ſit homo, quàm pedeſtre, quod potius quale ſit homo, exponit. (3.) *Differentia ſemper ſignificat qualitatem generis, at non contra genus* ſignificat qualitatem differentiæ; v. c. gradiens ſignificat, quale ſit animal, at non contra animal ſignificat, quale ſit gradiens. Tandem præſens hic locus, cum *ſuperiori loco 2. à modo prædicandi & loco 16. à multitudine ſpecierum, ut & loco 35. ab eo, quod non communicatur*

catur rebus ſpecie differentibus, coincidere videtur, hi tituli enim iſtorum locorum definitionem generis, quæ titulum præſentis hujus loci facit, conſtituunt, ac proinde ipſi illi loci cum præſente ejusdem prorſus ſunt argumenti, eodemqve modo tractantur; *differunt tamen* (1.) quia quilibet ex prioribus iſtis locis ab unicâ ſolùm definitionis generis parte deſumptus eſt, hic præſens verò à totâ & integrâ generis definitione (2.) unde præcedentes illi loci tantùm ad refellendum valent, non autem ad confirmandum, cum non ſequatur, hoc dicitur de illo in quid, ergò eſt ejus genus, aut hoc dicitur de multis ſpecie differentibus, ergò illorum genus ſtatim eſt: at verò præſens locus æqualiter & ad refutandum & ad confirmandum valet, ut ex exemplis antè adductis conſtat.

42. *à paronymo vel denominativo.* Attendendum etiam eſt, propoſitâ aliquâ theſi, *ad paronyma vel denominativa vel concreta*, uti appellari aliàs ſolent, quæ ſuprà *lib. I. Dial. c.4. §.3.* definita ſunt; *ſi enim denominativum vel paronymum aut concretum eſt genus denominativi ac concreti*, etiam *primitivum*, (à quo aliquid denominatum eſt, quod etiam *abſtractum* aliàs vocari ſolet) *primitivi & abſtracti genus & theſis confirmata erit*, ſi verò illud illius genus non eſt, nec hoc hujus genus, ſed theſis refutata erit; v.c. ſit theſis, ſcientiam eſſe genus muſices, confirmatur, quia denominatum vel concretum, nempe ſciens, eſt genus denominativi vel concreti, nempe

musici, ergò & abstractum, nempe scientia genus abstracti, scilicet, musices erit: si verò dicatur, virtutem esse genus continentiæ, refutatur, quia paronymum & concretum, virtuosus, non est genus paronymi & concreti, nempe continentis, ergò nec abstractum & primitivum, virtus, genus abstracti & primitivi, continentiæ, erit. Quemadmodum autem hîc à concreto ad abstractum vel à denominativo ad primitivum conclusum est, ita contra quoqve ab abstracto & primitivo ad concretum & denominatum tam affirmativè quàm negativè argumentari licet. Coincidere videtur hic locus cum *superiori loco 19. à conjugatis, nisi quod ille, quàm hic præsens latior sit*, cum conjugata plura comprehendant, quàm paronyma, uti ex definitione conjugatorum *lib. 1. Dial. c. 4. §. 3. loco II.* traditâ patet.

43. *à consequentiâ non reciprocâ.* Quando aliquid alicujus genus esse dicitur, *vide an id, quod loco generis positum est, sit perpetuum & universale consequens ejus, quod loco speciei positum est, ita tamen, ut proposita species non reciprocè vel vicissim allatum genus perpetuò & universaliter consequatur*, ita enim si genus & species in thesi posita se habent, verum genus allatum est & thesis confirmata, si secus se habent, genus verum non est, sed thesis falsa & refutata; v. c. sit thesis, magnitudinem esse genus corporis, confirmatur, quia ad corpus perpetuò & universaliter consequitur magnitudo, cum omne corpus

sit

sit magnitudo & semper valeat, hoc vel istud est corpus, ergò est magnitudo, è contrario autem, ad magnitudinem perpetuo & universaliter corpus reciprocè non sequitur, cum non omnis magnitudo sit corpus, neqve sequatur, hoc vel istud est magnitudo, ergò statim est corpus, potest enim esse superficies, linea &c. ergo magnitudo corporis genus erit: si verò dicatur, numerum esse genus quantitatis, refutatur, quia numerus non est perpetuum & universale quantitatis consequens, ut dicere possim, omne quantum est numerus, vel hoc aut istud est quantum, ergò statim est numerus, nam præter numerum & linea quanta est, & superficies, & corpus &c. unde numerus quantitatis genus non erit. *In confirmando tamen hic locus universalis non est,* quia utut omne genus perpetuò & universaliter ad id, cujus genus est, consequatur, non tamen statim contra valet, ergò, quicquid universale ac perpetuum consequens est, id statim genus erit; *instantiam enim ipse dat Aristoteles,* quia non ens est perpetuum ac universale consequens τοῦ γινομένου, vel ejus quod fit, omne enim quod fit, nondum est, sed non Ens dicitur, ac rectè valet, hoc vel illud fit, ergo nondum est, sed adhuc non Ens est, propterea tamen non Ens τοῦ γινομένου, vel ejus, quod fit, genus dici non potest. Sufficiant hæc de locis Generis & libro IV. Topicorum.

LIBER QUINTUS.
DE
LOCIS PROPRII.

Quid & quotuplex sit *proprium*, ut & quid ac quotuplex sit *problema proprii* supra *lib. I. Dial. c. 2. §. 6.* definitum jam est; de quo problemate cur hoc loco & ante problema definitionis tractetur, itidem *superiori lib. IV. ab initio* expositum est ac eapropter nihil superest, quàm ut ipsos proprii locos explicemus, qui hoc ordine seqvuntur.

Locus I. *à notioribus.* Cum proprium notius ac evidentius esse oporteat eo, cujus proprium est, ejus enim gratiâ traditur, ut ipsum subjectum ex eo discamus & cognoscamus, quod fieri certè non posset, nisi notius existeret; inde (1.) Quæcunqve thesis tale adfert proprium, *quod allato subjecto obscurius est & ignotius*, ea proprium non benè exponit, v. c. sit thesis, ignis proprium est, esse animæ simillimum, refutatur, quia longè obscurius quid est anima ejusqve similitudo, quàm ignis; ex quâ causâ neqve luminis proprium est disgregare atomos, neqve contemplationis, esse similem circulo &c. (2.) Quando thesis tale adfert proprium, *de quo obscurum & ignotum sit, an allato subjecto insit nec ne?* iterum proprium

non

non benè exponit, cum non ipſum ſolùm proprium, ſed id quoqve notius eſſe oporteat, proprium ſubjecto ſuo ineſſe; v. c. ſit theſis, Aſtrologiæ proprium eſſe, futura prædicere, refutatur, quia nondum ſatis notum & certum eſt, hoc Aſtrologiæ ſimpliciter ineſſe, nedum tanquam proprium ipſi competere: ex quâ ratione nec Chymiæ proprium eſt, aurum facere, aut univerſale medicamentum efficere &c. Ad *confirmandum verò hic locus non ſimpliciter, ſed ex parte tantùm valet*; quia non ſequitur, hoc vel illud altero non tantùm in ſe notius eſt, ſed id quoqve evidens, quod ipſi reverà inſit, ergò ſtatim ejus proprium eſt, poteſt enim eſſe genus, accidens, definitio &c. ex hac parte tamen, quâ nempe ad proprium evidentia requiritur, proprium rectè aſſignatum eſſe, evinci ex hoc loco poteſt.

2. *ab homonymiâ.* (1.) Si vox vel oratio, quâ proprium deſcribitur, *ambigua eſt & multa ſignificat*, tum proprium benè expoſitum aut allatum non eſt, quia uti ante jam dictum eſt, proprium cognoſcendi gratiâ traditur, cognoſcere verò aliquid ex æquivocis nemo poteſt; v. c. ſit theſis, ſentire eſſe proprium animalis, improbatur, quia ſentire multipliciter dicitur & de eo, qui potentiam ſentiendi habet & de eo, qui ipſo actu ſentit, quod cum perſpicuè expoſitum non ſit, in quâ ſignificatione ſentire proprium dicatur, inde rectè aſſignatum proprium non eſt: quâ de causâ nec pratorum proprium erit ridere, nec fortunæ

proprium erit ex parvis facere magna &c. (2.) Quicunqve aliquid proprium esse dicit *subjecti æquivoci, neq; istud distinguit & in quâ significatione accipi oporteat, exponit*, is proprium non benè assignat; v. c. si dicatur, Entis proprium esse per se subsistere, reprehenditur, quia Ens multipliciter dicitur, & de substantiâ, eâqve tam primâ quam secundâ, & de accidente &c. quibus significationibus omnibus cum allatum proprium convenire non possit, nec tamen in thesi expositum sit, in quanam significatione ens accipi debeat, inde proprium rectè allatum non est: quam ob rem, nec canis proprium rectè dicitur esse latrare, nec virtutis proprium, esse congenitam &c. dubium enim & incertum esse potest, de quânam canis aut virtutis significatione hæc propria sint intelligenda. Rursus *hic locus & ad confirmandum valet, non quidem simpliciter, sed aliquâ ex parte*; quia non sequitur, hoc vel istud æquivocum non est, nec æquivoco inesse dicitur, ergò statim proprium est, iterum enim vel genus vel differentia, vel accidens, vel definitio esse potest: ex hac tamen parte, quâ ad proprium requiritur, ut nec ipsum sit æquivocum nec de æquivocô dicatur, proprium rectè assignatum & expositum esse, confirmari ex hoc loco potest.

3. *à tavtologiâ vel ineptâ ejusdem vocis repetitione*; quæ quidem *duplici modo* fieri potest (1.) ita ut *unum nomen expressè ac apertè bis ponatur*, v. c. si dicatur, ignem esse corpus omnium

omnium' corporum levissimum, ubi corpus expresse bis ponitur, (2.) ita, ut apertè quidem idem nomen non iteretur, *sed aliud aliquod nomen ponatur, quod prius illud in se contineat*, quo ipso prius quoqve tacitè vel tectè repeti aut bis dici necesse est, v. c. quando dicitur, ignem esse substantiam omnium corporum tenuissimam, ubi in voce corporis substantia quoque simul continetur & comprehenditur. Si itaqve in expositione proprii *idem nomen bis aut ter, sivè apertè sivè tectè, repetitur*, proprium rectè expositum non est, cum talis repetitio turbet audientes, ipsumqve proprium obscurum reddat; v. c. sit thesis, primi cœlorum orbis, qui vulgò primum mobile vocatur, proprium esse, corpus omnium corporum mobilium mobilissimum, aut justitiæ proprium esse habitum inter omnes virtutes pulcherrimum, reprehendi utraqve ex hoc loco potest, illa quidem, quia vocabulum, corpus, ut & mobile, bis apertè & expresse ponit, hæc verò, quia vocabulum, habitus, bis in eâ continetur, ponitur enim semel expresse & deinde tacitè comprehenditur in virtute, quæ habitus est aut per habitum definitur. Iterum *ad confirmandum hic locus valet, at non nisi ex parte*; si quis enim in proprio nec tacitè nec apertè idem bis aut ter dictum esse, probaverit, hac ex parte proprium rectè traditum esse confirmabit.

4. *à transcendente.* Quicunqve in expositione proprii utitur *nomine aliquo transcendente*

vel transcendentali, aut nimis communi, benè proprium non exponit, quia per propria res debent distingui, per transcendentia verò, quippe quæ omnibus communia sunt, distingui res non possunt; v. c. sit thesis, unum esse proprium quanti, reprehenditur, quia unum transcendens est, quod quantum à nullâ aliâ re discernere potest, cum omnia sub uno comprehendantur vel unum dici possint: unde nec scientiæ proprium est, esse bonam, nec substantiæ proprium est esse Ens &c. *Ad confirmandum quoq; hic locus*, ut præcedentes, *aliquâ ex parte valet*; qui enim ostendit, proprium non constare vocabulo transcendente, hac ex parte illud benè expositum esse confirmat.

5. *à pluralitate.* Si thesis *unius rei plura adfert propria, nec tamen plura se adferre dicitur*, sed omnia, quasi unum constituant, confundit atqve ita alios turbat, ea proprium non rectè exponit; v. c. sit thesis, ignis proprium esse calefacere & heterogenea disgregare, aut, aëris proprium esse fluidum esse & omnia replere, reprehendi potest utraqve, quia aut superfluum est, quod additur, & redundat, aut audientem saltem confundit, ut diversa propria pro eodem habeat atqve ita in errorem inducatur. Ad *confirmandum hic locus iterum ex parte valet*, ut de superioribus jam dictum est.

6. *à subjecto.* (1.) Si in proprio explicando *vel ipsum subjectum, vel aliqua subjecti pars*

aut

aut species ponitur, non rectè explicatum est proprium, quia cognoscendi gratia proprium traditur & eapropter notius esse oportet, quàm id cujus proprium esse dicitur, quodqve eodem cognosci debet; subjectum verò seipso notius non est, sed æquè ignotum, ut & pars vel species ejus, cum sit naturâ posterior ac plura in ratione suâ includat, adeoqve magis composita ac proinde intellectu difficilior sit, ignotior quoqve eodem erit, atqve ita per talia non rectè explicatur proprium, quippe quod subjecto suo notius esse illudqve manifestare debet. v. c. Sit thesis, hominis proprium esse, animal hominibus imperans, aut croci proprium esse, tingere res colore croceo, reprehendi potest, quia in utraqve proprium describitur per ipsum illud subjectum cujus proprium esse dicitur, quod subjectum, cum seipso notius esse vel seipsum declarare non possit, inde proprium hoc modo rectè expositum & descriptum non est: si quoqve dicatur, animalis proprium esse substantiam, cujus species sit homo, iterum non rectè descriptum est proprium, cum in sui expositione contineat hominem, quæ pars ac species est propositi subjecti, nempe animalis, ac proinde ipso animali naturâ posterior & ignotior ac intellectu difficilior, cum species & homo intelligi non possit, nisi jam ante intellectum fuerit genus & animal, hoc verò etiam non intellectâ specie intelligi queat, quamobrem proprium hoc obscurius, quàm ut subjectum eo manifestari pos-

ſit, ac per conſequens non rectè definitum eſt. (2.) Si in definiendo ac explicando proprio quid piam adfertur, *quod propoſito ſubjecto ſit contrarium, & naturâ æquale, aut etiam planè poſterius*, iterum proprium rectè expoſitum non eſt, cum ea, quæ vel æqualia vel poſteriora ſunt naturâ, ignotiora quoqve ſint, ut nec proprium rectè exponere valeant, nec proprio tali modo expoſito, ſubjectum declarari poſſit, quippe quod ex notioribus declarandum erat; v.c. ſit theſis, ſanitatis proprium eſſe, non ægrotare, aut voluptatis proprium eſſe, non dolere, reprehenditur, quia in utrâqve proprium definitur per tale aliquod, quod propoſito ſubjecto contrarium, atqve ita cum ipſo ſimul naturâ ac proinde æqve ignotum eſt, cum proprium ſemper notius eſſe oporteat: ſi quoqve dicatur, hominis proprium eſſe diſputare, aut diſcere, aut in ſenectute caneſcere &c. reprehenditur, quia omnia hæc re propoſitâ nempe homine ſunt ordine naturæ poſteriora atqve adeò, ut manifeſtare hominem poſſint, minus idonea & apta. Atqve ita *hunc locum explicant Alexander, Averroës, Albertus Magnus & ex recentioribus omnes in univerſum*, quos modò videre licuit; quorum explicatio ſi vera eſt, ſequi ex hoc loco Ariſtotelis videtur, *proprium oportere eſſe naturâ prius ſuo ſubjecto, cujus proprium eſt*, ideò, quia nec poſterius naturâ nec ſimul aut æquale naturâ eſſe debet: at verò *contra Ariſtotelem hoc eſſe dubitari non poteſt*, qui proprium ineſſe dicit alteri tanquam ſubjecto,

quod autem ita inest, utiqve naturâ posterius est eo, cui inest, ut inductione patet, ut etiam ea propter expresè proprium accidentibus, intellige prædicamentalibus, quæ per tale inesse definiuntur *lib. I. Dial. cap. II. §. 12.* annumeretur, quæ cum substantiâ ac subjecto suo sint naturâ posteriora, evidens est, proprium quoqve subjecto suo naturâ posterius esse, nullâ autem ratione prius naturâ dici posse, quia, uti ex definitione proprii *lib. I. Dial. II. §. 6.* constat, non declarat essentiam rei, cui inest, vel subjecti, quod tamen necessariò faceret, si vel ipsum esset subjecto naturâ prius, vel ex talibus, quæ subjecto naturâ priora sunt, constaret. Vide etiam infra secundam naturâ prioris significationem. *Dissolvere hunc nodum aggressus est ipse Alexander*, dicens *proprium subjecto suo & prius naturâ & posterius dici posse*, posterius, quantùm ad rem attinet, prius, quantum ad cognitionem, atqve de hac præsentem locum intelligendum esse non de illâ naturæ prioritate; quam solutionem ex ipso *Albertus M.* quoqve desumpsit, atqve ex recentioribus secutus est *Pacius*, quamvis hic dubii istius expressè mentionem non faciat, contrà quàm *Alberius Triuncurianus*, qui dubium hoc expressè quidem proponit, at responsionem subjungit adeò frigidam & obscuram, ut eandem referre operæ pretium non sit: præter quos in tantâ, quos videre hactenus concessum fuit, commentariorum multitudine neminem reperire potuimus, qui de dubio hoc, vel de

ejus

ejus ſolutione cogitarit. Verùm & *Alexandri reſponſio fortè omnia octo non habet*, ſed juſto obſcurior eſt; quomodo enim aliquid altero ſecundum rem naturâ poſterius ſit, in eâ quidem naturâ poſterioris acceptione, quâ proprium ſuo ſubjecto poſterius dicitur, & tamen eodem ſit prius naturâ ſecundùm cognitionem, capi non poteſt: cum *æqualiter ſe habeant prius naturâ ſecundum rem, & prius naturâ ſecundùm cognitionem*, adeò ut, quod ſecundum rem naturâ prius eſt, etiam ſecundùm cognitionem naturâ prius, id eſt, naturâ notius eſſe videatur, quæ duo eapropter conjungi ſolent, ut ex *l. 1. Poſt. 2. l. 6. Top. c. 4. & aliis locis pluribus* patet. An ergo dicendum eſt, *multis modis aliquid altero naturâ prius dici poſſe?* (1.) enim *quod eſſe poteſt, etiamſi alterum non ſit, aut quod intelligi poteſt, etiamſi alterum non intelligatur*, naturâ prius vocatur, quomodo genus, v. c. animal naturâ prius eſt ſua ſpecie, nempe homine, & eſſe enim & intelligi poteſt animal, quamvis homo nec ſit nec intelligatur, cum tamen contra homo non exiſtente aut intellecto animali, eſſe aut intelligi non poſſit. Vid. *lib. Categ. c. 12. l. 4. Phyſ. c. 2. l. 5. Metaph. c. 11.* (2.) Quando duo aliqua ita inter ſe ſunt affecta, ut neutrum ſine altero eſſe poſſit, ſed ex poſitione vel negatione hujus poſitio vel negatio alterius & contra quoqve valeat, *tum id naturâ altero prius eſſe dicitur, quod cauſa eſt, cur alterum exiſtat*; v. c. rationale & diſciplinæ capax æqua-

æqualia sunt nec alterum sine altero esse potest, de quocunqve enim affirmatur vel negatur rationale, de eo etiam affirmatur vel negatur disciplinæ capax, & contra de quo hoc, de eo etiam illud, ut tamen aliquid sit rationale, causa non est capacitas disciplinæ, sed contra, ut aliquid sit disciplinæ capax, causa est ratio vel rationale: undè rationale naturâ prius est, quàm disciplinæ capax. *lib. Cat. c.12. & alibi passim.* (3.) Id quoqve *quod primò à naturâ intenditur, naturâ prius dicitur omnibus iis, quæ propter ipsum à naturâ fiunt;* quomodo civitas dicitur prior naturâ, quam pagus & domus ac societates simplices, *l.1. Polit. c.2.* primò enim natura civitatem intendit, & ejus gratiâ homines ad societates simplices ut & domum ac vicum constituenda impellit, ut ex his tandem civitas fieri possit; quâ ratione, *quod generatione postremum est, naturâ ejusq; intentione primum existit, l. 8. Phys. c.10. l. 2. de Part. An. c.1. l.2. de Gen. Anim. c. 6. l. 9. Metaph. c.8.* unde *totum prius naturâ est partibus suis*, totum enim primò intendit natura & ejus gratiâ partes constituit. *lib.1. Polit. c. 2. ac perfectius naturâ prius est imperfecto l. 1. de Cœlo c. 2. l. 2. c. 4.* istud enim primò à naturâ intenditur, & hoc illius gratiâ generatur, quo sensu visus naturâ prior dicitur esse tactu, quia perfectior est, quamvis origine sit posterior *l. 2. de Gen. & Corr. c. 2.* & vir puero naturâ prior est ac homo semine &c. *l. 9. Metaph. c.8.* ac in universum omne *id, quod finis rationem habet, hoc modo naturâ*

turâ prius esse dicitur eo, quod ad finem tendit, hujusqve gratiâ à naturâ producitur ac generatur, finem enim primò à naturâ intendi, ac in toto eorum genere, quæ fiunt, perfectissimum esse, certum est. (4.) Alio eoqve contrario modo id naturâ prius vocatur, *quod est generatione & origine aut ipsius naturæ exsecutione prius*, quomodo naturâ priora dicuntur esse ligna, lapides, &c. domo, & semen homine &c. sunt enim & hæc eorum, quibus naturâ priora esse dicuntur, suo quodam modo causæ atqve ita iis naturâ priora non immeritò dicuntur, sed & admittunt eam prioris naturâ definitionem, quæ primo loco *ex lib. Categ. c. 12. & aliis locis* tradita est, neqve enim, quæ hac significatione posteriora vocantur, sine istis esse possunt, cum ista sine his posterioribus esse possint, quia si ponitur semen, & ligna, lapides &c. non statim sequitur, ergò erit homo aut domus, at negatis illis & hæc negari necesse est; quo sensu *partes* (intellige *totius essentialis non universalis*, quæqve rationem materiæ aut formæ habent) *priores sunt naturâ toto*, quia prius generantur à naturâ, quàm totum, cujus sunt, & *elementa*, quæ prius sunt generata, *naturâ priora sunt iis, quæ posteà ex elementis miscentur*: cujus rei hæc quoqve ex Aristotele adferri potest ratio, quia *in uno quoque genere id altero naturâ prius esse dicitur, quod simplicius est*, & vel planè compositum non est, vel ex paucioribus constat, *lib. 2. de Cœl. c. 4.* partes verò simpliciores esse & minus

com-

compoſitas, quàm totum, evidens eſt,ut ipſe etiam Alexander ea de causâ partes toto naturâ priores eſſe concludat, *comment. in lib. 5. Metaph. text. 20.* quanquam eæ partes, quæ ipſo actu toti jam inſunt & propterea non amplius proprio ſuo actu ſed actu totius exiſtunt, ſecundùm potentiam tantùm toto priores naturâ dici poſſint, ut ipſe Ariſt. *lib. 5. Metaph. c. 11.* habet. (5.) Tandem latius extenditur ſignificatio naturâ prioris *ad ea quoq; quæ quomodocunq; ſimpliciora ſunt*, licet partes propriè dictæ non ſint, *modo ad inſtar partium ſeſe habeant*, aut qualemcunqve partium ſimilitudinem imitentur; quomodo ipſe Ariſtoteles *lib. 5. Metaph. c. 11.* ea, quæ aliàs in ſe conſiderata, ſine hoc vel illo ſubjecto, ſunt *accidentia*, dicit eſſe *toto & ſubjecto ſuo priora κατὰ τὸν λόγον*, id eſt, *ratione*, ſeu quod idem eſt, *naturâ*, uti non ſolùm patet ex cit. contextu, in quo ratione prius opponitur priori ſecundùm ſenſum, ut & ex aliis locis, in quibus prius naturâ & prius ratione, quaſi unum idemqve ſint, permutantur, nempe *l. 7. Met. c. 10. l. 1. Poſt. 2. l. 2. de Gen. An. c. 6. l. 2. de Part. An. c. 1.* & aliis pluribus, ſed ipſe quoqve Alexander non aliter explicat, qui accidens v. c. muſicum eſſe, dicit eſſe prius quid toto, nempe homine muſico, quia homo muſicus totum eſt & compoſitum, muſicus autem pars eſt atqve adeò ſimplicius quid quàm totum iſtud, quod autem ſimplicius & pars eſt, id non quomodocunqve ſed naturâ prius eſt, ut ex ſignificatione prioris præcedente patet. An

itaqve dicendum eſt, *proprium non poſſe dici ſubjecto ſuo naturâ prius ſecundum quatuor illas prioris ſignificationes, poſſe tamen naturâ prius dici acceptione ultimâ?* quia ſimplicius quid eſt ſuo ſubjecto & pars ejus, neqve ex tot conſtitutum partibus ac ſubjectum, quod niſi intellectis omnibus ſuis partibus intelligi non poteſt, cum è contrario proprium, ſi in ſe accipiatur, omnibus his partibus careat atqve ita facilius cognoſcatur, quam ipſum ſubjectum; *ut ſenſus loci ſit*, malè expoſitum eſſe proprium, ſi tale quid adferatur, quod non prius ſit ſubjecto naturâ, in hoc ultimâ prioris ſignificatione, ſeu quod non ſit ſimplicius quàm ipſum ſubjectum, ut facilius quàm ſubjectum cognoſci poſſit: quâ in re peccat is, qui ſubjecti contrarium loco proprii aſſignat, hoc enim non eſt ſimplicius vel prius naturâ, ſed ſimul naturâ ac proinde æqve difficulter cognoſcitur, *cum ſit æque compoſitum aut ex æqualibus numero conſtitutum partibus*, magis vero errat, qui proprium eſſe dicit, quod ſubjecto eſt poſterius naturâ, in hac ſcilicet ſignificatione, id eſt, *quod ſubjecto magis compoſitum eſt & plures habet partes ac proinde difficilius cognoſci poteſt* quàm ipſum ſubjectum. An verò *non ſatisfacit expoſitio*, ſed exempla ab Ariſtotele poſita aliam adhuc reſponſionem requirere videntur? An nempe illud reſponderi poteſt, ideò dicere Ariſtotelem, proprium ſubjecto debere eſſe prius naturâ, *quia in oratione proprium explicante ſimul genus ſubjecti aſſumi*

assumi debet, ut *loco sequente 10.* docetur? quod cum extra controversiam subjecto naturâ prius sit, hîc autem conjunctim cum proprio accipiatur, inde ipsum proprium propter adjunctum genus subjecto naturâ prius appellatur. Vel *an planè negandum est, Aristotelem requirere hoc loco, ut proprium subjecto sit naturâ prius?* non enim dicere videtur, proprium debere esse naturâ prius subjecto, *sed id ex quo proprium declaratur, debere esse prius naturâ ipso proprio;* cum enim Arist. in hoc ut & proximè præcedentibus & sequentibus locis de eo solicitus sit, quomodo proprium alicujus rei rectè debeat exponi vel describi aut definiri, inde postquam hactenus dixit, proprium non debere exponi verbis ambiguis, nec tavtologicis, nec transcendentibus, &c. nunc non esse definiendum illud præcipit *ex naturâ æqualibus aut posterioribus*, quia *ut nulla res sic nec proprium ex talibus rectè definitur:* quæ expositio hujus loci ab ante dicto incommodo textum Aristotelis planè liberat ac eidem, etiam quod cœtera attinet, non inconveniens esse videtur. v. c. Sit thesis, virtutis proprium esse, carere vitio; reprehendi potest ex hoc loco & dici, proprium non benè esse definitum, quia ex naturâ æqualibus est definitum, quod vitium non ideò commissum esse putandum est, quia carere vitio est æquale naturâ ipsi proposito subjecto, nempe virtuti, sed quia carere vitio est æquale naturâ ipsi vero virtutis proprio, quod est laudabile esse; laudabile

enim esse & vitio carere naturâ simul vel æqualia esse, ex definitione ejus quod naturâ simul est, ex *lib. Categ. c. 13.* patet, quia posito vel ablato laudabili, ponitur vel tollitur τὸ carere vitio, & contra, posito vel negato defectu vitii ponitur etiam vel negatur laudabile: unde per carere vitio, proprium virtutis nempe laudabile non rectè exponitur vel definitur, quia ex æqualibus naturâ nulla res rectè exponi vel definiri potest. Porrò sit thesis, hominis proprium esse, non irrationale esse, reprehendi iterum potest & dici, proprium non benè esse expositum, non quidem ideò, quia irrationale est naturâ posterius quid homine, sed eâ de causâ, quia irrationale est naturâ posterius ipso vero hominis proprio, quod est rationale esse; quod vel inde constat, quia rationale habitus & formæ modum habet, irrationale autem privationis, privationem autem habitu & formâ naturâ posteriorem esse, cuivis liquet: unde cum hominis proprium nempe rationale non sit expositum & definitum per id, quod est naturâ prius, sed per id quod est naturâ posterius, nempe per privationem, non rectè est expositum, ac proinde thesis refutata erit. Ad hunc modum & hanc hujus loci expositionem *conformanda sunt etiam ea, quæ supra posita sunt exempla*, & locus hic allato ante dubio planè vacabit: *excipi tamen hîc cupit Alexander relata*, quorum propria aliter quàm per æqualia naturâ definiri & exponi non possunt, cum ipsa relata aliter definiri nequeant, quippe

quo-

quorum tota ratio in eo consistit, ut ad aliud oppositum referantur, sine quo eapropter intelligi non possunt *lib. 6. Top. c. 4. Ad confirmandum quoq; hic locus ex parte*, & eo modo, quo superiores ad confirmandum conducere ante exposuimus, valet.

7. *à tempore, quo proprium inesse dicitur.* (1.) Quicunqve tale proprium adfert, *quod subjectum suum cui inesse dicitur, non semper aut omni tempore consequitur, sed aliquando illi inest, aliquando verò non inest*, vel aliquando tantùm proprium est, aliquando verò proprium non est, is proprium non benè exponit, quia tale proprium cum suo subjecto non convertitur, ut natura proprii exposcit, obscurum etiam est, an eo præcisè tempore insit, quo tale proprium inesse perhibetur; v. c. sit thesis, animalis proprium esse, aliquando moveri, aliquando verò stare, reprehendi potest, quia hoc aliquando non est proprium, aliquando enim non movetur animal, & aliquando non stat, per id verò, quod aliquando non inest, non rectè definitur aut exponitur proprium, quippe quod semper inesse oportet: unde nec hominis proprium est disputare, nec virtutis laudari, nec voluptatis bonum &c. omnia enim hæc aliquando tantùm insunt, aliquando verò non insunt. (2.) Quicunqve tale adfert proprium, *quod hoc tantùm tempore subjecto inest, & non expressè addit, se hujus solùm temporis proprium adferre*, verùm illud nudè ponit, tanquam sit proprium

ſimpliciter, is proprium non rectè exponit, oportet enim, quod contra communem loquendi conſvetudinem dicitur, cum determinatione aliquâ dici, ſecus ſi fit, obſcura erit oratio, quæ facilè in errorem abripere aliquos poteſt, ut ſimpliciter tale eſſe putent, quod tantùm eſt ſecundùm quid tale; v. c. ſit theſis, alicujus proprium eſſe, ſedere in Scholâ vel foro, reprehenditur, non benè eſſe expoſitum proprium, quia proprium iſtud huic convenit hoc ſolùm tempore, quo in ſcholâ vel foro ſedet, aliàs verò ipſi non competit, quæ temporis determinatio cum expreſsè addita non ſit, obſcurè proprium & minus rectè propoſitum erit: ex quo loco refutari quoqve posſent Sadducæi, qui, uxorem ducere, quod eſt proprium hominis hoc tempore tantùm, quamdiu hîc vivit, quaſi ejus proprium ſimpliciter eſſet, accipiebant. Matth. 22. v. 28. *Ad confirmandum hic locus, utut non ſimpliciter, ex parte tamen valet*, ut ſuperiores (1.) ſi dicatur proprium per talia eſſe expoſitum, quæ ſubjecto non aliquando, ſed ſemper inſunt. (2.) Si expreſsè addatur, proprium, quod allatum eſt, non eſſe proprium ſimpliciter, ſed hujus tantùm temporis: ita enim hac ex parte proprium rectè expoſitum erit.

8. *à ſenſu.* Si proprium per talia exponitur, *quæ allato ſubjecto ineſſe non niſi ſolo ſenſu deprehendi poſſunt*, proprium benè expoſitum non eſt, quia quæ ſolo cognoſcuntur ſenſu, tamdiu ſolùm nota ſunt, quamdiu ſenſus operatur &

actu vel videt vel audit &c. quâ operatione cessante, ipsa quoqve, an insint amplius nec ne? ignorantur, *lib. 2. Prior. Anal. c. 21.* propria verò subjecto suo inesse, semper constare oportet; v. c. sit thesis, Solis proprium esse, ferri super terram, reprehenditur, quia supra terram ferri, sensu tantùm constat, cum autem occiderit sol, incertum & dubium erit, an adhuc supra terram feratur, quod tum destituat nos oculorum sensus: unde nec Persei proprium erit, esse sidus in viâ lacteâ, cum & hoc solo sensu & nullâ prorsus ratione cognoscatur. *In confirmando iterum hic locus ex parte tantùm*, ut superiores, valet.

9. *à definitione subjecti.* Si in expositione proprii *adhibetur ipsa subjecti definitio*, proprium benè expositum non est, definitio enim rei essentiam explicat, quam proprium explicare non debet, ut ex definitione ejus constat; v. c. sit thesis, hominis proprium esse animal risibile, quod sit pedestre bipes, aut virtutis proprium esse habitum laudabilem in mediocritate quoad nos à viro prudente determinatâ consistentem, reprehendi potest, quia in utraqve loco proprii ponitur subjecti definitio, quæ totam illius naturam declarat, quod proprio repugnat. Valet & hic locus *ad confirmandum*, sed non nisi ex parte, ut supra sæpius jam expositum est.

10. *à genere subjecti.* Si quis in expositione proprii non addit *genus subjecti quod de subjecto in quid est prædicatur*, benè proprium non

exponit, quia ut in definitionibus, ita & in asſignatione proprii, primo loco genus, dummodo ſubjectum habeat aliquod genus, poni debet, deinde verò ea adjungenda ſunt, quæ ſub iſto genere poſitum ſubjectum ab aliis ſub eodem genere poſitis diſcernant atqve ita ſubjectum propoſitum evidens reddant, quippe quo ſine & definitio & proprium ſubjecti adferri ſolent; v. c. ſit theſis, hominis proprium eſſe riſibile, aut virtutis proprium eſſe laudabile, reprehenditur, quia utraqve omiſit genus ſubjecti atqve ita non ſatis evidenter proprium expoſuit, neqve à cujus generis rebus, aſſignato ſuo proprio diſcernatur ſubjectum, declaravit. Ad *confirmandum* iterum hic locus prædicto modo valet. Atqve hi ſunt *loci, ex quibus inveſtigari poteſt*, non quidem, an aliquid verè proprium ſit nec ne? ſed *an proprium rectè & convenienter ſit expoſitum, ut per illud ad ipſius ſubjecti cognitionem devenire feliciter queamus?* ſæpe enim accidit, *ut aliquid ſit omninò & verè proprium, non rectè tamen exponatur*, ſed vel ambiguis verbis, vel ex ignotioribus, vel tavtologicis circumſcriptionibus, vel aliis modis hactenus enarratis minus rectè exprimatur aut definiatur, ut tali proprii expoſitione ii, qui ſubjectum cognoſcere ex proprio ſatagunt, turbentur aut planè confundantur: nunc autem *de iis agere locis* Philoſophus incipit, ex quibus, *an aliquid ſimpliciter aut omninò ac verè proprium ſit vel non ſit?* dijudicari poteſt, quanquam & his poſterioribus,

ribus, aliquos adhuc interſeruerit prioris generis locos, ut ex inferiori *loco 17.* patet, qui loci hoc ordine ſeqvuntur.

II. *à diſtinctione ſubjecti.* Cum aliquid alicujus proprium eſſe dicitur, *reſpiciendum eſt ad ſubjectum, illudq; in partes ac inferiora dividendum* ac videndum, an allatum proprium, *aut nulli ſubjecti parti conveniat, aut aliquibus quidem non tamen omnibus partibus conveniat*, aut conveniat quidem ſubjecto, ejusqve partibus, *at non qua talibus*, vel quatenus ſub ſubjecto iſto continentur, horum enim ſi aliquid fuerit, verum proprium allatum non eſt; v. c. ſit theſis, rerum naturalium proprium eſſe, non moveri, vel ſcientiæ proprium eſſe, non poſſe decipi, vel hominis proprium eſſe, vigilare & dormire &c. refutatur prima, quia poſitum in eâ rerum nulli ſubjecti parti vel inferiori competit, nulla enim res naturalis eſt, quæ non moveatur, ſecunda, quia proprium allatum non competit omnibus ſubjecti partibus & inferioribus, nempe non competit geometriæ, quippe quæ falsâ deſcriptione aliquando decipitur, tertia, quia poſitum proprium non ineſt ſubjecto quâ tali, nec ejus partibus aut inferioribus, quatenus ſub ſubjecto iſto comprehenduntur, dormire enim & vigilare non competit hominibus, quatenus aut quia ſunt homines, ſed quatenus aut quia ſunt animalia. *Ad confirmandum quoq; hic locus* valet, ſi oſtendatur, allatum in theſi proprium & omnibus ſubjecti partibus ineſſe & iiſdem quà tali-

talibus vel quatenus ſub ſubjecto iſto continentur, competere; v. c. ſit theſis, hominis proprium eſſe diſciplinæ capacem eſſe, confirmatur, quia proprium hoc omnibus hominibus & quidem quà talibus, vel quatenus aut quia homines ſunt, ineſt.

12. *ab attributione nominis & orationis*, ubi per *nomen* intelligitur ſubjectum, cui proprium aliquod attribuitur, per *orationem* verò ipſum proprium, quippe quod raro unicâ voce, ſed ſæpius oratione effertur. (1.) Quando aliquid alicujus proprium eſſe dicitur, vide, *an oratio vel proprium alicui tribui poſſit, cui nomen vel ſubjectum propoſitum tribui non poſſit*, id enim ſi accidit, verum proprium allatum non eſt; v. c. ſit theſis, hominis proprium eſſe, vivens ſcientiæ ac intellectus capax, refutatur, quia proprium hoc etiam Deo rectè tribuitur, cui tamen nomen vel ſubjectum, nempe homo tribui non poteſt. (2.) Id etiam vide, *an nomen vel ſubjectum alicui tribui poſſit, cui oratio vel proprium tribui non poſſit*, id enim ſi ſit, rurſus verum proprium allatum non eſt; v. c. ſit theſis, animalis proprium eſſe reſpirare, refutatur, quia nomen vel ſubjectum de piſcibus verè dicitur, de quibus tamen allatum proprium, quod nempe reſpirent, dici non poteſt. Hic locus *etiam ad confirmandum valebit*, ſi dicatur, cuicunqve tribuitur oratio vel allatum proprium, illi tribui quoqve nomen vel ſubjectum, & contrà, cuicunq; tribuitur nomen vel ſubjectum, illi quoqve tribui proprium vel orationem, tum

enim ſemper, ſi modo oratio iſta proprium exponens non contineat ipſam ſubjecti definitionem, verum proprium allatum erit; v. c. ſit theſis, virtutis proprium eſſe habitum laudabilem, confirmatur, quia de quo dicitur habitus laudabilis, de eo etiam dicitur virtus, & contra, de quo dicitur virtus, de eo etiam dicitur habitus laudabilis, nec tamen habitus laudabilis definitio virtutis eſt, ergò laudabilem eſſe, proprium Virtutis erit.

13. *à ſubjecto. Si ipſum ſubjectum dicitur eſſe proprium ejus, quod ſubjecto ineſt, verum proprium allatum non eſt*, ſi enim ſubjectum eſſet proprium eorum, quæ in ipſo inſunt, idem multorum & ſpecie differentium proprium foret, cum multa & ſpecie differentia ſubjecto inſint; at verò, ut idem ſit proprium multorum ſpecie differentium, fieri non poteſt, cum propria ex eſſentiâ rei fluant ac per conſequens eorum, quæ eſſentiâ & ſpecie differunt, diverſa quoqve propria exiſtant, ut inductione patet. Hinc ſi dicatur, calidiſſimi proprium eſſe ignem, refutatur, quia ignis ſubjectum eſt, cui calidiſſimum ineſt, ſi itaqve ignis eſt proprium calidiſſimi, quod ipſi ineſt, pari jure erit etiam proprium, tenuiſſimi, leviſſimi &c. nam & hæc pariter ipſi inſunt, atqve ita, cum hæc ſpecie differant, unum idemqve, nempe ignis, horum multorum ac ſpecie differentium proprium erit, quod eſt abſurdum: ex quâ causâ neqve riſibilis proprium eſt, eſſe hominem, neqve laudabilis, eſſe virtutem &c. Valet hic locus iterum *ad confirmandum*, ſi

id quod ineſt, dicatur eſſe proprium ejus, cui ineſt, dummodo ei ſoli & omni inſit; v. c. ſit theſis, terræ proprium eſſe corpus omnium infimum, confirmatur, quia infimum eſſe, ineſt terræ tanquam ſuo ſubjecto, eiqve ſoli ac omni ineſt.

14. *à participatione definitionis.* Si tale adfertur in theſi quadam proprium, *cujus definitionem participat allatum ſubjectum*, id verum proprium non erit, cum ſubjectum eorum tantùm, quæ eſſentiam ſuam ingrediuntur, nempe generis & differentiæ definitionem participet, proprium verò ejus eſſentiam non ingrediatur aut conſtituat, ſed ex eâ conſtitutâ jam & perfectâ conſequatur; v. c. ſit theſis, avis proprium eſſe volatile, aut hominis proprium eſſe bipedem, aut ternarii eſſe numerum primum imparem &c. refutari poſſunt, quia ſubjecta in his theſibus poſita eſſentialiter participant definitiones eorum, quæ propriorum loco allata ſunt, adeò ut propria iſta coincidere potius cum ſubjectis & unum idemq; cum iis eſſe videantur, quam ut propria eorum dici poſſint, cum reverà differentiæ ſint, eſſentiam ac definitionem iſtorum conſtituentes: cum è contrario proprium eſſentiam ejus, cujus proprium eſt, non ingrediatur aut declaret, ut ex definitione ejus patet. *Ad confirmandum verò hic locus valebit*, ſi dicatur, ſubjectum non eſſe particeps ejus, quod loco proprii allatum eſt, ſed proprium eſſe extra eſſentiam ſubjecti, tale enim ſi allatum proprium eſt & præterea cum ſubjecto reciprocatur,

verum proprium iſtius ſubjecti erit ; v. c. ſit theſis, virtutis proprium eſſe laudabile, confirmatur, quia virtus non recipit aut participat definitionem laudabilis in esſentiâ ſuâ, ſed laudabile extra eſſentiam ac definitionem virtutis eſt, ita tamen, ut cum virtute reciprocetur : unde verum virtutis proprium erit. Quando autem in hoc loco dicitur, *ſpeciem participare esſentialiter definitionem differentiæ*, non intelligendum hoc eſt, *de differentiâ in ſe & ſimpliciter aut formaliter* vel quatenus differentia eſt aut in abſtracto ſumptâ, ita enim ſubjectum vel ſpeciem, cujus differentia aliqua eſt, definitionem differentiæ non participare, jam *ſupra lib. IV. Dial. loco 10. parte illius (6.)* dictum eſt; verum *accipiendum hoc eſt de differentia ſimul cum genere ſubjecti ac in concreto & materialiter acceptâ*, quomodo volatile, bipes, pedeſtre & alia talia, quamvis potius διαφέροντα ſint quàm διαφοραὶ, communi tamen dicendi uſu differentias apppellare ſolemus: harum enim hoc ſenſu acceptarum differentiarum definitiones esſentialiter à ſuis ſpeciebus & ſubjectis, quorum differentiæ ſunt, participari, dubium eſſe non poteſt.

15. *à tempore.* Si tale adfertur proprium, *quod cum propoſito ſubjecto non eſt tempore ſimul, ſed vel prius vel poſterius*, id verum proprium non eſt, quia proprium ſemper ineſſe oportet, quod autem vel prius vel poſterius eſt, non ſemper ineſt ; v. c. ſit theſis, hominis proprium

eſſe

esse ambulare in foro, refutatur, quia prius tempore est, esse hominem, posterius autem ambulare in foro, ac propterea ambulare in foro aut nunquam aut saltem non semper hominis proprium est: unde nec hominis proprium est canescere, nec virtutis honorari, &c. sunt enim hæc propria tempore posteriora, nec virtuosi proprium est, continentem esse, est enim hoc virtuoso tempore prius, prius namqve aliquis est continens, deinde virtuosus evadit. Locus hic *in confirmatione usum habet*, si dicatur, allatum proprium cum subjecto simul esse tempore, nec prius nec posteriùs, tum enim, si neqve definitio subjecti est, neqve differentia ejus, verum proprium erit; v. c. sit thesis, hominis proprium esse, disciplinæ capacem esse, confirmatur, quia hoc tempore cum homine simul est & semper ipsi inest, cum nec definitio sit nec differentia illius.

16. *ab eodem.* (1.) *ab eo, quod numero idem est.* Si allatum propositi subjecti proprium *non simul ejus quoq; proprium est, quod cum proposito subjecto reipsâ & numero idem est ac solo discrepat nomine*, id verum proprium non est, quæ enim re & essentiâ idem sunt, eadem etiam propria habere oportet; v. c. sit thesis, gladii proprium esse, secare adamantem, refutatur, quia hoc ensis proprium non est, qui tamen cum gladio idem numero existit: unde nec Metaphysicæ proprium erit, aliquid efficere, quia hoc sapientiæ proprium non est, quæ idem est ac Metaphysica, nec persequendi proprium

est,

eſt, aliquibus videri, bonum, quia expetendi hoc proprium non eſt. Valet etiam hic locus *ad confirmandum*, quia ſi propoſitum proprium ejus proprium eſt, quod à propoſito ſubjecto ſolo differt nomine, numero autem idem eſt, etiam ipſius allati & propoſiti ſubjecti proprium erit; v. c. quia riſibile animalis rationalis proprium eſt, etiam hominis proprium erit, & quia Metaphyſicæ proprium eſt, tractare de principiis abſolutè primis, ſapientiæ quoqve hoc proprium erit. (2.) *ab iis, quæ ſpecie eadem ſunt*, ubi quidem *ſpecie eadem tam latè accipiuntur*, ut genere eadem quoqve ſub iis comprehendantur, quod ex exemplo Ariſtotelis patet, quo hominem & eqvum ejusdem ſpeciei eſſe dicit; Alexandro etiam id monente & eapropter hunc locum obſcuritatis accuſante. Quando aliquid alicujus proprium eſſe dicitur, *reſpice ad ea, quæ & cum allato ſubjecto, & cum allato proprio eadem ſpecie vel genere ſunt*, ſi enim id, quod cum allato proprio ſub eodem genere eſt, eſt proprium ejus, quod cum allato ſubjecto ſub eodem genere eſt, etiam ipſum allatum proprium allati ſubjecti proprium erit, ſi iſtud illius non eſt, neqve hoc hujus erit; v. c. ſit theſis, virtutis proprium eſſe laudabile, confirmatur, quia virtus genere convenit cum vitio aut virtus ſub eodem genere, nempe habitus, eſt cum vitio, laudabile autem genere convenit cum vituperabili vel laudabile ſub eodem genere eſt cum vituperabili, inde cum vituperabile ſit proprium vitii, etiam laudabile proprium

prium virtutis ac proinde thesis confirmata erit; si verò dicatur, à se ipso quiescere esse proprium equi, refutatur, quia cum equo ejusdem generis est homo, & cum proprio, à se ipso quiescere, ejusdem generis est, à se ipso moveri, inde cum à seipso moveri non sit proprium hominis, nec à seipso stare proprium equi ac propterea thesis refutata erit. Hic *locus tamen in confirmando non semper valet, sed tunc solùm*, quando utrumqve proprium, & quod in thesi positum est, & quod ejusdem cum illo est generis, uni tantùm non pluribus inest speciebus, secus enim, si unum proprium uni tantùm speciei, alterum verò pluribus competit, fieri potest, ut unum unius proprium sit, alterum verò alterius non sit; v. c. sint duo subjecta specie vel potius genere eadem, nempe homo & eqvus, sint etiam duo propria ejusdem generis, nempe gradiens bipes, & gradiens quadrupes, ex quibus illud uni gradientis animalis speciei, nempe homini, hoc pluribus, nempe equo, bovi, leoni &c. inest, inde quamvis illud illius proprium sit, non tamen sequitur, ergò & hoc hujus, nempe equi, proprium erit, pluribus enim quàm equo convenit, atqve ita proprium ejus dici non potest, cum proprium illi soli insit, cujus proprium est & cum subjecto suo reciprocetur. (3.) *Ab iis, quæ sunt eadem subjecto, ratione verò & definitione differunt*; quomodo v. c. homo albus unum quid est, ex subjecto, nempe homine & accidente nempe albo constitutum, quæ duo si rem ipsam spectes,

unum

unum quid ſunt, ratione verò vel definitione differunt, cum alia ſit definitio hominis ſimpliciter, alia verò hominis albi; quâ ratione ea quoqve concreta, quæ ex habitu aliquo denominantur, unum quid ſunt, v. c. ſciens includit & ſubjectum, quod ſcire dicitur & ipſum habitum, nempe ſcientiam, quæ duo iterum ſubjecto & re idem ſunt, definitione verò alia atqve alia exiſtunt: quæ unius ac diverſi multiplex ſignificatio cauſa eſt, ut difficulter probari poſſit, *aliquid unius & ſolius proprium eſſe*, imprimis ſi cum ſophiſtâ res fuerit, qui æquivocatione unius abutetur atqve ita totam diſputationem irritam reddere laborabit. Quia enim *quod ineſt ſubjecto alicui ſimpliciter accepto, ineſt etiam illi cum accidente quodam ſumpto*, v. c. genus, nempe animal ineſt homini ſimpliciter accepto, ineſt etiam homini albo, aut docto, aut diviti aut cum alio quodam accidente ſimul ſumpto; inde & proprium aut hominis aut equi ſimpliciter accepti, nempe riſibile aut hinnibile, inerit etiam homini aut equo cum accidente conjunctim ſumpto, cum & homo albus ſit riſibilis & eqvus niger ſit hinnibilis &c: ut & proprium habitus v. c. ſcientiæ, nempe immutabilem eſſe, ineſt etiam illi, qui à ſcientiâ denominatur, nempe ſcienti, & contra proprium ſcientis ſcientiæ quoqve ineſt. Hinc *locus præſens, ut refutationi inſerviat*, Sophiſticè ita informari ſolet: ſi tale adfertur proprium, *quod alii quàm propoſito in theſi ſubjecto, aut pluribus, quàm propoſito ſubjecto*

cto

cto convenit, id verum proprium non eſt, proprium enim reciprocari oportet, atq; ita alii cuipiam aut pluribus quàm propoſito ſubjecto convenire non poteſt; v. c. ſint theſes antè poſitæ, hominis proprium eſſe riſibile, ſcientiæ proprium eſſe immutabile, refutari ſophiſticè poſſunt ex hoc loco, quia riſibile etiam homini albo convenit, qui jam aliud quid eſt ab homine ſimpliciter, & immutabile etiam ſcienti competit, qui aliud ab ipsâ ſcientiâ eſt: unde cum proprium aliis & pluribus competere non debeat, nec riſibile hominis, nec immutabilem eſſe ſcientiæ proprium erit. Contra verò *in confirmando dicendum eſt*, non eſſe aliud quid hominem ab homine albo, nec ſcientiam à ſciente, ſed utut hæc ratione & definitione differant, reipsâ tamen ac ſubjecto unum idemqve eſſe atqve propterea, quando unum idemqve proprium utrisqve tribuitur, non tamen pluribus, ſed nihilominus uni eidemqve ſubjecto tribui; imò etiam, quod poſterius præſertim exemplum concernit, à Caſibus contra Sophiſticationem hanc ſumendum eſt argumentum & dicendum, caſu tantùm differre ſcientem ac ſcientiam, cœtera verò idem eſſe, & proinde propria eorum etiam caſu ſolùm differre, cœtera autem idem eſſe oportere, v.c. ſcientis proprium eſſe, qui mutari nequeat, ſcientiæ verò, quæ mutari non poſſit: quæ omnia cum rectè ſe habeant, patet, theſes ſupra poſitas confirmatas, ſeu hominis proprium riſibile, ſcientiæ verò immutabile eſſe. Atqve hæc de loco

hoc

hoc Sophiſtico, cui aliis etiam argumentis qualibuscunqve occurrendum eſſe dicit Ariſtoteles, cum apud ſophiſtas etiam minutiſſima perſequi liceat, & illi, qui quovis modo objicit, etiam quovis modo ſit occurrendum vel reſpondendum.

17. *à variis, quibus proprium ſubjecto inesſe dicitur, modis. (1.) ab eo, quod ineſt naturâ aut ſemper.* Si theſis proprium aliquod, *quod naturâ ineſt, ita exponit, quaſi ſubjecto ſuo ſemper & actu inſit*, vitium eſt commisſum, *naturâ enim inesſe hîc iſtud dicitur*, cujus capax eſt ſubjectum, licet id actu & ſemper non inſit, uti annotat *Alexander comment. in ſequentem (3.) hujus loci partem*; v. c. ſint theſes, hominis proprium eſſe, ſemper habere erectum corpus, aut ſemper eſſe diſciplinæ capacem, aut avis rapacis proprium esſe, ſemper habere ungves aduncos &c. refutari eæ omnes posſunt, quia utut propria in illis poſita allatis ſubjectis inſint naturâ vel ex intentione naturæ, ſemper tamen ac perpetuò non inſunt, ſed fit ſæpè per accidens, ut homo nec erectam habeat figuram, nec diſciplinæ ſit capax, vel propter morbum vel aliud quoddam accidens, quod ipſum de ave rapaci quoqve dicendum eſt, quæ privari multis de cauſis aduncis ungvibus poteſt. (2.) *ab eo quod ineſt primariò vel ſecundariò.* Cum unum idemqve alteri inſit primo, alteri verò per illud primum & ſecundariò, quomodo color primò ineſt ſuperficiei, ſecundariò verò & per ſuperficiem corpori, inde Ariſt. ait, difficile eſſe, rectè expplica-

plicare proprium, quia si hujus proprium est, non videtur esse illius, & si illius est, non videtur hujus esse; quâ in re ne quis peccet, dicit Arist. in explicatione proprii, distinctione utendum & *determinandum esse, an allatum proprium subjecto posito primò an secundariò insit:* quod si non rectè observaverit thesis aliqua, refutari ea ex hoc loco potest. v. c. sint theses, hominis proprium esse, sapientem esse, aut animalis proprium esse pulchrum &c. refutari eæ possunt, quia & animæ rationalis proprium est sapientia & corporis proprium est pulchritudo, cum tamen anima rationalis homo non sit, nec corpus animal, idem autem multorum ac differentium proprium esse non possit: quæ difficultas ut tollatur, exprimendum est in thesibus, sapientiam esse proprium hominis, ita ut insit ipsi secundariò, primò enim inest animæ rationali & per hanc ipsi homini, ut & pulchritudinem esse proprium animalis, ut insit ipsi secundariò, primo enim corpori & per hoc vel mediante hoc ipsi animali inest, quæ determinatio cum neglecta sit in thesibus istis, refutari illæ possunt neqve proprium rectè ac evidenter exposuerunt. (3.) *à variis aliis inexistendi modis.* In universum, cum proprium aliud insit (1.) *naturâ*, ut homini habere erectam figuram, (2.) aliud insit *quomodocunque*, ut huic vel illi homini quatuor habere digitos, (3.) aliud insit *ratione speciei & formæ*, ut igni, habere partes tenuissimas, (4.) aliud *simpliciter & absolutè*, ut animali esse à seipso mobile,

bile, (5.) aliud insit *propter ac per aliud*, ut animæ, esse prudentem, quod animæ per ac propter eam illius partem inest, quæ aliàs rationalis vocatur, (6.) aliud insit *primò*, ut prudentia animæ rationali, (7.) aliud insit alicui, *quia aliquid habet*, quomodo immutabilem esse in sententiâ, proprium est scientis, ideò, quia sciens scientiam habet, (8.) aliud insit alicui, *quia habetur*, quomodo scientiæ proprium est, immutabilem esse, quia à sciente habetur ac possidetur, (9.) aliud insit alicui, quia hoc *aliud quid participat*, prout hominis proprium est vivere, quia homo particeps est animalis, quod per vivere definitur, (10.) aliud insit alicui, *quia hoc ab alio participatur*, prout sentire proprium est animalis, quia animal participatur ab homine, leone & aliis speciebus, si enim animal à nullâ specie participaretur, utiqve nec sentire posset, nec planè animal esset. Quæcunqve itaqve thesis proprium adfert, *& quonam ex prædictis modis illud subjecto suo insit, non exponit*, peccat, semper enim isti cavillationi, proprium non soli inesse allato subjecto, sed & alii cuipiam & propterea verum proprium non esse, locum relinquit, de quâ cavillatione *parte præcedente (2.) hujus loci dictum est*, quæ ut tollatur, in cujusvis proprii expositione præcisè ac expresse determinandus est iste ex superioribus modus, quo proprium inest; adeò ut si aliquis ex supradictis modis non satis distinctè rem exprimere videatur, adhuc magis ille sit distingvendus

dus, ne ulla objectioni ante dictæ occasio detur; v. c. si quis dicat, proprium ignis, ratione formæ & speciei esse, habere partes tenuissimas, iste, cum tres sint ignis species, pruna, flamma, & lux, quibus omnibus certè proprium istud æqualiter non competit, determinet & exprimat, cuinam ex tribus his formis ac speciebus dictum proprium insit, cui verò non insit, sic enim demum proprium evidenter & rectè expositum erit: plura pro illustrando hoc loco exempla adferre necesse non est, cum ea ipsis supra enarratis inexistendi modis jam sint addita & multa quoqve in ipso reperiantur Aristotele, *de cujus tamen exemplis* & hîc & alibi adductis id semel pro semper notandum est, *non omnia, annotante id Alexandro, ex propriâ semper sed multa ex alienâ allata esse sententiâ*, ut quando hîc lumen species ignis vocatur, quod certè contra propriam Philosophi mentem est, cum juxta illum ignis corpus sit, lumen autem corpus non sit, neqve enim in eo exempli virtus posita est, ut præcisè verum sit, sed ut istud, cujus gratiâ adductum est, illustret, sivè præcisè verum sit sive non sit, cum & aliàs vulgò dicatur, *exemplorum non requiri veritatem*. Porrò *& ad confirmandum hic locus valet, ex parte scilicet, non absolutè*, quia si modus, quo proprium allatum subjecto suo inest, clare determinatus & expressus est, tum hac ex parte proprium rectè allatum ac expositum esse, confirmari inde potest.

18. *ab eodem.* Si tale ponitur proprium, *quod idem*

idem est cum subjecto, cujus proprium esse dicitur, verum proprium positum non est, quod enim idem est cum aliquo, id naturam ejus & essentiam significat, quod autem naturam significat, si cœtera fuerint paria, definitio est, aut nomen subjecti, non proprium; v.c. sit thesis, honesti proprium esse decorum, aut beatitudinis proprium esse felicitatem, refutatur utraqve, utrobiqve enim quod proprii loco ponitur, idem est cum subjecto, cujus esse dicitur, ejusqve naturam significat ac alicujus potius definitionis & nominis, quàm proprii rationem ac speciem habet; multa enim esse definitionum genera, quæ omnia tamen à proprio differunt, ex *lib.I.Dial.cap.II.§.5.* constat. Hic locus quoq; *ad confirmandum valet*, quia si thesis tale ponit proprium, quod cum subjecto idem non est, cum eodem tamen reciprocatur, verum proprium allatum erit; v.c. sit thesis, hominis proprium esse, disciplinæ capacem esse, confirmatur, quia id quod proprii loco hîc ponitur, non est idem cum subjecto nec quid illud sit significat, cum ipso verò reciprocatur.

19. *à partibus homogeneis vel similaribus*, quæ ita dicuntur, quia & nomen & definitionem totius, cujus partes sunt, sibi vendicant, ut ex igne, sangvine, lacte, terrâ & aliis hujusmodi patet, in quibus & totum & quælibet pars uno eodemqve ignis, sangvinis, &c. nomine ac definitione dicitur; contra *ac in totis & partibus dissimilaribus*, in quibus alio nomine pars dicitur, alio totum

aliaqve illius, alia verò hujus definitio eſt, v. c. in homine, qui totum diſſimilare eſt, partes ejus, nempe, manus, pes, caput &c. non dicuntur nomine hominis aut totius, ſed alio nomine vel pedis, vel capitis &c. neqve definitione totius, ſed peculiari ſibiqve propria definiuntur. Vide *Ariſt. l. 4. Meteor. cap. 10.* Si itaqve totius alicujus ſimilaris tale adfertur proprium, *quod non competit aut æqualiter dicitur de qualibet totius iſtius parte*, aut contra, *ſi partis ſimilaris tale adfertur proprium quod non competit toti ſimilari*, verum proprium allatum eſt, cum eadem ſit in ſimilaribus totius & partium natura ac proinde eadem quoqve oporteat eſſe propria; v. c. ſit theſis, aquæ potabilis proprium eſſe, ſedare ſitim, refutatur, quia guttulæ, quæ pars eſt aquæ potabilis, hoc proprium non competit: aut dicatur, hujus vel illius aëris partis proprium eſſe, reſpirabilem eſſe, refutari iterum poteſt, quia toti aëri hoc non competit, totus enim aër abſorberi & ex pectore reddi non poteſt. Ex hoc loco *confirmari etiam theſis poterit*, ſi dicatur, tale eſſe allatum totius proprium, quod ſingulis ejus partibus, & quidem ratione totius conſideratis aut ſecundum definitionem totius acceptis competit, id enim verè proprium eſſe, dubitari non poteſt; v. c. ſit theſis, terræ proprium eſſe, deorſum ferri, confirmatur, quia hoc & toti ineſt terræ, & cuilibet terræ parti, eatenus quatenus vel ideo quia terra eſt, convenit: unde verum in hac theſi proprium allatum erit.

20. *à contrariis.* Cum thesis proprium aliquod ponit, vide, *an id quod proprio contrarium est, sit proprium ejus, quod subjecto contrarium est*, si enim contrarium est contrarii proprium, & hoc in thesi allatum hujus proprium, ac ipsa thesis confirmata erit, si verò illud illius non est, nec hoc hujus sed thesis refutata erit; v. c. sit thesis, expetendi proprium esse bonum, confirmatur, quia quod bono contrarium est, nempe malum est proprium ejus, quod expetendo contrarium est, nempe fugiendi, ergò expetendi proprium bonum erit: si verò dicatur, fortitudinis proprium esse, rem omnium optimam esse, refutatur, quia timiditatis, quæ fortitudini contraria est, proprium non est, rem omnium pessimam esse, id quod priori proprio adversatur.

21. *à relatis.* Pariter vide, an propositum subjectum & proprium habeant aliqua sibi relativè opposita, *si enim quod proprio relatè opponitur, est proprium ejus, quod ita opponitur subjecto*, etiam allatum proprium allati subjecti proprium ac thesis confirmata erit, *si verò illud illius proprium non est*, neqve hoc hujus proprium sed thesis refutata erit; v. c. sit thesis, Domini proprium esse possidere vel imperare &c. confirmatur, quia servi proprium est possideri vel parere &c, si verò dicatur, sensus proprium esse scientiam, refutatur, quia sensibilis proprium non est scibile.

22. *à privantibus.* Similiter & hìc *si habitus aut quod secundùm habitum dicitur, est pro-*

 prium

prium habitus aut quod secundùm habitum dicitur, etiam privatio & quod secundùm privationem dicitur, privationis ac quod secundùm privationem dicitur, proprium erit, & contra, si *hoc hujus, etiam illud illius proprium*, ipsaqve thesis confirmata est, *si verò alterum alterius proprium non est*, nec alterum alterius proprium, sed thesis refutata erit; v. c. sit thesis, auditus proprium esse, percipere vocem, aut visus proprium esse sensum, per quem multa discimus, confirmatur, quia surditatis proprium est, non percipere vocem, & quia cœcitatis proprium est, carere sensu eo, per quem multa discimus: si verò dicatur, olfactus proprium esse sensum omnium nobilissimum esse, refutatur, quia defectus olfactus non est defectus sensus omnium nobilissimi & præstantissimi.

23. *à contradicentibus. (1.) conferuntur duo attributa cum uno subjecto.* Si quid alicujus proprium dicitur, *cujus contradictorium proposito subjecto convenit*, id verum proprium non erit, quia si affirmatio subjecti proprium est, negatio, quæ affirmationi contradictoriè opponitur, illius proprium esse non potest, & contra, si hæc proprium est, illa esse nequit; v. c. sit thesis, animalis proprium esse, non moveri, refutatur, quia moveri ejus proprium est, cum omne animal à se ipso moveatur, *l. 8. Phys. c. 4.* aut dicatur, arborum & plantarum proprium esse sentire, refutatur, quia contradictorium, nempe non sentire, ipsis inest. *(2.) Conferuntur duo attributa cum duobus subjectis*

ctis. Cum thesis aliquid alicujus proprium esse dicit, ad contradictoria & allati subjecti & allati proprii respice, *si enim contradictorium proprii est proprium contradictorii subjecti*, etiam allatum proprium allati subjecti propium & thesis confirmata erit, *si verò illud illius proprium non est*, neqve hoc hujus proprium, sed thesis refutata erit; oportet enim, si affirmatio affirmati subjecti proprium est, vel non est, etiam negationem esse vel non esse proprium subjecti negati, & contra, si hoc hujus proprium est vel non est, etiam illud illius proprium erit vel non erit. Hinc si talis est thesis, animalis proprium esse sentire, confirmatur, quia non animalis proprium est, non sentire; & quia hominis proprium est, posse deliberare, non hominis proprium erit, non posse deliberare; si verò dicatur, hominis proprium esse animal, refutatur, quia non hominis proprium non est non animal, leo enim non homo est, at non animal dici non potest, quamobrem nec hominis proprium animal erit. (3.) *Confertur unum attributum cum duobus subjectis.* Si quid alicujus proprium esse dicitur, *quod contradictorii subjecti proprium est*, verum proprium allatum non erit, quia si affirmatio subjecti affirmati proprium est, non potest esse proprium subjecti negati, & contra, si hujus est, illius esse non potest; v.c. sit thesis, ejus quod non est homo vel non hominis proprium esse, disciplinæ capacem esse, refutatur, quia contradictorii & affirmati subjecti, nempe hominis proprium est, disciplinæ capacem esse: unde

unde nec virtutis proprium eſt, non laudabile eſſe, quia hoc ejus, quod non eſt virtus, ſeu non virtutis, nempe vitii, proprium exiſtit. Hujus loci *prima & poſtrema pars tantum ad refutandum conducunt*, media autem vel *ſecunda etiam ad confirmandum valet*, uti ex ſubjunctis exemplis patet.

24. *à diviſione.* Si theſis aliquid eorum, quæ in diviſione alicujus generis ſibi ut contradiſtincta reſpondent, ponit eſſe proprium alterius cujusdam eorum, quæ ex aliâ diviſione reſultant, *conſiderandum eſt, an id, quod poſito proprio in diviſione contra diſtinctum eſt, ſit proprium alicujus eorum, quæ in alterâ diviſione allato ſubjecto contradiſtincta ſunt*, id enim ſi ita eſt, etiam allatum proprium verum proprium, & theſis confirmata erit, ſecus ſi illud illius proprium non eſt, neqve hoc allatum hujus proprium, ſed theſis refutata erit; v.c. ſit theſis, generationis & corruptionis proprium eſſe, verſari circa ſubſtantiam, confirmatur, ſi reſpiciatur ad diviſionem motus, ſub quo generatio & corruptio continentur, eſt enim motus (1.) vel generatio & corruptio (2.) vel augmentatio & diminutio (3.) vel alteratio (4.) vel motus localis; ut & ad diviſionem eorum, quæ motui ut propria ineſſe deprehenduntur, ex quâ diviſione pateſcit, alium (1.) verſari circa ſubſtantiam vel eſſe in ipsâ ſubſtantiâ rerum naturalium, alium (2.) eſſe in quantitate, (3.) eſſe circa qualitatem (4.) eſſe circa locum; quoniam itaqve evidens eſt, augmentationis & diminutionis proprium

eſſe

esse, versari in quantitate, alterationis proprium versari in qualitate, motus localis verò esse circa locum, & verò in divisione motus nihil aliud super est, quàm generatio & corruptio, in divisione propriorum autem nihil, quàm esse in substantiâ, manifestum est, generationis ac corruptionis proprium esse, versari in substantiâ: si verò dicatur, hominis proprium esse moveri, refutatur, quia homini in divisione animalis contradistinguitur brutum, τῷ moveri verò contradistinguitur quiescere, quiescere verò non est proprium bruti, ergò nec moveri proprium hominis erit. Oportet autem, *ut hic locus valeat, & divisionem subjecti & divisionem attributi vel proprii æq; latè patere*, secus enim si divisio alterius plura sub se comprehendat, quàm divisio alterius, nec in confirmando nec in refutando locus valet; v. c. non sequitur in confirmando, virtutis moralis proprium est laudabile, ergò virtutis intellectualis proprium est vituperabile, nec in refutando, virtutis intellectualis proprium non est vituperabile, ergò nec virtutis moralis proprium laudabile erit: utrobique nulla est consequentia, quia altera divisio nempe attributi vel proprii in laudabile & vituperabile latior est & ad plura extenditur, quàm divisio subjecti, nempe virtutis, in moralem & intellectualem, cum enim hæc divisio solius sit virtutis, illa prior ea continet, quæ non solùm virtuti, sed & vitio conveniunt.

25. *à conjugatis & casibus*. (1.) Si *casus alla-*

allati proprii, non est proprium casus allati subjecti, neqve allatum proprium allati subjecti proprium, sed thesis refutata erit, *si vero casus est proprium casus*, etiam allatum proprium verum & thesis confirmata erit; v.c. sit thesis, justitiæ proprium esse fortitudinem, refutatur quia τοῦ justè agere proprium non est fortiter agere, nec injustitiæ proprium est laudabile, quia τοῦ injustè agere proprium non est laudabiliter agere: si verò dicatur, artis proprium esse promptitudinem, confirmatur, quia τοῦ artificiosè agere proprium est promptè agere, unde & virtutis proprium est laudabile, quia virtuosè agere est laudabiliter agere. (2.) Ad casus etiam contrarii respiciendum est, *si enim casus contrarii proprii est proprium casus contrarii subjecti*, etiam proprium allatum verum proprium & thesis confirmata erit, contra si contigerit, nec allatum proprium verum, sed thesis refutata erit; v.c. sit thesis, virtutis proprium esse laudabile, confirmatur, quia casus contrarii proprii, nempè vituperabiliter est proprium casus contrarii subjecti, nempe τοῦ vitiosè, vitiosè enim agere est vituperabiliter agere, ergò etiam τοῦ virtuosè agere proprium erit laudabiliter agere, ac per consequens virtutis proprium laudabile erit: dicatur verò, injustitiæ proprium esse prudentiam, refutatur, quia casus contrarii proprii, nempe imprudenter, non est proprium casus contrarii subjecti, nempe τοῦ justè, justè enim agere

re non est imprudenter agere, ergò nec τῦ injustè proprium erit prudenter, ac per consequens nec injustitiæ proprium prudentia erit.

26. *à proportione.* (1.) Si id, *quod similiter se habet ad aliud quid ac se habet propositum proprium ad propositum subjectum, est proprium ejus ad quod similiter se habet*, etiam propositum proprium propositi subjecti proprium & thesis confirmata erit, si verò illud illius proprium non est, neqve hoc hujus proprium, sed thesis refutata erit; v.c. sit thesis, intellectus proprium esse, circa objectum suum intelligibile non falli, confirmatur, quia uti se habet intellectus ad intelligibile, sic sensus ad sensibile se habet, sensus autem proprium est, circa suum objectum non falli, ergò & intellectus proprium erit circa intelligibile non falli: dicatur autem, architecti proprium esse, ædificare, refutatur, quia uti se habet architectus ad ædificandum, sic medicus se habet ad sanandum, at verò medici proprium non est, semper sanare, ergò nec architecti proprium erit, semper ædificare. (2.) Si unum aliquod ad duo æqualiter vel similiter sese habet, *tum si illud alterius proprium non est, nec alterius proprium erit*, ut &, *si est proprium alterius, iterum tamen alterius proprium non erit*, quia ut unum multorum ac differentium proprium sit, fieri non potest; v.c. sit thesis, fortitudinis proprium esse, beatum reddere, refutatur, quia beatum reddere tanquam effectus aliquis æquali ratione sese habet ad justitiam

tiam ac ad fortitudinem, utraqve enim æqualiter illius causa & ut ita dicam, efficiens esse videtur, at justitiæ proprium non est, ergò nec fortitudinis erit: aut dicatur, Sophistæ proprium esse, erudire Adolescentes, refutatur, quia pariter ut erudire adolescentes sese habet ad Sophistam, etiam sese habere videtur ad verum Philosophum, utriusqve enim effectus esse æqualiter videtur, at verò erudire juventutem verum veri Philosophi proprium est, ergò Sophistæ proprium esse non potest, cum idem multorum ac specie differentium proprium non sit. In *Confirmatione hic locus nullum planè usum habet. Affinis est hic locus vel hæc hujus loci pars præcedenti parti*, cum & ipsa à proportione quadam sit desumpta, *in illo tamen differt*, quod ibi duo attributa cum duobus subjectis atqve ita quatuor termini inter se conferebantur, hîc vero unum solùm attributum cum duobus subjectis comparatur; cœterum obscurus est hic locus, nec convenit Aristotelis præceptum, quippe in quo unum attributum comparatur cum duobus subjectis, ipsi exemplo quod subjunctum est, quippe in quo duo attributa comparantur cum uno subjecto, ut dubium nullum sit, quin aut *falsum aliquod glossema, aut saltem mendum in textum irrepserit*, quod posterius *annotatio in margine Codicis Græci Basileensis* monet & multò antè monuit ipse *Alexander Aphrodis. comment. in h. l.* quæ fortè etiam causa est, propter quam Averroes hunc locum planè omisit.

27.

27. *à rei existentiâ, generatione, corruptione &c.* Cum aliquid alicujus proprium dicitur, *ad utriusq; tam allati subjecti quàm proprii existentiam, ortum ac interitum respice*; si enim id, quod secundum esse dicitur, non est proprium ejus, quod secundum esse dicitur, nec id quod fit vel secundum generationem dicitur, erit proprium ejus, quod fit vel secundùm generationem dicitur, nec tandem id, quod corrumpitur vel secundùm corruptionem dicitur, proprium erit ejus, quod itidem corrumpitur vel secundùm corruptionem dicitur, & contra, si aliquid horum posteriorum proprium non est, nec prius illud proprium, sed thesis refutata erit: si verò aliquid ex his alicujus proprium est, etiam reliqua reliquorum propria erunt ac thesis vera atqve confirmata erit. V.c. sit thesis, sensus proprium esse scientiam, refutatur, quia generationis sensus non est proprium generatio scientiæ, nec corruptionis sensus proprium est, corruptio scientiæ, ergo neqve ejus quod sensus est vel secundùm esse dicitur, proprium erit esse scientiam, quæ consequentia reciproca est & à quovis eorum, quæ dicta sunt ad quodvis valet: dicatur verò, hominis proprium esse, disciplinæ capacem esse, confirmatur, quia generationis hominis proprium est, generatio animalis disciplinæ capacis, & corruptio hominis est corruptio animalis disciplinæ capacis, ergo, ejus quoqve quod homo est vel hominis, proprium erit, esse animal disciplinæ capax, quæ consequentia iterum retrò

com-

commeat & à quovis hujus loci membro ad quodvis valet.

28. *ab ideâ.* Quando *cum Platonico intercedit diſputatio* atqve hic aliquid alicujus proprium eſſe dicit, *reſpiciendum eſt ad rerum ideas*, quo nomine intellexit Socrates ſubſtantias æternas, immobiles, ac ſeorſim vel ſeparatim extra ſingularia conſiſtentes, quarum intuitu tamen omnia hæc ſingularia fuerint procreata, v. c. æternum aliquem ac immobilem eqvum eſſe dixit, cujus intuitu reliqui equi ſingulares & ſublunares ſint generati, talem quoqve hominem & in plerisqve aliis hujusmodi ſeparatas ſpecies dari exiſtimavit. Videndum itaqve eſt *an allatum proprium conveniat ipſi ideæ & quidem non tantum ſimpliciter quatenus idea eſt, ſed & quatenus ea hujus rei idea eſt, cujus proprium allatum eſt*, ſi enim convenit, verum proprium allatum & theſis confirmata eſt, ſi non convenit, verum proprium allatum non eſt, ſed theſis refutata; v.c. ſit theſis, animalis proprium eſſe vivere, confirmatur, quia vivere convenit ideæ animalis & quidem eatenus quatenus ea animalis idea eſt: dicatur autem, animalis proprium eſſe moveri, refutatur, quia moveri ideæ animalis non convenit, quippe quæ eſt immobilis, aut dicatur, hominis proprium eſſe, æternum & à materiâ ſeparatum eſſe, refutatur, quia utut idea hominis in ſe & ſimpliciter, quatenus idea eſt, & æterna ſit & à materiâ ſeparata, non tamen æternam aut ſeparatam eſſe ipſi convenit eatenus, quatenus hujus rei, nempe hominis, idea exiſtit.

29. *à comparatis imparibus. (1.) confertur unum attributum cum uno subjecto.* Cum aliquid alicujus proprium esse dicitur & utrumqve intensionem admittit, vide, *an intensionem subjecti sequatur intensio proprii*, si enim id quod minus est, proprium est minoris subjecti, etiam id quod magis est, proprium erit majoris subjecti & quod maximè tale est, proprium erit ejus subjecti, quod maximè tale est & quod minimum est proprium erit minimi subjecti, & deniqve quod simpliciter tale est, proprium subjecti simpliciter dicti atqve thesis confirmata erit, si verò ex illis prioribus aliquid proprium non est, nec ex reliquis proprium aliquid dici poterit, sed thesis refutata erit; v. c. sit thesis, frigidi proprium esse grave, confirmatur, quia quod magis frigidum est, ejus proprium est, magis grave esse, inde quod est frigidissimum, ejus proprium est, esse gravissimum &c. & simpliciter, quod frigidum est, ejus proprium grave, & ipsa thesis confirmata est: dicatur autem, calidi proprium esse humectare, refutatur, quia magis calidi proprium non est magis humectare, inde nec calidissimi proprium erit maximè humectare &c. ergò nec simpliciter calidi proprium humectare, sed thesis falsa erit. (2.) Invertitur præcedens hujus loci pars ita: *Si id quod simpliciter dicitur, non est proprium subjecti simpliciter dicti, nec quod magis est subjecti majoris proprium erit*, nec quod maximè dicitur, subjecti maximè dicti proprium, sed thesis refutata erit, si

verò

verò illud illius proprium eſt, etiam hæc horum propria dici oportebit & theſis confirmata erit; v. c. ſit theſis, quo quid levius eſt, eo magis ſurſum ferri proprium ejus eſſe, confirmatur, quia quod ſimpliciter leve eſt, ejus proprium eſt, ſurſum ferri, ergò etiam quod leviſſimum eſt, ejus proprium erit, maximè ſurſum ferri, & quod eſt magis leve, ejus proprium magis aſcendere, ipſaqve theſis confirmata erit: dicatur autem, quo quid humidius eſt, eo levius eſſe, refutatur, quia humidi ſimpliciter ſic dicti proprium non eſt leve eſſe, ergò neqve ejus quod humidiſſimum eſt, proprium erit leviſſimum, ac proinde nec quò magis quid humidum, eò magis leve, ſed theſis refutata erit. (3.) *conferuntur duo attributa cum duobus ſubjectis.* Quando aliquid alicujus proprium eſſe dicitur, attende, *annon aliud quid alius cujusdam ſubjecti magis vel minus videatur eſſe proprium, quàm hoc hujus*, tum enim ſi illud magis illius proprium eſſe videtur & tamen proprium ejus non eſt, neqve hoc hujus proprium, ſed theſis refutata erit, ſi verò illud minus illius proprium eſſe videtur & tamen ejus proprium eſt, etiam hoc hujus proprium & theſis confirmata erit; v. c. ſit theſis, ſcire eſſe proprium hominis, refutatur, quia magis animalis proprium eſſe videtur ſentire, quippe quod omni animali ineſt, quàm hominis proprium eſſe ſcire, quippe quod plurimis hominibus non ineſt, at verò ſentire animalis proprium non eſt, quia ad definitionem & eſſentiam animalis pertinet,

net, ergò multo minus, hominis proprium ſcire, ſed theſis refutata erit: dicatur autem, virtutis proprium eſſe laudabile, confirmatur, quia minus videtur voluptatis proprium eſſe expetibile, quàm virtutis laudabile, voluptatis proprium autem eſt expetibile, ergò & virtutis proprium laudabile erit. (4.) *confertur unum attributum cum duobus ſubjectis.* Cum aliquid alicujus proprium eſſe dicitur, vide *an idem illud alius cujusdam ſubjecti magis videatur proprium eſſe, & tamen ejus proprium non ſit*, tum enim neqve allati ſubjecti proprium, ſed theſis refutata erit; ſi verò ſit illius proprium, adhuc tamen hujus proprium non erit, ſed rurſus refutata erit theſis, quia unum idemqve multorum ac differentium proprium eſſe non poteſt: quæ etiam cauſa eſt, ut *nullus hujus loci in confirmando uſus* eſſe poſſit. Hinc ſit theſis, ſulphuris aut ſalis proprium eſſe, in mixtis eſſe cauſam ſaporum, odorum, colorum &c. refutatur, quia hoc magis videtur eſſe proprium caloris, quàm ſulphuris aut ſalis, at illius proprium non eſt, ergò neqve hujus erit: aut dicatur, cujusvis hominis proprium eſſe, rerum cauſas dare, refutatur, quia magis hoc proprium eſſe videtur hominis docti, quàm hominis cujusvis, at eſt hominis docti proprium, ergò hominis cujusvis proprium non erit. (5.) *conferuntur duo attributa cum uno ſubjecto.* Cum aliquid alicujus proprium eſſe dicitur, attende *annon aliud quid iſtius allati ſubjecti magis videatur proprium eſſe & tamen proprium non ſit*,

tum enim neq; allatum proprium verum proprium sed thesis refutata erit, aut vide, *annon aliud quid allati subjecti minus videatur proprium esse & tamen proprium ejus sit*, tum enim & allatum proprium verum proprium ac thesis confirmata erit; v. c. sit thesis, ignis proprium esse lucidum, refutatur, quia magis ignis proprium esse videtur leve, quam lucidum, at leve proprium ejus non est, competit enim & aëri, ergò neqve lucidum ignis proprium erit: dicatur verò, hominis proprium esse, disciplinæ capacem esse, confirmatur, quia minus hominis proprium esse videtur posse loqui, quàm posse disciplinas capere, at posse loqui est hominis proprium, ergò & disciplinæ capacem esse hominis proprium erit.

30. *à comparatis paribus. (1.) conferuntur duo attributa cum duobus subjectis.* Cum aliquid alicujus proprium esse dicitur, attende, *annon aliud quid alius cujusdam subjecti æqualiter proprium esse videatur*, illud enim si illius subjecti proprium est, & allatum proprium allati subjecti proprium ac thesis confirmata erit, si verò illud illius non est, nec allatum proprium verum proprium, sed thesis refutata erit; v.c. sit thesis, hominis proprium esse risibile, confirmatur, quia æqve equi proprium videtur esse hinnibile, quàm hominis risibile, equi verò proprium est hinnibile esse, ergò & hominis proprium erit risibile esse: dicatur autem, hominis proprium esse actu ridere, refutatur, quia æqualiter animalis proprium videtur esse actu sentire, quàm

quàm hominis actu ridere, illud verò animalis proprium non eſt, ergò neqve hominis proprium actu ridere erit. (2.) *conferuntur duo attributa cum uno ſubjecto.* Cum aliquid alicujus proprium eſſe dicitur, attende, *annon aliud quid ejusdem allati ſubjecti pari jure proprium dici poſſit*, hoc enim ſi allati ſubjecti proprium eſt, & propoſitum proprium verum proprium ac theſis confirmata erit, ſi verò non eſt, nec propoſitum proprium verum, ſed theſis refutata erit; v.c. ſit theſis, hominis proprium eſſe rationale, confirmatur, quia pari jure hominis proprium eſſe videtur diſciplinæ capacem quàm rationalem eſſe, at illud ejus proprium eſt, ergò & hoc erit: dicatur verò, hominis proprium eſſe videre, refutatur, quia pari jure hominis proprium dici poteſt audire quàm videre, at audire ejus proprium non eſt, ergò nec videre ejus proprium erit. (3.) *confertur unum attributum cum duobus ſubjectis.* Quando aliquid alicujus proprium eſſe dicitur, attende, *annon idem illud proprium, alius cujusdam ſubjecti æquè proprium eſſe videatur, quàm ſubjecti allati*, ſi enim illius ſubjecti proprium non eſt, neqve allati ſubjecti proprium, ſed theſis refutata erit; ſi verò illius ſubjecti proprium eſt, adhuc tamen allati ſubjecti proprium non erit, ſed rurſus refutata erit theſis, quia unum multorum ac ſpecie differentium proprium eſſe non poteſt: quam ob rem *neq; ad confirmandum* hic locus valet. Sit itaqve theſis, equi proprium eſſe, facilè poſſe

 move-

moveri, refutatur, quia hoc æqve proprium esse videtur cervi quàm equi, at cervi proprium non est, ergò nec equi proprium erit: dicatur verò, consultare de futuris, esse proprium brutorum animalium, refutatur, quia æqualiter hoc proprium inesse videtur hominibus, quàm brutis, utraqve enim animalia sibi de futuris prospiciunt, sed est proprium hominum, ergò proprium brutorum non erit. *Affinis est hic locus superiori loco 26.* Aristoteles tamen *aliquam inter eosdem differentiam* ponit; nempe in superiori τὰ ὁμοίως ἔχοντα, id est, similiter se habentia, hîc verò τὰ ὁμοίως ὑπάρχοντα, id est, similiter inexistentia considerantur, atqve ita in illo proportio, in hoc verò nulla proportio sed alia, scilicet ὑπάρξεως vel inexistentiæ spectatur similitudo: *aliud namqꝫ est proportio, vel similiter sese habere, aliud vero similitudo inexistentiæ, vel similiter inexistere alicui aut inesse*, cum multa reperiantur, quæ similiter ad aliud se habent, neutiquam tamen eidem insunt, ut v.c. album similiter se habet ad nigrum, ut justum ad injustum, quia utrobiqve contrarietas est, at nec album nigro, nec justum injusto inest, quamobrem superior locus desumptus est ab iis, quæ similiter se habent, licet similiter non insint iis, ad quæ ita se habent, ut ex exemplis ibi subjectis patet, hic verò locus ea solùm comprehendit, quæ simili modo iis, ad quæ referuntur, insunt, ut iterum ex additis exemplis intelligi potest.

31. *à po-*

31. *à potestate, quæ pariter & illi quod est, tribuitur, & illi quod non est.* Si thesis aliquid quod potestate est, quomodo omne proprium sese habet, proprium esse dicit, *eamq; potestatem alicui tribuit, quod non esse potest, etiam tunc, cum est id, cujus proprium datum est, cum illa potestas ita se habeat, ut isti quod non est, tribui nequeat*, ea verum proprium non adfert, sed falsa est & refutata; si verò potestas illa *ei tantùm tribuitur, quod est, aut si aliqua potestas ita comparata est, ut etiam illi quod non est, tribui possit*, atqve tum etiam illi, quod non est, tribuitur, verum proprium *hac ex parte* allatum ac thesis confirmata erit. V. c. sit thesis, aëris proprium esse respirabile, refutatur, quia respirabile dicit potentiam ad respirandum, quæ potentia ad animalia refertur, quippe quæ præsente aëre respirant, animalia verò præsente aëre possunt etiam non esse, ut, etiamsi nullum sit animal, aër tamen adhuc esse possit, cum tamen potentia respirandi inesse, si animalia non fuerint, non possit, quam ob rem respirabile proprium aëris non est, quia illi saltem ratione animalis competit, adeò, ut si nullum aliquo tempore animal esset, aër quoqve eo tempore proprio suo careret, quod naturæ proprii repugnat, quippe quod semper subjecto suo inesse oportet; dicatur autem, hominis proprium esse, capacem esse scientiæ vel capere posse scientiam, confirmatur, quia potentia, secundum quam proprium hoc dicitur, soli ei quod est, nempe homini, nullo verò

 modo

modo alii cupiam, quod existente homine non esse potest, tribuitur: tandem sit thesis, materiæ proprium esse, posse recipere contraria, confirmatur & hæc, quia potentia hæc, utut alicui, quod certo modo non est, nempe materiæ, quæ certo modo non esse dicitur vel non Ens est, *lib. 1. Physic. c. 8. & 9.* tribuatur, ita tamen se habet, ut ei etiam quod tali vel tali modo non est, convenire possit, atqve ita nihilominus verum est proprium, quamvis non Enti tribuatur.

32. *ab hyperbole aut superlativo.* Quodcunqve alicui *tribuitur per hyperbolen & in superlativo gradu, id verum proprium non est*, quia proprium uni soli convenire & sublato subjecto, ipsum quoqve proprium tolli oportet, quod verò in superlativo dicitur, non tollitur sublato subjecto, sed manet adhuc atqve tum alii cuidam competit; v. c. sit thesis, ignis proprium esse levissimum, refutatur, quia sublato igne non statim simul tollitur levissimum, sed manet adhuc atqve alii præter ignem, nempe aëri, inest, quippe qui sublato igne omnium levissimus erit: unde nec solis proprium est, esse planetam maximum, nec terræ, esse corpus frigidissimum &c. In *confirmando locus ex parte valet*, si enim ostendatur, proprium non esse positum in superlativo gradu, hac ex parte proprium benè sese habere, probatum erit. Tantùm de locis proprii & lib. 5. Topicorum.

LIBER

LIBER SEXTUS.

DE

LOCIS DEFINITIONIS.

QUid ſit *definitio*, quidq; *problema definitionis*, id ex *lib. I. Dial. cap. II. §. 5.* jam conſtat; cur autem ultimo de problemate definitionis agatur loco, iterum jam *in principio Lib. IV. Dial.* expoſitum eſt: quia ſcilicet operoſior ac difficilior eſt hujus quàm cœterorum problematum tractatio & quia hoc præſens problema reliquorum anticipatam requirit cognitionem. Sunt autem, *quæ circa definitionem in quæſtionem venire ſolent*, ſequentia (1.) *an definitio omnibus iis competat*, quibus nomen vel definitum competit. (2.) examinari poteſt *genus definitionis*, an ſcilicet in definitione genus aut planè deſit? aut non proprium & accommodatum adhibeatur? aut non debito, nempe primo, ponatur loco? prius enim genus poni debet, deinde differentiæ adjungi. (3.) an definitio ſit *illi rei, cujus eſſe dicitur, propria nec ne?* debet enim quævis definitio cum ſuo definito reciprocari. (4.) an *ipſam rei eſſentiam explicet?* etſi enim omnia præcedentia rectè ſe habeant, niſi tamen integram definiti esſentiam explicet, vitioſa erit definitio. (5.) tandem an definitio vel oratio esſentiam deſcribens *rectè*

ſit concepta & verbis conſtet ad definiendum aptis, nempe evidentibus, non æquivocis, non inuſitatis, non ſupervacaneis & abundantibus &c.? Priora tria capita *ex præcedentibus libris* examinari posſunt, primum ſcilicet ex *lib. II. Dial. & locis accidentis*, quippe in quibus diſputatur, non tantùm, an aliquid alicui accidat? ſed etiam, an ſimpliciter & omnino aliquid alicui competat vel inſit, uti ex iis, *quæ lib. I. Dial. c. II. §. 8.* dicta ſunt, patet, ſecundum ex *lib. IV. Dial. & locis generis*, tertium verò ex *lib. V. Dial. & locis proprii*; reliqua duo, quæ adhuc reſtant, hujus tractationis capita in præſente libro producenda ſunt, ita ut quemadmodum ſupra in locis Proprii factum eſt, *primò incipiamus à locis facilioribus*, iis nempe, quibus definitionem aliquam rectè aut non rectè, ſive verbis ad definiendum aptis aut ineptis prolatam & expoſitam eſſe, aut confirmare aut refutare posſumus, qui loci vel *ab obſcuritate* definitionis *vel à redundantia* deſumuntur, deinceps verò *transeamus ad locos difficiliores*, eos nempe, quibus aliquam orationem, omninò ac ſimpliciter definitionem eſſe vel non eſſe, aut confirmamus, aut refutamus: qui loci, præeunte ita Ariſtotele, hoc ordine ſeqvuntur.

Locus I. *ab homonymiâ.* (1.) Si data aliqua *definitio conſtat vocabulo æquivoco*, vitiosè ea expoſita erit, & obſcura, cum ignoretur, in quanam ambiguum iſtud vocabulum accipiendum ſit ſignificatione, definitionem verò verbis claris ac evidenti-

dentibus conſtare oportet, cum declarandi definiti gratiâ tradatur, ex vocabulis autem obſcuris & ambiguis declarari definitum non poſſit; v. c. ſit definitio, generationem eſſe ἀγωγὴν vel deductionem ad esſentiam, refutatur, quia ambiguis & obſcuris conſtat vocabulis, nam & ἀγωγὴ multis modis dicitur, de educatione puerorum, de vectione cibi & vini &c. nec esſentia unius eſt ſignificationis, ac proinde definitio hæc rectè expoſita non eſt: unde nec definitio ſani rectè ſe habet, quando id definitur per συμμετρίαν calidi & frigidi, συμμετρία enim multipliciter dicitur, *lib. 1. Top.c.15.* nec à Galeno ignis rectè definitur elementum calidiſſimum, cum calidiſſimum æquivocè & multis modis dicatur, *lib.2.de part.Anim.c.2.* (2.) Si ipſum *definitum eſt homonymum, nec explicatur, in quâ illius ſignificatione allata definitio ipſi conveniat*, vitium eſt commisſum & definitio obſcurè ac ipſa res minus rectè expoſita; v. c. ſit definitio, ſanctum id eſſe, quod omnes dii amant, quæ Platonis eſt in Euthyphrone, refutatur, quia ſanctum multipliciter dicitur & de eo, quod naturâ tale eſt & de eo, quod legibus tale, de eo quod ſemper & omni loco, & de eo, quod aliquando & apud hos vel illos tantùm tale, de quibus ſignificationibus omnibus, cum data ſignificatio accipi non poſſit, incertum & obſcurum erit, quodnam ſanctum hîc definiatur atqve ita definitio nihil declarat ac proinde minus rectè expoſita eſt;

quâ

quâ in re hæ quoqve definitiones peccant, ens eſt, quod habet esſentiam, acutum eſt, quod facilè penetrat &c. ens enim & acutum multiplicis ſunt ſignificationis ac obſcurum, cuinam ſignificationi allatæ definitiones ſint tribuendæ. Hujus vitii autem poſtulanda eſt definitio *non tunc ſolùm, quando æquivocatio eſt aperta & omnibus nota, ſed imprimis, quando paucis nota eſt, aut quando tecta eſt & latet, ut non facile à quovis animadverti queat*; tum enim reprehendi poteſt definitio, quaſi non competat omnibus iis, quæ ſub definito comprehenduntur: imò etiam, ſi fieri poteſt, diſtinguendum eſt definitum, & oſtendendum, definitionem nulli ejusdem ſignificationi convenire, ſic enim minimè definitionem allatam rectè expoſitam eſſe, evictum erit.

2. *à metaphorâ vel translatione*. Si data definitio *conſtat vocabulo metaphorico aut per translationem ſumpto, benè expoſita non eſt*, obſcurum enim eſt, quicquid per translationem dicitur, translatio quoqve & metaphora non ipſam rem ſed ſimilitudinem rei tantùm explicat; v. c. ſit definitio, temperantiam eſſe harmoniam vel concentum appetitus in homine circa guſtum & tactum, refutatur, quia concentus dicitur de temperantiâ per metaphoram, atqve ita non explicat, quid ſit temperantia, ſed cui ſimilis ſit, quod alienum eſt à verâ definitione: reprehendi quoqve data definitio poteſt, quod planè non conveniat definito, quia propriè non convenit, harmonia

enim

enim & concentus non nisi in sonis datur, temperantia autem non sonus sed virtus est, imò si harmonia genus esset temperantiæ, sub duobus & quidem non subalternis temperantia contineretur generibus, quod fieri non posse, ex *lib. IV. Dial. loco 7. & 32.* constat. Hinc neqve hæ definitiones rectè sunt expositæ, terra est nutrix eorum, quæ super eâ vivunt, mare est sudor terræ, vinum est sangvis uvarum, scientia est sanitas mentis &c. quippe adversus quas eædem urgeri possunt rationes, quas adversus definitionem temperantiæ paulò ante datam urgeri posse, dictum est.

3. *à vocum usu.* Si data definitio *constat vocabulis inconsvetis aut inusitatis*, obscurè ac proinde minus rectè exposita est, cum ex ignotis ac inusitatis nominibus innotescere ratio & essentia definiti non possit; v. c. sit definitio, oculum, ut Plato dixit, esse ὀφρύσκιον vel ciliumbrium, vel cilii umbram, inepta & ignota sunt vocabula, quibus essentia oculi intelligi vel disci nullo modo potest: quamobrem neqve hæ definitiones rectè sunt expositæ, sol est accensum intelligens ex aquis marinis, quæ Stoicorum definitio teste *Clemente Alexandrino lib. 8. Stromat. p. 770.* fuit, cochlea est terrigena, herbigrada, domiporta, sangvine cassa, quæ apud *Cicer. lib. 2.* de divinat. ante fin. exstat, & aliæ hujusmodi definitiones plures, quæ passim, *præsertim apud Chymicos* reperiuntur.

4. *à catachresi.* Si definitio *nimis longè peti-*

petitâ catachresi constat, obscura est & minus rectè exposita, imò obscurior ac deterior est, quàm si vocabulis æquivocis aut metaphoricis constet, hæc quippe propter similitudinem, quàm significant, utut non simpliciter & omninò, quadantenus tamen rem illustrare videntur, at verò longè petita catachresis nullo modo illustrat neqve quicquam similitudinis comprehendit; v.c. sit definitio, lex est simulachrum vel imago eorum, quæ naturâ justa sunt, refutatur, quia exposita est per vocabula æquivocis & metaphoricis obscuriora, cum nulla prorsus similitudo inter legem & simulachrum sit, neqve illa ullo pacto per hoc explicari possit: quo vitio hæ quoqve definitiones laborant, ars est systema præceptorum, Philosophia est congeries disciplinarum &c.

5. *à definitione contrarii.* Si *definitum contrarium habet, ejus autem talis adfertur definitio, ex quâ definitio istius contrarii non statim percipi possit*, ea obscura est & vitiosa, oportet enim definito uno contrariorum statim intelligi alterius quoqve contrarii definitionem, ut inductione definitionum paris, albedinis, virtutis &c. patet; v.c. sit definitio, visu præditus est, qui res præsentes adspiciendo intuetur, ex quâ definitione non potest intelligi definitio cœci vel quid sit cœcus, non rectè enim hic definitur, qui res præsentes adspiciendo non intuetur, præterquam enim quod hæc definitio rationem cœcitatis planè non attingit, etiam videnti vel illi, qui potentiam videndi habet,

habet, competit, cum & videns ſæpè res præſentes non intueatur, quando nempe vel dormit vel aliis rebus intentus eſt, ergò poſita definitio obſcura & minus rectè expoſita eſt: quales etiam hæ ſunt, felicitas eſt affluentia divitiarum, eruditio eſt cognitio mathematicarum diſciplinarum &c. ex his enim veræ miſeriæ & ruditatis definitiones addiſci & intelligi non posſunt.

6. *à definiti ignoratione.* Si talis ponitur *definitio, quæ per ſe & ſola, ſine definito, prolata non ſtatim patefacit, cujusnam rei ſit definitio, etiamſi res iſta & definitum ſubticeatur*, ea obſcura eſt & vitioſa; oportet enim omnem veram definitionem adeò evidentem & perſpicuam eſſe, ut etiamſi non addatur, cujus rei ea ſit, vel quodnam ſit definitum, intelligi tamen id ab iis, qui mediocriter in literis & ſtudiis verſati ſunt, facilè poſſit: id enim ſi definitio non præſtat, æqve inepta erit ac olim rudiorum pictorum opera, quæ quarum rerum picturæ esſent, intelligi non poterat, niſi nomen rei depictæ ſuper ſcriptum eſſet, hanc ſcilicet imaginem eſſe equi, illam bovis &c. Sit itaqve definitio hæc absqve definito prolata, quæ *ex Pacuviano Amphione ap. Cicer. lib. 2. divinat. ante fin.* exſtat, quadrupes, tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera, capite brevi, cervice angvinà, adſpectu truci, eviſcerata, inanima, cum animali ſono; quis quæſo etiamſi doctisſimus fuerit, vel divinando asſequi poterit, cujusnam rei & definiti hæc ſit definitio, ſi nomen iſtius rei aut definiti

finiti reticeatur? & quis unquam teſtudinis eam definitionem eſſe putabit, niſi expreſsè nomen teſtudinis ante ipſam ſcribatur, ſicuti in rudibus illis quorundam pictorum imaginibus nomen depictæ rei ſcribi oportebat: unde obſcurè & ineptè hæc teſtudinis definitio expoſita eſt. Nec meliores ſunt hæ definitiones, ens eſt, cui non repugnat exiſtere, urina eſt humor ſalſus à ſangvine ſecretus, ſulphur eſt corpus ex combinatione atomorum & luminis ortum, mercurius eſt corpus ex combinatione atomorum & ſpiritus ortum &c. quis enim primam Entis definitionem eſſe divinabit, potius namqve videtur eſſe poſſibilis, quod ita definitur *lib. 9. Metaph. c. 3.* aut contingentis, quod cum poſſibili coincidit, *lib. 1. Prior. c. 3. & 13.* aut quisnam reliquas definitiones urinæ, ſulphuris ac Mercurii eſſe animadvertet, ſi nomina iſta definitionibus adimantur? Atqve *hi ſunt loci, ex quibus definitio aliqua propter obſcuritatem ſuam reprehendi*, vel ex quibus, definitionem obſcurè expoſitam eſſe, evinci poteſt; *nunc verò ii ſeqvuntur loci,* ex quibus, *abundare aliquid in definitione*, vel definitionem aliquam futili abundantiâ laborare atqve ita hac de causâ malè expoſitam eſſe, probare licet.

7. *à verbo tranſcendente vel communi.* Si in definitione ponitur *tranſcendens, quod ſimpliciter commune eſt ac omnibus in univerſum rebus ineſt, vel aliud quoddam in hoc vel illo genere commune vocabulum, ſuperfluum ac redundans quid*

quid in definitione poſitum ac ipſa definitio malè expoſita eſt; quicquid enim in definitione ponitur, debet rem definitam diſtingvere, vel ab iis, quæ ſunt extra genus, vel ab iis, quæ ſunt in ipſo illo genere, in quo eſt definitum, v. c. in definitione hominis, quod ſit animal pedeſtre bipes, ipſum genus, nempe animal diſtinguit hominem ab iis, quæ ſunt extra hoc genus, ſeu quæ non ſunt animalia, pedeſtre verò & bipes diſtinguunt eum ab iis, quæ ſunt in eodem cum homine genere, nempe à piſcibus, qui animalia quidem ſunt, at non pedeſtria, ut & ab equo, leone, mulo &c. quæ iterum animalia quidem ſunt, at non duos ſed quatuor pedes habent: ſed verò quæ ſimpliciter & omnibus communia aut tranſcendentia ſunt, à nullâ prorſus re diſtingvere definitum posſunt, quæ verò in hoc vel illo genere communia ſunt, à nullâ re, quæ ſimul in eo genere continetur, definitum diſcernere valent, ac proinde in definitione inutiliter redundant. Malè itaqve expoſita eſt definitio hominis, quâ dicitur eſſe Ens pedeſtre bipes, ens enim tranſcendens eſt, quod à nullâ aliâ re ſeparare hominem poteſt; neqve benè ſe habet definitio animalis, quâ dicitur eſſe una conſtitutio corporis & animi, unam formam pariens, quæ apud *Platon. in Epinomide* exſtat, iterum enim unum tranſcendens eſt & vocabulum omnibus rebus commune: neqve bona eſt definitio temperantiæ, quâ dicitur eſſe virtus moralis, medium obſervans, & circa guſtum & tactum occupata, utut

enim hîc nullum transcendens vel vocabulum omnibus simpliciter rebus commune contineatur, tamen malè exposita est definitio ideò, quia loco differentiæ afferuntur talia, quæ toti illi generi, ad quod definitum spectat, communia sunt, atqve ita definitum à nullâ re in isto genere discernere possunt, quod tamen differentiæ in definitione facere debent, v. c. esse morale, observare medium &c. non temperantiæ solùm, sed omni virtuti inest, atqve ita per has differentias temperantia à nullâ aliâ virtute distingvitur, sed supervacaneæ eæ sunt ac inutiliter abundant.

8. *à detractione partis definitionis.* Si aliquid in definitione ponitur, *quo ablato & detracto, etiamsi fortè proprium sit definito, posita definitio nihilominus de definito verè ac reciprocè dicitur, ejusq; essentiam declarat,* illud supervacaneum est ac frustra redundat, totamqve definitionem, quippe in quâ frustrà aliquid poni vel redundare non debet, vitiosam reddit; v. c. sit definitio, homo est animal pedestre bipes, mortale & disciplinæ capax, vitiosè exposita est, quia mortale & disciplinæ capax, quamvis verè & propriè conveniat, frustra tamen addditum est, cum etiam detractâ hac parte, reliqua oratio naturam hominis satis & rectè declaret: unde peccat quoqve definitio elementi, quâ dicitur esse corpus, ex quo tanquam primo & simplicissimo aliquid originem ducit, superfluum enim est vocabulum, simplicissimum, quia omne quod primum est, simplicissimum

ſimum etiam eſt, unde etiam detractâ hac voce & parte, reliqua oratio ſufficit ad naturam & esſentiam elementi deſcribendam.

9. *à parte definitionis non omnibus ſub definito contentis competente.* Quando aliquid in definitione ponitur, *quod non omnibus, quæ ſub definito comprehenduntur, convenit,* iſtud ſuperfluum eſt ac redundans, ipſaqve definitio non rectè expoſita, fruſtrà enim in definitione ponitur, quod non omnibus ſub definito contentis competit, adeò ut hoc definitionis vitium majus ſit, quàm ſi in eâ verbum aliquod commune ponatur, non obſtante enim verbo communi reciprocari tamen adhuc cum ſuo definito definitio poteſt, at verò ſi pars definitionis non competit omnibus iis, quæ ſub definito ſunt, omnis ſtatim reciprocatio perit; v.c. vitioſa & malè expoſita eſt definitio hominis, quod ſit animal pedeſtre bipes, quatuor cubitorum, poſtremum enim hoc non omnibus hominibus competit ac propterea fruſtra ponitur & inutiliter abundat: neqve benè expoſita eſt definitio artis, quâ dicitur eſſe habitus cum rectâ ratione effectivus operis cujusdam materiati & ſub adſpectum cadentis, producere enim opus materiatum & ſub adſpectum cadens non omnibus artibus ineſt, ac propterea ſuperfluum hîc eſt & in definitione fruſtrà allatum.

10. *à tavtologiâ.* (1.) Si idem *vel actu & evidenter vel poteſtate & tectè in oratione vel definitione bis dicitur, aut definito bis attribuitur,*

ſuperfluum quid ac redundans continet definitio ac proindè malè expoſita eſt; v.c. ſit definitio, Pantheram eſſe animal inter velocia animalia velociſſimum, reprehenditur, quia duplex in eâ actu & evidenter continetur tavtologia, bis enim in eâ ponitur animal & bis ponitur velox, atq; eapropter ineptâ abundantiâ definitio hæc laborat: neq; multò melior eſt definitio hominis, quâ dicitur eſſe animal terreſtre bipes ſentiens, ſentiens enim jam includitur in animali, quia animal per ſenſum definitur, atqve ita hæc definitio τὸ ſentire bis attribuit definito, nempe homini, ſemel actu & expreſsè, ſemel tectè & poteſtate per vocem animal: ex quo loco reprehendi etiam poteſt definitio juſtitiæ, quod ſit conſtans & perpetua voluntas ſuum cuiq; tribuendi, conſtantem enim eſſe voluntatem aut perpetuam, idem plane ſignificat aut ſaltem alterum ab altero includitur, & propterea altera vox inutiliter redundat. *Sed dicis, in omni definitione, quæcunq; etiam illa ſit, idem bis dici, ſi non expreſsè & actu, ſaltem tectè & poteſtate*, v.c. ſit definitio, cupiditas eſt appetitio jucundi, cum idem ſit definitio & definitum, inde cupiditas, quæ definitum eſt, jucundum in ſeſe jam includet, quia omnis cupiditas jucundi eſt, nulla verò moleſti & adverſi, uti ipſa quoqve poſita definitio ſignificat, ac proinde unum idemqve vocabulum, nempe jucundum, in hac definitione bis dicitur, primò quidem actu & evidenter, deinde verò tectè & poteſtate in ipſo definito, nempe cupiditate, quæ jucun-

cundum in ſe jam comprehendit. *Reſpondet Ariſtoteles, non eſſe commisſam tavtologiam, ſi tali modo idem bis dicatur*, oportet enim non alia in ipsâ definitione poni, quàm quæ definito conveniunt ejusqve esſentiâ comprehenduntur, ſecus enim quid res ſit, explicare definitio non posſet, ſi ex talibus conſtaret, quæ definito non conveniunt aut ejus ſubſtantiâ non continentur, unde ideò homo animal pedeſtre bipes eſſe definitur, quia omnia hæc illi conveniunt, ejusqve ſubſtantiâ comprehenduntur; verùm *ita committitur tavtologia, quando unum idemq; bis attribuitur definito vel bis de eo prædicatur in definitione*, quæ contradiſtingvitur ipſi definito, aut *quando partes definitionis, prout hæc definito contradiſtinguitur, unum idemq; vocabulum bis vel actu vel poteſtate comprehendunt*, uti accidit in definitione prudentiæ, quam Xenocrates dicit eſſe definitricem & contemplatricem eorum, quæ ſunt, in quâ definitione, etiam ſeorſim à definito conſideratâ, idem bis continetur, cum definitrix jam contineatur ſub contemplatrice, non aliter ut homo ſub animali, & eapropter contemplatricem eſſe bis de prudentia prædicetur, ſemel actu & expreſse, ſemel verò tectè & poteſtate ſub voce definitricis, quod certè in definitione cupiditatis factum non eſt, utut enim definitum, nempe cupiditas, in ſe jucundum includat, in ipsâ tamen definitione jucundum de cupiditate non bis ſed ſemel tantùm prædicatur, quemadmodum bipes, utut definiti nempe homi-

nis esſentiâ includatur, in definitione tamen hominis ſemel tantùm ponitur & nullatenus bis de ipſo prædicatur; nulla itaqve hîc commiſſa eſt tavtologia, quia unum idemqve vocabulum non in ſolâ definitione, ſeparatim à definito ſumptâ, bis ponitur aut definito bis attribuitur, ſed tunc ſolum iteratur aut repetitur, quando definitum & definitio conjunctim & non prout contradiſtingvuntur, accipiuntur, id quod in ipſam definitionem per ſe conſideratam nullam tavtologiam infert, ſed omni bonæ definitioni commune eſt, ut inductione patet. At *excipis porrò*, adhuc dum in omni definitione idem bis aut ter dici; *quamlibet enim ex differentiis in definitione poſitis, in ſe comprehendere genus*, v. c. in definitione hominis, quâ dicitur eſſe animal pedeſtre, bipes, & pedeſtre includere animal & bipes, quod namqve pedeſtre eſt, id animal eſt, & quod bipes eſt, id animal eſt; quamobrem in omni definitione tavtologia committi videtur. *Reſponderi verò poteſt facilè, ſcilicet genus non includi in differentiis*, quemadmodum v.c. in primâ hujus loci parte ſentiens includitur in animali, quod ita de animali prædicatur, ut ſuam quoqve ipſi communicet definitionem, aut quemadmodum in ſecundâ hujus loci parte homo includitur in animali, qui ita ſub animali eſt, ut ejus quoqve recipiat definitionem; genus enim de differentiis non dicitur, nec iisdem ſuam communicat definitionem, neqve differentiæ de genere prædicantur aut

aut ſuam generibus communicant definitionem, vide *locum inferiorem 16. parte 7. & 8.* ac proinde nec genus includit aut in ſuâ ſignificatione continet differentias, nec differentiæ genus, neqve per additionem differentiarum genus repetitur, quippe quod in differentiis earumqve ſignificatione non continetur. (2.) Si idem illud, *quod antea generi incluſum & univerſaliter dictum erat, poſteà additur in ſpecie atq; ita inutiliter repetitur*, ſuperfluum quid eſt in definitione ac ea minus rectè expoſita; v. c. ſit definitio, medicina eſt ars ſalubrium, quæ talia ſunt animali & homini, reprehenditur, quia hîc iterum in ſolâ definitione ſine definito conſideratâ, idem inutiliter ac futiliter repetitur, dum homo, cum jam includeretur in animali, quippe cujus definitionem participat, fruſtra ac abundanter additur: ex quo capite reprehendi etiam poteſt definitio jurisprudentiæ, quâ dicitur eſſe honeſti & juſti ſcientia, juſtum enim abundat & in honeſto jam continetur. Atqve *hi ſunt loci, ex quibus, abundantiâ ac futilitate definitionem laborare*, evinci poteſt; quo ipſo ſatis quoqve dictum eſt *de locis definitionis prioris generis*, ex quibus, an benè expoſita ſit definitio, vel an verbis ad definiendum aptis, modoq; debito & competente prolata ſit, examinari ſolet: nunc *poſterioris generis indagandi erunt loci*, quæ orationem aliquam omnino ac ſimpliciter definitionem eſſe vel non eſſe, aut quid eſt atqve esſentiam rei explicare vel non explicare, evincunt.

II. *à prioribus & notioribus.* Notiora autem & priora non ſunt uniusmodi, verùm alia *naturâ talia*, alia *nobis talia* dicuntur, ex quibus *natura priora*, ut reliquas ſignificationes *Lib. V. Dial. loc. 6.* traditas, tanquam alienas à præſente inſtituto prætereamus, *hoc loco ea vocantur*, quæ non reciprocantur ſecundum exiſtendi conſequentiam, ſeu, quæ poſita non ponunt alterum, ſublata tamen alterum quoqve tollunt, quomodo animal naturâ prius eſt homine & virtus fortitudine, quia poſito animali aut virtute, non ſtatim ponitur homo aut fortitudo, poteſt enim aliud animal, nempe leo, canis &c. aut alia virtus, nempe, juſtitia, temperantia &c. eſſe, negato autem & ablato animali aut virtute, homo quoqve aut fortitudo aufertur vel negatur, *lib. Categ. cap. 12. naturâ notius verò appellatur*, quod intelligi & cognoſci poteſt, etiamſi alterum non intelligatur, cum hoc alterum intelligi non poſſit, niſi & illud prius intellectum fuerit, ſicuti animal optimè cognoſci & intelligi poteſt, etiamſi, quid homo ſit, non intelligatur, cum è contrario homo, niſi prius cognoſcatur, quid ſit animal, intelligi non poſſit: quâ ratione omne id, quod eſt prius naturâ, eſt etiam notius naturâ, & contra, quicquid eſt notius naturâ, id etiam prius naturâ dici oportet. *Notiora verò & priora nobis talia, ea ſunt*, quæ utut ſecundum naturam poſteriora & ignotiora ſint, à nobis tamen prius & facilius cognoſcuntur, quia ſenſibus noſtris, à quibus omnis noſtra cognitio incipit, *l. 1.*

Post. Anal. c.18. & alibi passim, priora & notiora sunt; quomodo singularia nobis priora & notiora sunt, quia sensibus nostris sunt propiora, quorum eapropter vulgus quoqve cognitionem quandam habet, cum è contrario ea, quæ suâ naturâ priora & notiora sunt, nempe universalia, quia à sensibus remotiora sunt, aut planè non aut posterius ab ipso cognoscantur. *lib. 1. Post. Anal. c.2. l.7. Metaph. c. 4.* Accidit tamen interdum, *ut una eademq; res ac propositio simul & naturâ prior ac notior & nobis quoq; talis existat;* non quidem *nobis omnibus, sed iis solùm, qui animo & ratione benè constitutâ præditi sunt*, vel qui docti sunt & animum in scientiis rerum exercitatum habent; quod enim his prius & notius est, id simpliciter quoqve vel naturâ notius & prius esse putandum est: non aliter, ut salubre naturâ & simpliciter esse dicitur, quod tale est illis, quorum corpus benè affectum est, & bonum naturâ ac simpliciter appellatur, quod bonum est iis, qui animum rectè affectum ac virtutibus ethicis imbutum gerunt. Sicuti autem *non omnibus* eadem sunt priora & notiora naturâ ac nobis talia, ita *neq; in omnibus hæc eadem sunt aut coincidunt, sed in aliquibus tantummodò axiomatibus & principiis syllogisticis*, qualia sunt v.c. totum est majus qualibet suâ parte, ab æqualibus si æqualia auferas, quæ remanent, sunt æqualia &c. in quibus & similibus propositionibus tanta *naturâ* inest evidentia, ut neminem etiam *ex nobis* latere possint, sed simul ac termini ea-
 rum

rum innotuerint, assensum obtineant: in aliis verò notiora nobis & naturâ talia distingui & non coincidere, ex ante positâ eorum definitione patet. Cùm itaqve *adfertur definitio aliqua, videndum est, an ea ex prioribus & notioribus naturâ talibus constet*, si enim ex his constat, benè sese habebit, si verò non constat, vitiosa erit & refutata; oportere enim veram definitionem non ex aliis quam naturâ prioribus & notioribus constare, vel inde patet, quia cognitionis gratiâ definitio traditur, sive eo fine, ut essentia definiti ex eâ intelligatur, essentia autem rei propriè & verè, nisi ex naturâ prioribus & notioribus, intelligi non potest, cum non intelligatur, nisi ex genere & differentiis, *lib.1.Top.c.8.lib.7.Metaph.c.12.* quæ definitâ specie priora & notiora naturâ esse, ex definitione priorum ante datâ constat: unde quemadmodum demonstratio propriè dicta, quæ & ipsa cognitionis gratiâ adfertur, ex naturâ prioribus & notioribus progreditur, *lib.1.Post.Anal.c.2.* ita definitionem quoqve eadem de causâ non ex aliis quam his componi oportet. Si verò propriè dicta definitio ex posterioribus & ignotioribus naturâ vel ex iis, quæ sunt priora & notiora nobis tantùm, confici etiam posset, inde cum hæc non uniusmodi sint, sed pro varietate hominum varient & ipsa, ut hoc huic, aliud aliis prius & notius existat, sequeretur, unius ejusdemqve rei, etiam eatenus, quatenus una ac eadem est, plures easqve diversas esse posse definitiones; v. c. hominem aut vir-

virtutem huic quidem definiendam esse ex iis, quæ huic sunt notiora, alteri ex aliis, iis nempe, quæ ipsi talia sunt, & sic deinceps: cum tamen unius rei, quatenus una est, uti unica tantum essentia est, ita unica quoqve tantum sit vera & propriè dicta definitio, ut per inductionem certum est, quæ eapropter ex aliis, quàm naturâ prioribus & notioribus construi non potest. *Non tamen semper hunc verum & propriè dictum definiendi modum, quo posteriora naturâ ex prioribus naturâ talibus declarantur, assequi licet, sed facimus aliquando, quod possumus,* & cum res definienda interdum in genere suo naturâ omnium prima sit, neqve priora aliqua agnoscat, definimus eandem ex posterioribus naturâ, quæ nobis priora & notiora existunt, v.c. punctum declaramus per posterius naturâ, nempe per lineam, quando illud definimus esse extremum vel terminum lineæ, quæ puncto naturâ posterior, nobis tamen prior & notior est, est enim punctum in genere quantitatis naturâ primum & simplicissimum, quod aliqua naturâ sese priora non admittit: unde nec unitas, nec Deus, nec alia talia aliter quàm ex prioribus & notioribus nobis definiri poterunt, cum priora & notiora naturâ vel simpliciter vel in certo aliquo genere, in quo definienda sunt, non agnoscant. Id verò observandum hîc est, *tales per priora & notiora nobis constructas definitiones, nisi fortè hæc nobis priora & notiora coincidant cum prioribus & notioribus naturâ talibus, non esse veras definitiones, sed*

ὑπογραφὰς *solum sive descriptiones aut qualescunq; adumbrationes*, quæ neutiquam ipsam definitæ rei essentiam significant aut declarant; vera enim definitio per genus & differentias definit, quæ certè sunt naturâ priora & notiora, non tantùm nobis talia; si vero notiora nobis veram constituerent definitionem aut ipsam definiti essentiam significarent, unius ejusdemq; rei, etiam quatenus una est, variæ forent definitiones, cum hoc huic, aliud alteri sit notius, ut omnia hæc ex antecedentibus jam patent: imò & istud accideret, ut una eademqve res, uni eidemqve homini, diversis temporibus, diversis sit definienda definitionibus, quia hoc tempore hoc ipsi notius est, alio tempore aliud, prius enim cum discere aliquis incipit, notiora ipsi sunt ea, quæ sub sensus cadunt, ubi autem aliquandiu jam didicit & judicium accrevit, universalia ipsi notiora esse incipiunt, atqve ita modò ex his modò ex illis definiri eandem rem oporteret, quod cum veræ definitioni, quippe quæ non ex opinione hominum sed ipsius rei naturâ mensuranda est, repugnet, patet, eam quæ ex notioribus nobis construitur, non esse veram definitionem, sed omnem propriè dictam definitionem ex prioribus & notioribus naturâ constare debere. Quod itaqve *notiora* concernit, ea certè definitio, *quæ nec ex notioribus nobis, nec ex notioribus naturâ* constat, maximè omnium reprehendenda & nullius usus est, neq; primæ neq; secundæ mensuræ definitio appellari meretur; v.c. sint hæ definitiones, vitium est, quod non
rectè

rectè ſe habet, color eſt quoddam fluens, rerum viſui congruens &c. quam *Plato in Menone* habet, eæ peccant, quia ex talibus conſtant, quæ & nobis & naturâ ſint ignotiora quàm ipſæ res definitæ. *An autem definitio ex notioribus naturâ conſtet*, duobus modis examinari poteſt. (1.) *à priori.* Si talis adfertur definitio, *quæ non ex prioribus ſed ex poſterioribus naturâ conſtructa eſt*, ea ex ignotioribus naturâ ac proinde vitioſa erit, neq; ſignificare ſatis esſentiam definiti poterit, quæ enim ſunt poſteriora naturâ, ea quoq; ignotiora naturâ ſunt, ſicuti è contrario, quæ priora ſunt naturâ, notiora quoqve naturâ exiſtunt, quod ex ſuperioribus patet; v. c. ſint definitiones, animal eſt ſubſtantia ad dormiendum & vigilandum apta nata, virtus eſt habitus, qui ſæpiſſimè ab hominibus contemnitur &c. reprehenduntur, quia non conſtant ex notioribus naturâ, conſtant enim ex poſterioribus naturâ, quæ autem poſteriora ſunt, ea ignotiora exiſtunt. (2.) *à fluxu vel motu.* Si quis id *quod conſtans & permanens eſt, definit per id, quod non manet ſed inſtabile eſt ac in fluxu & motu conſiſtit*, is ex ignotioribus naturâ ac per conſequens malè definit, quod enim ſtabile & certum eſt, ſuâ naturâ notius eſt eo, quod mutabile eſt ac incertum; v. c. ſint definitiones, anima eſt agitatio perennis in corpore animalis, Philoſophia eſt acquiſitio ſcientiæ rerum agendarum &c. quæ quia res ſtabiles & permanentes definiunt per eas, quæ ſunt in fluxu & motu, res naturâ notiores per ignotiores male definiunt

ac proinde ex hoc loco refutari possunt. Porrò quod *priora* concernit, *an nempe definitio ex prioribus naturâ sit constructa nec ne?* sequentibus modis examinari potest. (1.) *ab opposito*. Si *unum oppositorum definitur per alterum, definitio ex naturâ prioribus constructa non est*, ac proinde definitum non rectè declarat, opposita enim non priora sed simul naturâ sunt ac propterea una quoqve utriusqve oppositi scientia esse videtur; unde peccant sequentes definitiones Horatii, virtus est vitium fugere & sapientia prima stultitiâ caruisse, aut civis est, qui non est peregrinus, homo liber est, qui nemini servit &c. ab oppositis enim desumptæ sunt omnes ac propterea non ex prioribus naturâ constant. Sunt tamen nonnulla, *quæ aliter quàm per opposita definiri non possunt, nempe relata*, quorum tota essentia cum in respectu ad aliud quoddam consistat, certè intelligi ea sine alio isto vel opposito non possunt & eapropter admittendum in talibus est, ut oppositum per oppositum definiatur, quamvis hoc veram propriè dictæ definitionis indolem non sapiat; v. c. duplum non potest aliter definiri quàm per dimidium, cujus respectu duplum vocatur, nec pater nisi per filium, nec dominus nisi per servum &c. definiri aut significari potest. (2.) *ab eodem*. Si *idem definitur per idem vel si in definitione ponitur ipsum definitum aut aliquid, quod idem valet ac definitum, tum iterum definitio ex prioribus naturâ non constat*, sed vitiosa est, cum idem se ipso naturâ prius esse

non

non possit; quamobrem peccant sequentes definitiones, creatio est actio perfecta creatoris Dei, quâ creabile ex non esse ducit ad esse, notitiæ insitæ sunt habitus insiti à primâ infantiâ &c. in his enim talia ponuntur, quæ idem sunt cum definito ac eapropter ipso naturâ priora dici non possunt. Aliquando verò *latet hoc vitium in definitionibus*, neqve facilè intelligitur idem per idem definitum esse, quando scilicet aliquis non eodem utitur nomine, quo definitum dicitur, sed alio quodam, quod aliud quid significare videtur quàm definitum, cum tamen aliud quid non declaret; v. c. sit definitio, Sol est astrum de die lucens, in hac idem per idem seu solem per solem & neutiquam ex naturâ prioribus definitum esse, obscurum est & latet, ac proinde *ut id evidens fiat, pro nomine diei assumatur definitio diei*, quam certè sol ingreditur, cum dies sit motus solis supra horizontem, quo ipso apertum est, solem in ipsâ solis definitione sub vocabulo & nomine diei positum atqve ita solem per solem ac idem per idem definitum esse. (3.) *à contradistincto*. Quæcunqve definitio *unum divisionis vel distinctionis membrum aut unum contradistinctum declarat per alterum, ea vitiosa est & ex naturâ prioribus non constat*, quæ enim in divisione sibi mutuô tanquam contradistincta respondent, naturâ nec priora nec posteriora, sed simul sunt, ut inductione patet; v. c. peccat definitio imparis, quâ dicitur esse numerus, qui parem unitate superat, par enim & impar simul naturâ

sunt

ſunt & differentiæ ſub numero æqualiter conſtitutæ. (4.) *ab inferiori.* Si id, *quod univerſalius & ſuperius eſt, definitur per inferius & minus univerſale,* peccatur, neqve definitio ex naturâ prioribus conſtat, ſed ex poſterioribus, cum ea, quæ inferiora & minus univerſalia ſunt, naturâ poſteriora ſint iis, quæ ſuperiora & magis univerſalia ſunt, ut inductione certum eſt; ſed & idem tali modo definitur per idem, quia minus univerſale vel inferius in definitione poſitum, magis univerſale vel definitum in ſe jam includit, atqve ita quodammodo cum definito idem eſt ac per conſequens naturâ prius ipſo non eſt, cum idem ſe ipſo prius eſſe non poſſit. V. c. ſint definitiones, numerus par eſt, qui in duas partes ac unitates dividitur, bonum eſt habitus virtutis, &c. refutantur, illa quidem, quia dividi in duas unitates eſt minus univerſale, quàm eſſe numerum parem, ſolus enim binarius in duas unitates dividitur, præter quem multi alii adhuc pares numeri ſunt, dividi itaqve in duas unitates tanquam inferius continetur ſub definito, nempe pari, tanquam ſuperiori & univerſaliori, & eapropter definitio non ex prioribus ſed poſterioribus naturâ conſtat: quod & de poſteriori definitione dicendum eſt, cum iterum habitus virtutis minus univerſalis ſit, quàm bonum, quod ſuperius eſt & ad longè plura extendi poteſt. Sufficiant hæc de loco à prioribus & notioribus.

12. *à generis omisſione.* Si in *definitione rei, quæ genus habet, genus non ponitur,* vitioſa eſt defini-

definitio, quia non in quid eſt prædicabitur de definito, aut non explicabit, quid ſit definitum, genus enim in quid prædicatur, differentiæ autem in quale quid, ut ex definitione generis & differentiæ conſtat; v. c. ſit definitio, corpus eſt, quod habet tres dimenſiones, hiſtoria eſt res geſta &c. refutatur utraqve, quia omisſum eſt genus, nempe in illâ, magnitudo, eſt enim corpus magnitudo tres dimenſiones habens, in hac verò expoſitio, eſt enim hiſtoria expoſitio rei geſtæ. Aliquando tamen *fieri poteſt & ſolet, ut genus omittatur, ſi ſcilicet iſtud omnibus notum ac evidens ſit* & facilè à quovis addi poſſit; quomodo v. c. amicum definientes, non ſolemus addere, quod ſit perſona, quia id evidens planè eſt & à quovis intelligitur, etiamſi in definitione amici additum non ſit.

13. *ab omisſione partis aut facultatis ac operationis, aut alius cujusdam, ad quod definitum refertur.* Si definitio *non complectitur omnia ea, quæ comprehendit aut ad quæ reſpicit vel refertur definitum*, peccat, neqve perfectè ac plenè, quid res ſit, ſignificat; v. c. ſit definitio, grammatica eſt ars ſcribendi, refutatur, non enim ſcribendi tantùm, ſed legendi quoqve ars eſt: unde neqve rectè definitur ſanitas, quod ſit ſymmetria partium ſimilarium, non enim in his ſolùm ſed & in diſſimilaribus partibus ſanitas conſiſtit, atqve ita omnes hujusmodi partiales definitiones ſeſe habent, quæ ſi admitterentur, plures unius rei eſſent definitiones, una ab hac ejus parte vel operatione,

alia ab aliâ desumpta, quod tamen fieri non posse, ex superioribus jam patet. *Non tamen in omnibus præsens locus obtinet*, sed sunt quædam, *quæ per se & æqualiter se ad plura habent*, ut grammatica æquè & ad scribendum & ad legendum comparata est, dialectica æqve ad hanc & oppositam contradictionis partem concludendam affecta est, &c. *alia verò æqualiter ad plura non referuntur, sed ad unum se habent per se, ad alterum per accidens*, ut medicina per se comparata est ad sanandum, ad occidendum per accidens, ædificatoria ad exstruendum per se, ad destruendum per accidens &c: inde in illis prioribus quidem omnia ea, ad quæ definitum refertur, recenseri oportet, *ut verò id fiat in posterioribus, necesse non est*, imò peccatur, quando hoc fit, quia accidentia in definitione poni non debent, sed ea, quæ ad essentiam declarandam apta nata sunt. *Conf. infr. loc. 17.*

14. *à relatione ad deterius.* Si definitum *plura spectat, quorum alterum præstantius est, alterum autem deterius, definitio verò istud per deterius declarat, vitiosa est* & refutari potest, cum omnis facultas aut scientia melioris existat; v. c. sit definitio, Rhetorica est ars vituperandi & accusandi, refutatur, potius enim dicenda erat ars laudandi & defendendi, quia hæc sunt præstantiora illis: neqve rectè definitur dialectica, facultas nectendi sophismata, potius enim dicenda est facultas nectendi syllogismos veros & bonos, aut facul-

tas

tas solvendi sophismata, hoc enim iterum illo priori melius existit.

15. *à genere vero & proximo.* (1.) Si in definitione *ponitur quidem aliquid loco generis, istud verò proprium & accommodatum genus non est*, tota definitio vitiosa erit; v. c. definitio materiæ apud Platonem, quod sit locus & sedes formarum, refutatur, quia locus vel sedes verum materiæ genus non est, neqve rectè felicitas definitur esse habitus virtutis cum abundantiâ bonorum, iterum enim verum genus positum non est: an autem genus aliquod verum & accommodatum sit necne? id ex *Lib. IV. Topicorum & locis ibi traditis* examinari potest. (2.) Si in definitione *ponitur aliquid loco generis, quod verum quidem genus est, non verò est proximum, sed superius ac remotum*, tum allata definitio bona non est, quia deest ipsi id, quod quid res sit, quàm maximè significat ac declarat; v. c. sit definitio, justitia est habitus distribuendæ æqualitatis, refutatur, quia quod loco generis ponitur, remotum solùm genus est, non proximum, quod est virtus, quæ magis significat & declarat, quid sit justitia, quàm habitus, qui à justitiâ longius abest, neqve benè definitur homo, quod sit corpus rationale, remotum enim genus est corpus, quod adeò expressè, quid homo sit, non declarat, quàm animal, quod proximum ejus genus est: unde ut definitio rectè se habeat, aut genus proximum ponendum est, hoc enim superiora omnia jam includit, ut inductione patet,

aut *si remotum adfertur genus*, omnia succedentia & intermedia genera usqve ad genus proximum, addenda & enumeranda erunt, ita demum enim nihil omittetur eorum, quæ ad significandum, quid res sit, requiruntur, quamvis fortè *hic posterior modus idem sæpè repetat*, & eapropter *ex superiori loco 10.* refutari aut vitii cujusdam postulari possit.

16. *à differentiis*. Si in definitione *differentiæ sese rectè non habent*, ipsam definitionem vitiosam esse oportebit, quippe quæ ex differentiis constat; ubi tamen notandum est, *duobus modis fieri posse, ut differentiæ in aliquâ definitione se minus rectè habeant, aliquando enim*, quod loco differentiæ adfertur, in se quidem differentia aliqua est, propositæ tamen rei propria & accommodata differentia non est, ut si virtus habitus bipes dicatur, bipes enim utut differentia sit, non tamen virtutis differentia est, sed hominis, *aliquando verò* quod loco differentiæ adfertur, nullius planè rei differentia, sed vel genus vel species vel aliud tale est, ut animal, substantia &c. quæ prorsus differentiæ non sunt: inde an in propositâ aliquâ definitione allatæ differentiæ veræ differentiæ sint nec ne? aut an definito accommodatæ sint necne, id ex sequentibus hujus loci partibus investigari potest. (1.) *ab eo quod differentiæ oppositum vel contradistinctum est*; ex quâ hujus loci parte tria erui possunt axiomata. α) *Si proposita differentia non habet contradistinctam differentiam, quâ idem genus divi-*

dividatur, vera differentia allata non eſt, ſed definitio vitioſa, cuivis enim differentiæ ſub eodem genere aliam eſſe oppoſitam inductione patet; v. c. ſint definitiones, animus eſt motus esſentialis, quam habet *Plato in Phædro*, enunciatio eſt oratio humana &c. refutantur, quia differentiæ non rectè ſe habent, aut quia ſub iis generibus, ſub quibus ponuntur nullas oppoſitas habent differentias, quibus eadem genera dividantur, v. c. eſſentiale ſub genere motus non habet oppoſitam differentiam, quia motus in accidentalem & esſentialem tanquam per proprias differentias non dividitur, nec humanum ſub genere orationis contrariam differentiam habet, cum oratio in humanam & non humanam dividi non poſſit, ſed omnis oratio humana exiſtat. β) *Si propoſita differentia aliam quidem contradiſtinctam habet, ea vero de propoſito in definitione genere, id eſt, de aliqua ejus parte aut ſpecie non dicitur, nec ſub vel in eodem genere eſt*, neqve propoſita differentia vera, ſed definitio mala erit; oportet enim omnes differentias in eo genere vel ſub eo eſſe, cujus differentiæ ſunt, aut oportet omnes differentias de eo genere, cujus ſunt, dici & prædicari: quod non aliter intelligendum eſt, quàm *Alexand. Aphrod. in comment.* expoſuit, differentiam nempe de genere verè dici, quia de quadam ejus parte prædicatur. Peccant itaqve ſequentes definitiones, homo eſt animal continuum, metallum eſt minerale vegetativum &c. continuum enim habet quidem oppoſitam differen-

tiam, nempe discretum, at non continetur ea sub posito genere, nempe animali, neqve de ullâ ejus specie aut parte dicitur, quia nullum animal discretum est, ut & vegetativum habet quidem oppositam differentiam, scilicet sensitivum, at rursus hæc differentia sub allato genere, minerali, non continetur, nec de ullâ ejus specie dicitur, cum nullum minerale sentiat: unde neqve ipsæ hæ in his positis definitionibus differentiæ rectè se habent, sed definitiones vitiosas reddunt. γ.) *Si proposita differentia aliam oppositam differentiam, quæ sub eodem etiam sit genere cum ipsâ, habet, opposita autem illa differentia generi addita, nullam certam constituit speciem*, allata & proposita differentia vera non est, sed definitio vitiosa, cum quamlibet veram differentiam, si generi juncta fuerit, speciem constituere oporteat, ut inductione patet; v. c. sit definitio, homo est animal præditum facultate generandi in alio, seu quod idem est, maris appellationem habens, mas enim generat in alio, fœmina in seipsâ, refutatur hæc, quia differentia, nempe generare in alio aut marem esse, habet quidem differentiam oppositam, generare nempe in seipso aut esse fœminam, quæ opposita differentia sub eodem etiam genere cum differentiâ allatâ continetur, vel de eodem genere, animal, dicitur, attamen si cum genere hæc jungatur, diversam speciem non constituit, neqve enim animal mas & animal fœmina specie differunt, *lib. 10. Metaph. c. 9.* ergò opposita illa differentia

vera

vera differentia non eſt ac proinde nec poſita differentia vera, ſed definitio vitioſa erit. (2.) *à negatione.* Cum *differentia adfertur negativa vel privativa*, ea vera differentia non eſt, ſed definitio vitioſa, quia ſi per negativas vel privativas differentias divideretur genus, v. c. longitudo per latitudinem habere & latitudine carere, ipſum genus particeps esſet ſpeciei ac differentiæ, vel ſpeciei ac differentiæ reciperet definitionem; cum enim de qualibet re vera ſit vel affirmatio vel negatio, hinc aut omnis longitudo latitudinem habebit, aut omnis longitudo latitudine carebit, atqve ita genus, nempe longitudo recipiet definitionem aut ejus, quod latitudine conſtat, aut ejus, quod latitudine caret, quorum utrumqve tamen aut ſpecies longitudinis eſt, aut differentia ejus: at verò ut genus recipiat definitionem vel ſpeciei vel differentiæ, fieri non poteſt, cum utraqve genere anguſtior exiſtat. *Alexander autem hanc rationem captioſam eſſe dicit*, neqve abſurdum hoc ex negativâ generis differentia ſequi putat, quia differentia ſeorſim ab alterâ accepta dividit quidem genus, at non dicitur de genere, ſed unà cum genere ſumpta dicitur de ſpecie, v. c. latitudine carere non dicitur de ipsâ longitudine, ſed unà cum longitudine ſumpta dicitur de linea, quæ ſpecies eſt & longitudo latitudine carens eſſe definitur. Sed quicquid ſit de hac ratione, certùm tamen eſt, *differentiam negativam vel privativam ad conſtituendam veram definitionem non eſſe idoneam*, atq; ita nomen

veræ differentiæ non mereri; definitio enim declarare debet rei essentiam vel significare debet quid res sit, negatio autem vel privatio, non essentiam declarat, sed ejus absentiam & defectum, neqve significat, quid res sit, sed quid non sit: cui istud quoqve adde, quod differentias unum genus dividentes oporteat simul naturâ esse, *lib. Categ. c. 13*, negatio autem vel privatio oppositâ suâ differentiâ, nempe affirmatione vel habitu, naturâ posterior est, ut ex modis prioris & posterioris naturâ *lib. V. Dial. loco 6. part. (2.)* explicatis patet. Hinc peccant omnes hæ definitiones, equus est animal irrationale, talpa est animal cœcum, homo est animal alis ac pennis carens &c. omnes enim differentiis constant privativis, quæ veræ differentiæ non sunt, sed ad definiendam rei essentiam ineptæ; aliquando tamen *aliter quam per negativas ac privativas differentias, definitiones informari non possunt*, quando nempe ipsa definita negativa aut privativa sunt, talia enim quæ sunt, cum non mereantur dici propriè entia, sed non entia sint, inde definitionem quoqve eorum non in significatione alicujus esse, sed in declaratione alicujus non esse consistere atqve adeo ex negativis differentiis componi oportebit: quâ ratione cœcus definitur is esse, qui visum non habet, quando habere potest & debet, surdus, qui auditum non habet &c. Tandem dicit Arist. *perinde esse, an aliquis utatur in definiendo differentiâ negativâ, an affirmativâ tali, quæ negativam oppositam habet, utramq; enim*

esse

esse vitiosam ac nomine veræ differentiæ indignam, propter aliquas jam ante positas rationes; unde non hæc tantùm definitio vitiosa est, equus est animal irrationale, sed hæc quoq;, homo est animal rationale, cum enim illa differentia bona non sit, neqve hæc, quæ illi opponitur & cum eâ genus, nempe animal, dividit, bona erit: id quod in aliis quoqve differentiis similiter se habentibus valet. (3.) *à specie.* Si *species adfertur pro differentiâ*, vera differentia allata non est, sed definitio vitiosa, confundi enim speciem & differentiam non posse, ex definitionibus earum patet; v. c. sit definitio, convicium est injuria cum irrisione, refutatur, quia irrisio non differentia injuriæ est, sed species ejus: unde mala quoq; est definitio amoris, quod sit benevolentia mutua, cum amicitiâ conjuncta, amicitia enim iterum non est differentia benevolentiæ, sed species ejus. (4.) *à genere.* Si *genus adfertur pro differentiâ*, vera differentia allata non est, sed definitio vitiosa, cum genus & differentia idem non sint, ut ex definitionibus eorum & *Lib. IV. Dial. loc. 41.* patet; v. c. sit definitio, sonus est aër percussus, refutatur, quia percussio genus soni est, non differentia: unde male simitas definitur esse nasus cavus, cum cavitas non differentia simitatis sit, sed genus ejus. (5.) *à significatione qualitatis.* Si *proposita differentia non significat qualis sit res definita, sed potius quid sit*, differentia proposita vera non est, sed definitio falsa, omnis enim differentia qualitatem significat, tam

generis, quàm rei definitæ, ut ex ejus definitione & *cit. Lib. IV. Dial. loc. 41.* constat; v. c. sit definitio injustitiæ, quæ apud Platonem exstat, quod sit animi nequitia, quæ hominem vitiosum reddit, refutatur, quia vitium, quod hîc malè differentiæ loco ponitur, non significat, qualis sit injustitia, sed quid sit, injustitia enim ipsum quoddam vitium est. (6.) *ab accidente. Si aliquid loco differentiæ adfertur, quod rei accidens est,* allata differentia non est vera, sed definitio propter illam vitiosa, aliud enim esse rei accidens, aliud differentiam ejus, ex definitionibus supra *lib. I. Dial. c. II. §. 7. & 8.* manifestum est; v. c. sit definitio leporis, quæ apud Horatium exstat, quod sit animal pavidissimum, refutatur, quia pavidissimum esse non constituit ejus essentiam atqve ita nec vera differentia est, sed accidens, quod essentiam ejus jam antè constitutam sequitur: unde nec homo rectè definitur per animal beatum, nec logica per habitum, quo tanquam instrumento reliquæ disciplinæ utuntur &c. propter eandem modò dictam causam. (7.) *à prædicatione differentiæ de genere. Si proposita differentia vel species aut aliquid sub specie contentum de genere prædicatur, simpliciter scilicet & universaliter,* vera differentia allata non est, sed definitio vitiosa, latius enim patet genus quàm hæc omnia & propterea nihil horum universaliter ac simpliciter de genere dici potest; v. c. sit definitio, politica est prudentia activa vel ad agendum idonea, refutatur, quia activum esse vera

&

& bona differentia non eſt, univerſaliter enim dicitur de genere, nempe prudentiâ, cum omnis prudentia activa exiſtat: neqve benè urtica definitur eſſe planta vegetativa terræ affixa, vegetativum eſſe enim iterum bona differentia non eſt, ſed univerſaliter de genere, plantâ, dicitur, cum omnis planta vegetativa ſit. (8.) *à prædicatione generis de differentiâ.* Si *de propoſitâ differentiâ genus allatæ definitionis prædicatur*, ea differentia vitioſa ac ipſa definitio nulla eſt, genus enim non de differentiis, ſed de iis, quibus differentiæ tribuuntur, nempe de ſpeciebus & individuis prædicatur ac affirmatur, *abſolutè quidem & non nomine ſolùm ſed definitione quoq; communicatâ*, qualem prædicationem vocabulum κατηγορεῖσθαι, quod hoc loco exſtat, ſignificat, ſi propriè accipiatur: alias verò ſi qualiscunqve intelligatur prædicatio, aliquo etiam modo genera de differentiis dici, quod græcè λέγεσθαι vocatur, negari non poteſt. Propriè autem & in ante deſcriptâ prædicandi ſignificatione, genus de differentiis ideò in definitione aliquâ prædicari non poteſt aut debet, quia nugatio tali modo & tavtologia in definitione committeretur, contineretur enim genus in quavis differentiâ, hujusqve eſſentiâ & definitione, ac proinde, quot ponerentur differentiæ, toties repeteretur in iisdem genus: quod fieri non oportere *ex ſuperiori loco 10.* patet. Hinc peccant ſequentes definitiones, arithmetica eſt ſcientia, quâ utitur ars militaris & philoſophia, *quæ exſtat apud Platon. lib. 7. de*

Re-

Republ. amicitia eſt benevolentia amoris mutui, eqvus eſt animal brutum, &c. genera enim, nempe, ſcientia, benevolentia, & animal, prædicantur de iis, quæ loco differentiarum ipſis addita ſunt, nempe de bruto, de amore & de philoſophiâ, in quid & esſentiâ ac definitione ſuâ ipſis communicatâ: quamobrem differentiæ iſtæ non benè ſeſe habent, ſed ipſas definitiones vitioſas reddunt. (9.) *à prædicatione ſpeciei de differentiâ.* Si *ſpecies definita vel aliquid ſub eâ, de propoſitâ in definitione differentiâ prædicatur*, modo paulò ante deſcripto & univerſaliter, vera differentia allata non eſt, ſed definitio vitioſa, latior enim eſt differentia quàm ſpecies & eapropter ſpecies de differentia univerſaliter dici non poteſt; v. c. ſit definitio, virtus eſt habitus in mediocritate conſtitutus & ut juſtitia ac fortitudo ſe habens, refutatur, quia de juſtitiâ & fortitudine, quæ loco differentiarum poſitæ ſunt, ſpecies definita, nempe virtus, propriè, id eſt, eſſentialiter & univerſaliter prædicatur, cum omnis juſtitia & omnis fortitudo ſit virtus: quare differentiæ hæ verè tales non ſunt, ſed tota definitio propter illas vitioſa erit. (10.) *à priori.* Si *loco differentiæ aliquid ponitur, quod non ſit prius ſpecie definiendâ vel definitâ*, differentia vera non eſt, ſed allata definitio vitioſa, prout enim tota definitio ex prioribus naturâ conſtare debet, quod ex *ſuperiori loco 11. patet*, ita quamlibet quoqve differentiam, genere quidem naturâ poſteriorem, at verò propoſitâ ſpecie priorem naturâ eſſe oportet;

tet; v.c. ſit definitio, homo eſt animal diſciplinæ capax & riſibile, refutatur, quia & diſciplinæ capacem & riſibilem eſſe poſterius quid naturâ eſt homine, atqve ita ejus eſſentiam conſtituere aut declarare non poteſt. (11.) *à genere non ſubalterno.* Si *in definitione ponitur differentia, quæ alterius quoq; generis, quod poſitum in definitione genus neq; contineat, neq; ſub eo contineatur, differentia ſit*, ea poſiti generis vera differentia non erit, ſed ipſa definitio vitioſa erit; duorum enim diverſorum & non ſubalternorum generum diverſas quoqve eſſe oportet differentias, *lib. Categ. c.3.* ſecus ſi una differentia duorum non ſubalternorum poſſet eſſe generum, etiam una eademqve ſpecies ſub duobus & non ſubalternis poſſet eſſe generibus, contra *Lib. IV. Dial. loc. 7.* Hinc mala eſt definitio hominis, quâ definitur eſſe animal rationale, rationale enim eſt differentia alius generis, nempe animæ, quæ in rationalem, ſenſitivam & vegetativam dividitur ac animal neqve ſub ſe continet, neqve ſub eo continetur, ergo rationale animalis differentia non eſt, ſed definitio vitioſa; nec benè dialectica definitur eſſe habitus inſtrumentalis &c. inſtrumentale enim alius generis differentia eſt, nempe efficientis, quod in principale & inſtrumentale dividitur, habitum autem nec ſub ſe comprehendit, nec ſub eo comprehenditur, ergò inſtrumentale habitus differentia non eſt. *Non tamen univerſalis eſt hic locus*, ſed fieri aliquando poteſt, ut una eademqve duorum non ſubalterno-

rum

rum generum ſit differentia, *ſi ſcilicet duo iſta diverſa genera proximè ſub uno communi genere continentur*; v. c. bipes eſt una eademqve differentia, eſt tamen differentia & volucris & pedeſtris, quæ ſunt genera diverſa & non ſubalterna, neqve enim volucre ſub pedeſtri continetur, neqve pedeſtre ſub volucri, & tamen & volucre in bipes ac multipes & pedeſtre ſimili modo dividitur; cujus rei cauſa eſt, quia volucre & pedeſtre ſub uno proximo communi genere, nempe ſub animali comprehenduntur, inde fit ut eorum, quamvis ſubalterna non ſint, una tamen eademqve differentia eſſe poſſit. (12.) *à loco vel ab ubi*. Si *in definitione ponitur differentia, quæ rem hîc aut illic, aut omninò alicubi vel in loco eſſe ſignificat*, vera differentia non eſt, ſed tota definitio vitioſa; non enim eo differt ſubſtantia à ſubſtantia, quod una hîc ſit, alia illic, ſecus mutato tali loco differentiæ quoqve ſubſtantiarum definitivæ & eſſentiales mutarentur, quod abſurdum eſſe cuivis conſtat. V. c. ſit definitio, uva eſt fructus, qui in apricis collibus ducit colorem, quæ apud Virgilium exſtat, refutatur, quia eſſe in collibus ſignificat alicubi eſſe & veram uvæ differentiam non conſtituit, cum uva aliis etiam in locis & generari & eſſe posſit: neqve ſangvis rectè definitur eſſe humor in venis contentus, iterum enim hæc differentia in loco eſſe ſignificat ac proinde vera differentia non eſt, cum ſangvis & in arteriis & aliis in locis eſſe poſſit. Sed *objicis*, cur ergo ipſe Ariſt. *differentias anima-*

lium

lium definitivas ab ubi vel à loco deſumit, quando nempe aliud animal terreſtre eſſe dicit, aliud verò aquatile? &c. *reſpondetur*, terreſtre & aquatile *neutiquam ſignificare ubi aliquod* vel in *loco eſſe*, ſed aquatile dicitur illud, *quod naturalem quandam vim atq; inclinationem habet vivendi in aquâ*, aut quod talem habet naturam ac qualitatem, ut ipſi extra aquam benè non ſit, terreſtre verò vocatur, quod ſimili modo affectum eſt ad terram ac aërem: unde terreſtre & aquatile non alicubi eſſe, ſed certam quandam & naturalem vim ac inclinationem ſignificant, quam vim & qualitatem retinent v. c. aquatilia ac terreſtria, ubicunqve etiam fuerint, cum & bos terreſtre animal ſit, quamvis in flumine natet, ac piſcis aquatile animal ſit & maneat, quamvis in ſicco detineatur: quomodo & terra rectè definitur eſſe elementum naturâ ſuâ infimum locum appetens, non enim differentia hîc deſumitur à loco, ſed à naturali inclinatione & aptitudine, quàm ad iſtum locum terra habet. (13.) *à perturbatione aut affectione.* Si *in definitione loco differentiæ ponitur rei perturbatio ac affectio*, differentia vera non eſt, ſed definitio vitioſa; talis enim affectio, de qua præſens locus loquitur, *quæ alterare rem poteſt*, ſeu quæ ineſt rei ſecundum iſtas qualitates, ſecundum quas alterari quidpiam dicitur, ita ſe habet, ut ſi augeatur, rem ac ſubjectum ſuum de ſtatu ſuo dimovere poſſit, quemadmodum aqua ſi nimis calida fiat, mutatur de ſtatu ſuo naturali & reſolvitur in aërem, ſi

nimis

nimis frigida fiat, in glaciem convertitur, at verò differentia contrà rem in esse suo constituit ac conservat, nunquam autem statum illius immutat: affectio quoqve talis abesse quandoqve à subjecto suo potest, quod iterum differentiæ repugnat, quæ nunquam abesse potest, & propterea differentia à tali affectione, qualis ante descripta est, desumi non potest, quanquam *ab aliâ affectione, quæ ἐνέργεια vel operatio aut facultas rei est, differentia desumi optimè possit*, ut *lib.3. de cœlo cap. ult. & supr.loc.13.* docetur. Hinc vitiosæ sunt definitiones, eqvus est animal, quod convulsione laborare potest, animal est, quod calefieri & frigefieri potest, homo est animal calidum & humidum &c. omnes enim hæ differentiæ veræ non sunt, cum ita se habeant, ut, si augeantur, res istæ de statu suo naturali dimoveri possint. (14.) *à relatis.* Si *in definitione alicujus relati adfertur loco differentiæ aliquid, quod relatum non est*, sed absolutum, nec differentia nec definitio vera, sed utraqve vitiosa erit, cum relatorum differentiæ quoqve relatæ sint, ut inductione patet; v. c. sit definitio, servus est animal robustum ad ferenda onera aptum natum, refutatur, quia differentiæ istæ sunt absolutæ, neqve declarant essentiam servi, quatenus servus est & quatenus ad Dominum refertur, sed prout aliam quandam & à præsenti instituto alienam considerationem subit: neqve bona est definitio patris, quâ dicitur esse animal ratione præditum, iterum enim diffe-

differentia eſt abſoluta & nihil facit ad declarandam eſſentiam definiti, quod relatum exiſtit.

17. *ab uſu & fine à naturâ conſtituto.* Cum *res quædam ad unum tantùm referantur uſum,* ut oculus, quo videre tantùm & nihil aliud posſumus, *aliæ verò ad plures uſus ſe habeant, vel æqualiter,* prout grammatica ſe habet æqualiter & ad legendum & ad ſcribendum, *vel inæqualiter* & ita, ut ad unum quidem à naturâ ſint deſtinatæ, vel per ſe & per naturam ſe habeant, ad alium verò per accidens tantum ſint affectæ neqve naturâ ad eundem ordinatæ, quomodo ædificatoria naturâ & per ſe comparata eſt ad exſtruendum, per accidens verò ad deſtruendum, ſtrigilis per ſe & propriè ad abſtergendam equorum immunditiem, per accidens & impropriè ad hauriendam aquam; *inde ſi in definitione alicujus rei poſtremi generis, omittitur uſus ille, ad quem res & inſtrumentum aliquod naturâ & propriè ſe habet, ille verò ponitur, ad quem per accidens & impropriè ſe habet,* definitio eſt vitioſa; v. c. ſit definitio, gladius eſt inſtrumentum ad interficiendum elaboratum, refutatur, impropriè enim & per accidens hunc uſum habet gladius, per ſe verò & ex intentione artificis atqve naturâ ſuâ ad defendendum excogitatus eſt, unde per hoc potius quàm illud definiendus erat: neqve benè definitur medicina eſſe habitus impunè homines interficiendi, uſus enim hic præter naturam & per accidens medicinæ ineſt, per ſe verò propriè & naturâ ad ſanandum compa-

rata eſt, tanquam finem à naturâ ipſi conſtitutum.

18. *à ſubjecto.* (1.) Si quis id, *quod alteri ineſt, definit non per ſubjectum primum, cui primò ineſt, ſed per illud cui ineſt conſequenter* vel ideò, quia ineſt prius illud, is peccat; v. c. vitioſa eſt definitio, quâ philoſophia dicitur eſt perfectio hominis, homo enim non primum philoſophiæ ſubjectum eſt, ſed primò philoſophia ineſt intellectui, homini verò conſequenter & ideò, quia ipſi intellectus ineſt: neqve rectè definitur prudentia, quod ſit habitus animi non errare permittens, primum enim prudentiæ ſubjectum, cui primò ineſt, eſt pars animæ rationalis, ipſi animæ verò ineſt conſequenter, quia ipſi pars iſta rationalis ineſt. (2.) Si quis *vel affectionem vel diſpoſitionem vel aliud quodcunq; tale definit per tale ſubjectum, in quo reverà non eſt, vel quod non habet vim recipiendi illud*, is peccat, nihil enim affectio vel diſpoſitio ejus dici poteſt, in quo non eſt, ſed omnis affectio in eo eſt, cujus affectio eſt; v. c. ſint definitiones, ſomnus eſt imbecillitas ſenſuum, dubitatio eſt æqualitas contrariarum rationum &c. refutantur, quia in utraqve definitione tale ponitur ſubjectum, quod vim recipiendi definiti non habet, vel in quo affectio definita non eſt. Peccant itaqve tales definitiones 1. in eo, *quod alienum ſubſtituunt ſubjectum* loco proprii, ſomnus enim non eſt in ſenſibus, ſenſus quippe non dormiunt, ſed in animali quod ſenſus habet, & dubitatio non eſt in contra-

riis rationibus, ſed in animo, hic enim dubitat propter contrarias illas rationes. 2. *Efficiens dicunt eſſe genus rei effectæ, aut contra rem effectam genus faciunt efficientis*, quorum prius accidit in allatâ definitione dubitationis, æqualitas enim illa rationum efficit dubitationem in animo, poſterius autem in definitione ſomni, ſomnus enim efficit imbecillitatem illam, quia propter ſomnum, ſenſuum munere non fungimur: ubi tamen notandum eſt, *dari in Analyticis aliquod definitionum genus, quod cauſale vocatur*, in quo efficiens cauſa loco generis rectè poni poteſt, de quo in Analyticâ ex *lib. 2. Poſt. Anal. c. 10.* agendum erit.

19. *à differentiâ temporis.* Si *definitum ad omne tempus extenditur, definitio verò certum quoddam reſpicit tempus, aut contra, ſi definitio omne tempus includit, definitum verò alicujus tantùm eſt temporis*, vitium eſt commisſum, convenire enim definitio & definitum ſecundum tempora debent; v. c. ſit definitio, immortale eſt, quod nunc non interimitur, quæ *apud Plat. in Phædon.* exſtat, aut æternum eſt, quod nunquam peribit, refutatur utraqve, quia definitio & definitum tempore diſcrepant, definita enim hæc omne prorſus tempus comprehendunt, ex definitionibus verò prior præſens ſolùm reſpicit tempus, poſterior autem tantùm futurum, quam obrem immortale & æternum rectè definita non ſunt, ſed illud eſt, quod nunquam interimitur, hoc eſt, quod nunquam incepit & nunquam peribit.

20. *à definitione meliori.* Si *præter allatam definitionem, alia reperiri poteſt melior oratio, quæ eſſentiam rei magis & aptius declarat*, allata definitio bona non eſt; v. c. ſit definitio juſtitiæ, quod ſit potentia ſuum cuiqve tribuendi, quæ *apud Platon. in Hippiâ* exſtat, refutatur, quia aptius & melius juſtitia definitur per virtutem ac proæreſin ſuum cuiqve tribuendi, eſſentia enim juſtitiæ magis in intentione & proæreſi quàm in potentiâ ſpectatur, ac proinde, ſi hæc juſtitiæ vera definitio eſt, prior illa & allata definitio juſtitiæ non erit, quia unius rei una definitio exiſtit.

21. *ab intenſione & remisſione.* (1.) Si *definitum poteſt intendi & remitti, definitio verò non poteſt, aut contra, ſi definitio poteſt, definitum autem non poteſt*, definitio erit vitioſa, quia definitio & definitum, cum idem ſint, æqualiter aut recipere intenſionem & remiſſionem, aut reſpuere debent; v. c. ſit definitio, ſanitas eſt abſolutisſima & perfectisſima partium corporis ſymmetria, refutatur, quia ſanitas magis & minus recipit, aliaqve intenſior eſt, alia verò remisſior, abſolutisſima & perfectisſima ſymmetria autem intenſionem & remisſionem non recipit, quia ſi reciperet, perfectisſima & abſolutisſima non esſet: neqve rectè definitur ſummum bonum per affluentiam bonorum corporis & fortunæ, definitum enim magis & minus non capit, quia ſummum eſt, affluentia verò intenſionem & remisſionem omnino admittit. (2.) Si *utrumqꝫ & definitio* &

& definitum intendi & remitti possunt, ita tamen, ut intensionem & remissionem non simul recipiant, seu ut intensionem vel remissionem definiti non sequatur intensio vel remissio definitionis, vera definitio allata non est; v. c. sit definitio, eruditio est admiratio ex rebus naturalibus & cœlestibus orta, refutatur, quia utut & eruditio & admiratio ex rebus earumqve causis orta magis & minus recipiant, non tamen simul recipiunt, neqve intensionem definiti nempe eruditionis, sequitur intensio definitionis, nempe admirationis, sed contra potius se habet: neqve enim quò magis quis eruditus est, eò magis etiam admiratur, sed contrà, quò minus quis eruditus est, eò magis admiratur, quò magis autem aliquis eruditus est, eò minus admiratur, cum omnis admiratio ex ruditate vel ignorantiâ proficiscatur. *lib. 1. Metaph. c. 2.*

(3.) Si *duabus rebus, alteri earum magis vel secundùm intensionem conveniat definitum, minus autem vel secundùm remissionem definitio, alteri verò contra, minus vel secundum remissionem definitum, magis autem vel secundum intensionem definitio*, allata definitio vitiosa erit, definitio enim & definitum cum idem sint, æqualiter quoqve sese habere debent; v. c. sit definitio, ignis est corpus tenuissimum, refutatur, quia definitum nempe ignis magis vel secundùm intensionem dicitur de flammâ, minus autem & secundùm remissionem de luce, magis enim flamma quàm lux ignis esse videtur, at verò definitio, nempe esse tenuissi-

nuisſimum, contra magis & ſecundùm intenſionem dicitur de luce, minus autem & ſecundùm remisſionem de flammâ, tenuior enim eſt lux flammâ, ergò allata definitio non rectè ſe habet. (4.) Si *definitum duobus inſit æqualiter, definitio verò alteri eorum magis & ſecundùm intenſionem, alteri minus & ſecundùm remisſionem*, iterum definitio vitioſa eſt propter eandem, quæ modò dicta eſt, cauſam; v.c. ſit definitio, ignis eſt corpus comburens, refutatur, quia definitum, nempe ignis æqualiter dicitur de flammâ & prunâ, at contra definitio, nempe comburens, magis de prunâ, quàm de flammâ, unde definitio vera non eſt.

22. *à disjunctione.* Quando in definitione *adhibetur particula disjunctiva*, allata definitio vitioſa erit; v.c. mala eſt definitio, quæ *apud Plat. in Hipp. maj.* exſtat, pulchrum eſt jucundum auditu vel adſpectu, ut & quæ exſtat *apud eundem in Sophiſtâ*, Ens eſt, quod poteſt agere vel pati, ſi enim bonæ esſent hæ definitiones, ſequeretur unum idemqve & pulchrum eſſe & non pulchrum, & Ens & non Ens, quia quod adſpectu jucundum eſt, auditu verò non eſt, & erit pulchrum & non erit pulchrum, ac quod agere poteſt, pati autem non poteſt, & erit ens & non erit ens, quod abſurdum eſſe quivis videt: cui & illud addendum eſt, quod definitio propriè dicta eſſentiam explicare debeat, hæc autem nunquam ex disjunctis, ſed ſemper ex conjunctis & in unam ſubſtantiam congregatis conſtat. *Aliquando tamen licitum eſt, disjunctione in de-*

definiendo uti, (1.) quando id, quod definiri debet, est vocabulum ab uno aut ad unum, quomodo ipse Aristoteles Ens definit esse, aut quid, aut quantum, aut quale &c. *lib. 7. Metaph. c. 1.* quales pleræqve definitiones sunt, quæ *lib. 5. Metaph.* habentur; (2.) *quando duo aliqua diversa in definitione continentur, quæ non competunt singulis sub definito contentis, sed alterum his, alterum aliis*, quomodo propositio definitur esse oratio affirmans vel negans aliquid de aliquo, *lib. 1. Prior. Anal. c. 1.* neqve enim omne quod sub definito vel propositione continetur, affirmat, neqve omne negat, sed quoddam affirmat, quoddam negat, quâ ratione vitium etiam definitur, quod sit habitus vel in excessu vel in defectu positus, & angulus obliquus, quod sit vel major vel minor recto &c. ubi tamen notandum est, hujusmodi disjunctivas definitiones non esse definitiones primæ mensuræ, sed tantùm descriptiones quasdam, cum nec ex notioribus & prioribus naturâ talibus constent, neqve alia habeant requisita, quibus propriè dictæ definitiones carere non possunt. *Valet itaq; hic locus & disjunctione uti non licet (1.)* tunc *quando utraq; disjunctionis pars seorsim accepta alicujus rei definitionem constituit*, quod Arist. præsente hoc loco inculcat, quando ait, vitiosam esse definitionem, si quis ad duo pertinentem definitionem, ad alterutrum ex duobus seorsim accommodet, v. c. mala est definitio artis, quâ dicitur esse habitus cum rectâ ratione effectivus aut activus,

hic enim utraqve disjunctionis pars seorsim alicujus rei definitionem constituit, nempe habitus cum rectâ ratione effectivus est definitio artis, habitus cum rectâ ratione activus est definitio prudentiæ, atqve ita definitio, quæ ad duo pertinet, scilicet & ad artem & ad prudentiam, male ad unum tantùm, nempe ad artem est accommodata. (2.) neqve tunc disjunctione uti licet, *quando duo diversa in definitione posita competunt simul singulis sub definito contentis*, tum enim copulativâ potius quàm disjunctivâ particulâ utendum erit; v. c. mala est definitio accidentis, quâ dicitur esse, quod aut adesse aut abesse potest, duo enim hîc posita, nempe adesse & abesse simul conveniunt omnibus accidentibus vel omnibus sub definito contentis, ut ita potius definiendum sit, accidens est, quod & adesse & abesse potest.

23. *à definitione partium allatæ alicujus definitionis.* Cum adfertur definitio aliqua, *definiendæ sunt partes hujus propositæ definitionis, genus nempe, differentiæ & quicquid definitione istâ allatâ comprehenditur*, videndumqve est, *an aliqua harum definitionum ipsi principali & in thesi allato definito non conveniat*, id enim si fuerit, allata definitio vitiosa erit; oportere enim & generis & differentiarum definitionem definito allato competere, inductione constat; v. c. sit definitio plantæ, quæ *apud Platon. lib. 6. de leg.* exstat, quod sit animal in terrâ radices agens, refutatur, quia definitio generis, nempe animalis, plantæ

non

non convenit: unde neqve bona est definitio febris, quod sit calor nativus in igneum commutatus, quia definitio caloris nativi febri non convenit, calor enim nativus definitur esse crasis secundum naturam se habens, cum febris contra naturam se habeat.

24. *ab omisſione alicujus eorum, ad quod res aliqua quomodocunq; refertur.* (1.) *ab omisſione correlati.* Cum aliquid ad alterum referatur *vel per se*, quomodo pater per se refertur ad filium, *vel per aliud & ratione generis*, quomodo v. c. medicina, grammatica &c. ad aliud referuntur ratione generis, quia genus earum, nempe scientia ad aliud, nempe ad scibile, tanquam correlatum suum refertur; inde *si in definitione alicujus relati non ponitur id, ad quod vel per se vel ratione genis refertur*, vitiosa est definitio, quia essentia relatorum in eo, ad quod referuntur, consistit & eapropter etiam sine isto intelligi aut perfectè declarari non potest. V. c. sit definitio, scientia est existimatio, quæ falli non potest, refutatur, quia omittitur in definitione correlatum scientiæ, nempe scibile, sine quo scientia intelligi aut declarari non potest, unde rectius ita definitur, quod sit existimatio scibilis alicujus, quæ falli nescit; ex quo capite reprehendi etiam posſunt hæ definitiones, maritus est homo sexu præstantior, servus est homo se ipsum regere nesciens, &c. iterum enim omisſum in iis est, ad quod definita referuntur & sine quo intelligi non posſunt, quod

ſupplendum eſt & ita dicendum, maritus eſt homo ſexu præſtantior, quàm uxor aut fæmina, ſervus eſt homo ſeipſum regere neſciens, ſed Domino dirigente opus habens. Cœterùm obſervandum hîc eſt, *an aliquid ut relatum definiatur, an verò ut ſimplex aliqua aut abſoluta forma ac ſpecies*; posſunt enim quædam & ut abſoluta & ut relata conſiderari aut definiri, ut ſcientia, diſpoſitio, appetitus, &c. quæ ſi illo modo definiuntur, abſolutas quoqve habent differenitas, neqve opus eſt, ut correlatum in definitione ponatur: ſi verò hoc modo definiuntur, aliter quàm per correlatum definiri rectè non posſunt. (2.) *ab omisſione finis*. Quando aliquid ad plura refertur, quorum aliud eſt finis, alia mediorum rationem habent, tum *ſi in definitione iſtius rei, non ponitur ipſe finis, ſed aliquid ex mediis ad finem ducentibus*, vitioſa eſt definitio, quia ſemper optimo res eſt definienda, optimum autem finis eſt; v. c. ſit definitio, prudentia eſt habitus de rebus politicis deliberandi, refutatur, quia deliberare non ultimum eſt & finis aut optimum in prudentiâ, ſed medium tantùm ad finem, nempe ad actionem, cujus inſtituendæ gratiâ deliberatur, ac propterea non medio ad finem ducente, ſcilicet deliberatione, ſed ipſo fine & actione definienda eſt prudentia, quod nempe ſit habitus cum verâ ratione activus, *lib. 6. Ethic. c. 5*: unde reprehendenda quoqve eſt definitio nutritionis, quod ſit digeſtio vel diſtinctio alimenti per univerſum corpus, non enim hæc digeſtio optimum ac

finis eſt nutritionis, ſed medium aliquod ad finem ducens, diſtribuitur enim alimentum per corpus eo fine, ut fiat asſimilatio alimenti, vel ut convertatur alimentum in ſubſtantiam ejus, quod ali debet, ac proinde nutritio rectius à fine definitur, quod ſit aſſimilatio alimenti vel converſio ejus in ſubſtantiam corporis animalis aut ejus rei, quæ ali debet. Pari ratione *peccant definitiones in quibus aut generatio aut actio vel operatio rei definitæ ponitur, ipſe verò finis, ad quem generatio actio & operatio tendit, vel ipſum opus, cujus gratiâ actio & operatio inſtituitur, omittitur,* quæ eſt ulterior hujus loci explicatio, neutiquam vero novus locus, ut nonnulli volunt, cum non aliunde quàm ab omisſione finis deſumatur, nec alium tractandi modum agnoſcat; ideò enim per hæc definiri res aliqua non poteſt, quia generare, agere, operari &c. non finis rationem habent, ſed media ſunt ad finem, qui eſt generatum esſe, egisſe, operatum eſſe &c. quæ ipſa ratio in præcedentibus etiam hujus loci exemplis obtinebat. Hinc malè definitur albedo, quod ſit recesſus à nigredine, receſſio enim in fieri vel generatione conſiſtit, generatio autem finis non eſt; neqve benè definitur anima nutritiva, quod ſit facultas alterandi cibos, alteratio cibi enim actio vel operatio tantùm eſt animæ nutritivæ, quæ actio finis non eſt, ſed propter finem, finis enim hujus alterationis eſt aſſimilatio vel converſio alimenti in ſubſtantiam corporis, quod nutritur, qui finis cum ſit omisſus in allatâ

defini-

definitione, ipſa vitioſa & mala erit. Ipſe verò Ariſt. *excipit, non ſemper finem eſſe, generatum eſſe, egisſe, operatum eſſe &c. ſed ſæpè in ipsâ generatione, operatione & actione finem conſiſtere*, ut v. c. quilibet mavult jucundè agere, quàm jucundè egisſe, aut pecuniam habere, quàm habuisſe &c. quod autem quilibet præ altero magis appetit, id finis rationem habere, dubitari non poteſt; cui tamen *exceptioni facilè occurri locusq; limitari poteſt*, ſi advertatur, *in quibusdam poſt actionem relinqui aliquod opus*, v. c. poſt ædificationem, quæ eſt actio architectonicæ, relinquitur opus, nempe domus, poſt curationem, quæ eſt operatio medicinæ, relinquitur opus aliquod, nempe ſanitas &c. *in quibusdam autem poſt actionem nihil planè relinqui* & in his ipſam actionem ſui ipſius quaſi terminum eſſe & extremum, ut v. c. poſt actionem virtutis nihil planè relinquitur, quod terminus virtutis eſſe poſſit: quâ de causâ in quibus poſt actionem nihil relinquitur, *in iis ipſa actio utiq; finis eſt & eapropter ab actione rectè deſumitur definitio*, in quibus verò poſt actionem vel operationem relinquitur opus aliquod ab operatione diverſum, in iis actio & operatio finis non eſt, ſed ipſum illud opus finis rationem habet & per conſequens non rectè talium rerum definitiones ab actione & operatione, ſed potius ab ipſo opere & fine deſumuntur. (3.) *ab omisſione modi aut circumſtantiæ alicujus*. Quando aliqua non ſimpliciter, ſed cum aliquâ vel quantitatis, vel qualitatis, vel loci, vel ſub-

jecti determinatione dicuntur & ad hoſce modos ac circumſtantias *talem habent reſpectum*, *ut ſine iis intelligi ac rectè declarari non poſſint*, tum *ſi in definitione eorum certa iſta circumſtantia ac proprius modus non exprimitur*, vitioſa eſt definitio, quia omittit id, ſine quo definitum intelligi aut declarari non poteſt; v.c. ſit definitio ambitioſi quæ apud *Plat. lib. 8. de Republ.* exſtat, quod ſit appetens honoris, refutatur, non enim quivis, qui honores appetit, ſtatim ambitioſus eſt, ſed qui appetit honores juſto majores & virtute ſuâ ſuperiores, aut qui appetit eas deſiderio nimio, modis ac mediis injuſtis &c. quæ circumſtantiæ cum ſint in definitione omisſæ, ambitioſus per eam rectè definitus non eſt: neqve benè definitur avarus is eſſe, qui pecuniam appetit, hoc enim facere poteſt interdum & liberalis, ſed adjiciendum eſt, quanto ſtudio eam appetat, nimio nempe & immoderato, neqve tremor terræ rectè definitur, quod ſit motus terræ, quia & quando foditur terra, & quando aratro ac aliis hujusmodi inſtrumentis ſcinditur, movetur, tremere tamen non dicitur, ſed addendum eſt, quod tremor ſit motus vehemens & violentus ab incluſis exhalationibus ortus &c. neqve ventus rectè definitur eſſe motus aëris, cum & manu & flabello motus aëris excitari poſſit, at non ventus, qui ex aliis cauſis aliisqve modis fit, ut *lib. 1. Metor. c. 13.* expoſitum eſt: quæ circumſtantiæ omnes, cum in datis definitionibus ſint omisſæ, definita rectè iisdem declarari non poterunt, ſed defini-

definitiones istæ vitiosæ erunt. (4.) *ab omisſione ejus, quod tale vel tale esse videtur aut apparet.* Cum illi, qui bonum appetunt, non semper veram veri boni rationem apprehendant, sed sæpius opinione suâ fallantur ac illud bonum esse putent ac desiderent, quod reverà bonum non est, sed apparet tantùm bonum esse, cum in se tale non sit, quod adeò frequens est, ut appetitio æqualiter & boni verè & boni apparenter talis esse videatur, ut quotidiana experientia testatur; inde *si in definitione cupiditatis aut appetitus alicujus id tantùm ponitur, quod verè bonum est, istud autem, quod apparenter tale est, omittitur,* definitio vitiosa est, neqve satis essentiam appetitus significat, quippe qui non unius tantùm est, sed utriusqve, ut ex modo dictis constat; v. c. sit definitio, voluntas est appetitus, qui cognitionem intellectus sequitur & in bonum verè tale fertur, refutatur, quia voluntas non tantùm fertur in bonum verè tale, sed & in illud, quod huic vel illi, qui vult, bonum esse videtur aut apparet, quamvis simpliciter & reverà bonum non sit, ut ex iis patet, qui volunt & appetunt furari, occidere &c. hæc enim, quamvis bona non sint, iis tamen, qui ea appetunt & volunt, bona esse videntur.

25. *à concretis & abstractis.* Si *habitus vel abstracti talis adfertur definitio, quæ habenti vel concreto accommodari non potest, aut contra, si talis adfertur habentis vel concreti definitio, quæ habitui vel abstracto accommodari nequit,* vitiosa ea

ea definitio erit; v. c. ſit definitio, ſanitas eſt optima corporis ejusqve partium conſtitutio, refutatur, quia ſano accommodari non poteſt, non enim ſanus eſt, qui optimè ſecundum omnes partes conſtitutus eſt, ſed nihilominus aliquis ſanus vocatur, quamvis corpus temperatiſſimum vel optimum aut in ſupremo gradu benè conſtitutum non habeat: neqve juſtitia rectè definitur, quod ſit facultas ſuum cuiqve tribuendi, cum juſtus non ſit, qui facultatem habet ſuum cuiqve tribuendi, ſed qui habet proæreſin & intentionem. Tanta itaqve inter concretum & abſtractum eſt cognatio, ut ex unius definitione, ſi ea bona eſt, alterius quoqve definitio intelligi poſſit; prout ipſe quoqve Ariſtoteles *lib. 3. Ethic. c. 9. & 10.* ex definitione viri fortis infert definitionem fortitudinis, & *lib. 1. Metaph. c. 2.* ex definitione & requiſitis ſapientis, ipſam ſapientiam definit.

26. *à relatis.* (1.) Si in definitione alicujus relati, *genus ad aliud correlatum genus refertur, definita verò ſpecies ad aliam correlatam ſpeciem ſub correlato iſto genere contentam non refertur*, definitio non erit vera, ſed vitioſa; ſi enim opinio, quæ genus eſt, refertur ad aliud genus, nempe opinabile, etiam ſpecies opinionis, hæc nempe vel illa opinio, ad ſpeciem opinabilis, hoc nempe vel illud opinabile, referri debebit, aut ſi opinio per opinabile definitur, etiam quandam opinionem per quoddam opinabile definiri oportebit; v. c. ſit definitio, grammatica eſt ſcientia legendi & ſcribendi

bendi, refutatur, quia genus, nempe ſcientia, refertur ad aliud genus correlatum, nempe ad ſcibile, ſpecies verò, nempe grammatica, ad aliam ſub ſcibili contentam ſpeciem correlatam non refertur: niſi fortè excuſari poſſit definitio & dici, vel grammaticam non eſſe hîc definitam, ut eſt relatum quid, ſed uti abſolutè ut habitus conſideratur, vel referri quoqve grammaticam ad certam ſpeciem ſub ſcibili contentam, cum voces, quatenus rectè ſcribendæ & pronunciandæ ſunt, etiam aliquam ſcibilis ſpeciem conſtituere videantur. (2.) Si *definitio relati non opponitur relativè definitioni correlati*, vera definitio non eſt, oportet enim definitiones relatorum relatas eſſe vel relativè opponi, ut inductione conſtat; v. c. ſit definitio, ſervus eſt, qui ſibi ipſi proſpicere non poteſt, refutatur, quia ſervo relativè opponitur dominus, domini autem definitio eſt, quod proſpiciat ſervo ejusqve actiones dirigat, cui cum allata ſervi definitio non opponatur relativè, vitioſa erit & ita potius informanda, ſervus eſt cui proſpicitur à Domino, cujusqve actiones ab eo diriguntur: ita enim definitioni correlati, nempe Domini, relativè oppoſita ac proinde bona erit, *quamvis primæ menſuræ definitio dici non poſſit, cum* non ex notioribus & prioribus naturâ progrediatur, uti ex *ſuperiori loco 11.* patet.

27. *à contrariis.* (1.) Cum æqve ut relatorum relatas ita & contrariorum contrarias oporteat eſſe definitiones, inde *ſi contrariorum definitiones* *non*

non sunt contrariæ, vitium in definiendo commissum erit; v. c. malè definitur salubre id esse, quod efficit εὐεξίαν, quia contrarium ejus, nempe insalubre, non est id, quod efficit καχεξίαν, quod tamen necessarium foret, si prior definitio bona esset: neqve rectè divitiæ definiuntur esse bonum, quo aliquis beatitudinem consequitur, quia paupertas non est malum, quo quis miser redditur vel miseriæ subjicitur. (2.) Cum *contraria alia sint* per negationem vel privationem, quorum alterum, quia alio nomine caret, *vocabulo negativo aut privativo effertur*, ut æquale, inæquale, doctus, indoctus &c. *alia verò sint* per positionem aut affirmationem, vel positiva, quorum *utrumq; extremum nomine positivo vel affirmante effertur*, ut bonus & malus, virtuosus & vitiosus, albus & niger &c. inde *in definitione contrariorum prioris generis, & ejus quidem extremi, quod negatione effertur, necessariò fieri debet mentio alterius contrarii, nempe ejus, quod affirmatione effertur*, affirmativum enim extremum naturâ prius est negativo vel privativo, ac proinde aptum, ut negativi definitionem ingrediatur, ejusqve rationem significet: at verò *definitionem affirmativi privativum vel negativum ingredi non debet*, quia privatio apta non est, ut affirmativum, vel id quod habitus rationem habet, significare aut manifestare possit, cum sit naturâ posterior, & præterea quoqve si affirmativum per privativum definiretur, idem definiretur per idem, quod manifestum est,

 si no-

ſi nomen contrarii negativi in definitionem commutetur, privativum enim per affirmativum definitur atqve ita affirmativum in ſe ac ſuâ definitione includit. Si itaqve allata fuerit definitio contrarii alicujus negativi, *in quâ nulla facta fuerit contrarii affirmativi mentio*, definitio vitioſa erit, quia extremum negativum aliter quam ex affirmativo intelligi ac definiri non poteſt; v. c. ſit definitio, inæquale eſt, quod disſimiles habet partes in magnitudine aut multitudine, refutatur, quia contrarium inæqualis in hac definitione poſitum non eſt, ſine quo, quid inæquale ſit, intelligi non poteſt, unde falſa eſt definitio & ita potius informanda, inæquale eſt abſentia æqualitatis in multitudine vel magnitudine: neqve rectè definitur indoctum eſſe, quod ſit indulgere operibus ruſticis, ſed potius definiendum eſt, quod ſit carere doctrinâ & eruditione: neqve benè definitur irrationale, quod ſit qualitas equi aut Leonis, ad esſentiam ejus pertinens, ſed dicendum potius eſt, quod ſit abſentia vel defectus rationis in animalibus &c. Atqve ita ſe habent definitiones eorum contrariorum, quorum alterum extremum privatione vel negatione effertur. (3.) Quod autem *contraria posterioris generis*, ſcilicet poſitiva, concernit, longe aliter ſe res habet, *ex iis enim neutrum alterius definitionem ingredi aut eſſentiam declarare poteſt*; quia talia contraria ſunt ſimul naturâ, definitio verò ex prioribus naturâ conſtare debet, ut *ex loco II.* patet: prætereà quoqve ſi unum ex con-

contrariis istis definiendum esset per alterum, etiam hoc per prius istud definiri pari jure posset, atqve ita rursus idem suiipsius ingrederetur definitionem, quod iterum ex commutatione nominis in definitionem ejus manifestum foret. Quando itaqve *in definitione unius positivi contrarii fit mentio alterius*, definitio propter dictas causas vitiosa erit; v. c. sit definitio, albedo est color nigredini contrarius, refutatur, quia in definitione positum est contrarium, nempe nigredo, quæ quia cum albedine naturâ simul est, essentiam ejus declarare non potest: quamobrem vitiosæ quoqve sunt hæ definitiones, virtus est fuga vitii, malum est aberratio à bono, siccum est, quod humiditate caret &c.

28. *à privativis.* (1.) Si ex privativè oppositis *definitur privatio, nulla factâ mentione habitus & perfectionis, cujus privatio est*, definitio vitiosa erit, propter rationem *præcedent. loc. part.* (2.) dictam, quia pariter, ut contrarium negativum non nisi ex affirmativo, ita nec privatio nisi ex habitu intelligi aut definiri potest; v. c. sit definitio, surditas est defectus alicujus perfectionis in animali, refutatur, quia non satis explicat, quid sit surditas, sed addendum est, quod sit defectus alicujus sensus & quidem auditus in animali, sic demum enim ratio surditatis intelligi potest: neqve benè definitur irrationale *loco præcedente parte* (2.) quod exemplum huc quoqve spectat, cum magna sit inter contraria negativa & privativè

oppoſita affinitas, ut ſæpiſſimè etiam coincidere videantur. (2.) Pariter *ſi in definitione privationis, nulla ſit mentio ejus ſubjecti, in quò privatio primò ineſt*, iterum vitioſa eſt definitio, quia perfectè, quid ſit privatio, novisſe nemo poteſt, niſi, quodnam ſit proprium ejus ſubjectum, cognoſcat; v. c. ſit definitio, cœcitas eſt privatio viſus in animali, refutatur, quia non eſt expreſſum proprium cœcitatis ſubjectum, ſed addendum eſt, quod cœcitas ſit privatio viſus in oculo animalis, ita enim perfectè cœcitatis ratio intelligitur: neqve benè definitur irrationale, quod ſit defectus rationis in animali, ſed addendum eſt, quod ſit in formâ & animâ illius. (3.) Si definitio aliqua *per privationem definit id, quod privativum non eſt, vel quod ſecundum privationem non dicitur*, illa peccat & vera definitio non eſt; v. c. ſit definitio, ignorantia eſt privatio ſcientiæ, refutatur, non benè enim ignorantia definitur per privationem, quia ipſa ſecundum privationem non dicitur, aut quia ipſa ſcientiæ non privativè opponitur, ſed contrariè, quod de ignorantiâ ſecundùm pravam diſpoſitionem certum eſt, *lib. 1. Poſt. Anal. c. 16. 17.* neqve benè definitur vitium, quod ſit privatio virtutis, iterum enim vitium virtuti opponitur non privativè ſed contrariè, & eapropter quoqve per privationem rectè definiri non poteſt.

29. *à caſibus & conjugatis.* Si *definitio per omnes ſuos caſus & conjugata de ſimilibus caſibus & conjugatis definiti* dici non poteſt, minimè vera

ſed

ſed vitioſa erit, hæc enim conjugatorum eſt indoles, ut ex unius definitione alterius quoqve ratio & esſentia intelligi facilè posſit; v. c. ſit definitio, nutritio eſt alteratio cibi facta in ventriculo, refutatur, qui alterare cibum non eſt nutrire & alteratum eſſe non eſt nutritum eſſe, nec contrà, ergo nec nutritio alteratio cibi erit: malè quoqve definitur virtus, quod ſit ſcientia rerum agendarum, quia ſcienter non eſt idem ac virtuosè, nec ſcientes virtuoſi ſtatim ſunt, nec contra virtuoſi ſcientes ſtatim ſunt, ſæpè enim, qui virtuosè agunt, ſcientiam de rebus virtuoſis non habent, ergo nec virtus ſcientia, ſed definitio mala erit. *Convenit hic locus cum ſuperiori loco 25. latior tamen eo eſt*, cum conjugata plura ſub ſe comprehendant, quam abſtractum ſeu habitum, ac id quod abſtractum habet & concretum appellatur; vide quæ *lib. IV. Dial. loco 42. in fine* dicta ſunt.

30. *ab ideâ.* Si *definitio propoſita ab eo, qui ideas ſtatuit & tuetur, non convenit ipſi ideæ*, vera non eſt, ſed vitioſa, eo enim fine apud Platonem ideæ introductæ eſſe videntur, ut iis mediantibus res ſciri ac definiri posſent, atqve ita definitiones rerum ipſis ideis quàm maximè competere oportet; v. c. vitioſa eſt definitio hominis apud Platonem, quod ſit animal rationale mortale, mortale enim ideæ hominis non competit, quippe quæ immobilis eſt & æterna, ut ex *Lib. V. Dial. loco 28.* patet: unde omnis definitio à tali idearum Patrono allata reprehendi poteſt, *in quâ vel*

actionis & passionis vel agentis aut efficientis ac patientis, vel alius hujusmodi rei mentio fit; nihil enim horum ideis competere potest, cum eæ extra omnem actionem vel passionem, tanquam simpliciter & absolutè impatibiles & immutabiles esse à Platonicis statuantur.

31. *ab homonymia.* Si *omnium eorum, quæ uno nomine æquivoco significantur, una communis adfertur definitio*, ea vitiosa est, quia talia communi & unâ definitione comprehendi non possunt, cum unam communem essentiam non habeant, sed vocabulum in aliâ semper ac aliâ significatione de quavis rerum istarum plurium significatarum dicatur, quod vel inde patet, quia si eandem haberent essentiam & definitionem, non homonyma sed synonyma essent, ut ex definitionibus horum constat; v. c. sit definitio vitæ, à Dionysio Philosopho quodam Academico tradita, quod sit motus à naturâ insitus universo generi eorum, quæ nutriuntur, refutatur, quia definitio hæc convenit non minus vitæ plantarum, quàm vitæ animalium, cum tamen vita, quatenus & de plantis & de animalibus dicitur, homonymum sit, quod unâ definitione comprehendi nec potest nec debet, nisi quis ipsam definitionem æquivocam esse debere, statuere velit, qualis definitio sani est, *lib. 1. Top. c. 15:* neqve benè definitur homo id esse, quod figurâ humanâ præditum est, iterum enim hæc definitio & hominem vivum & mortuum & pictum comprehendit, quæ æquivoca esse

&

& unâ verâ definitione comprehendi non posse, cum unam essentiam non habeant sed aliam ac diversam, cuivis liquet. *Duplici autem modo hîc peccari potest, aliquando* ex intentione & consilio, quando de industriâ ea, quæ reverà homonyma sunt, tanquam synonyma sint, afferuntur & sub unâ definitione comprehenduntur, quo modo in definitione vitæ Dionysius errasse videtur; *aliquando* autem citra intentionem, quando quis scit, propositum nomen homonymum esse & plura significare, sed dum eorum significatorum unum definire vult, non animadvertit se communem definitionem omnium significatorum adferre, ut si quis generationem definiat esse actum ejus, quod potestate est, quatenus potestate est, quæ definitio non generationis tantùm, sed omnis in universum motus, atqve eapropter mala est & vitiosa. Cum itaqve vel hoc vel illo modo peccatur & talis æquivoca definitio ad disputandum proposita est, *quomodo & interrogans vel opponens & respondens rectè se gerere debeant*, Philosophus quatuor præceptis docet. (1.) *interrogans vocabulum definitum homonymum*, tum præprimis quando homonymia aperta non est, sed latet, *accipiat pro Synonymo*, atqve sic definitionem impugnet, quod non conveniat omnibus definiti speciebus atqve ita vera definitio non sit; è contrario autem *Respondens vocabulum definitum synonymum esse neget*, sed homonymum esse dicat, illudqve distingvat, seqve istud non in omni, sed unâ tantùm significatio-

tione accepisse & definivisse doceat: quod præceptum ad peirasticam spectat. V. c. sit proposita definitio, canis est animal adlatrandum aptum natum, interrogans simulet se nescire vocabulum definitum homonymum esse, sed pro synonymo illud habeat, ac definitionem vitiosam esse contendat ex eo, quia non omnibus canis speciebus competit, non enim convenit cani cœlesti, nec aquatili, cum tamen omnis definitio synonymica & propriè dicta omnibus definiti speciebus convenire debeat? respondens autem excipiat, definitum esse æquivocum, neqve posse omnes ejus significationes unâ definitione comprehendi, significare enim & animal terrestre, & piscem, & sidus, & morbum &c. se verò non omnia hæc definire voluisse, sed unum tantummodò significatum, nempe animal terrestre, quod certè cum omnibus suis speciebus sub propositâ definitione continetur. (2.) Quoniam nonnulli, cum vident, definitionem à se propositam omnibus convenire, dicere solent, definitum esse synonymum, quamvis sæpe sit homonymum, & contra, cum vident, definitionem non omnibus convenire, definitum volunt esse homonymum, quamvis reverà sit synonymum, atqve adeò non dicunt, quod sentiunt, sed quod sibi in disputatione utile esse vident; inde ut hoc præcaveatur & disputatio facilior sit, *ab initio statim interrogans, antequam ipsam definitionem impugnare incipit, eò adigere respondentem debet, ut definitum vel homonymum vel synonymum esse*

fatea-

fateatur, facilius enim reſpondentes ab initio diſputationis, quando nondum vident, quid exinde ſequatur, concedere interrogantibus hoc vel illud ſolent: ſi verò fateri aut concedere reſpondens non vult, rationibus interrogans oſtendere debet, definitum vel homonymum eſſe vel ſynonymum, atqve tum demum, hoc jam obtento, ipſa definitio aggredienda eſt & impugnanda. Sit v. c. propoſita definitio, animal eſt ſubſtantia animata irrationalis, hîc ſi interrogans ſtatim definitionem impugnet & dicat, eam omnibus definiti ſpeciebus v. c. homini non convenire, ſtatim tuebitur ſe reſpondens & dicet, neqve debere definitionem omnibus animalibus aut homini quoqve convenire, ſed dici vocabulum hoc de homine & aliis animalibus æquivocè, quo ipſo jam difficilior reddita erit diſputatio; aut ſi hæc propoſita ſit definitio, motus eſt actus mobilis, quà mobile eſt, & interrogans eam ſtatim impugnet & dicat, definitionem hanc competere omnibus motus ſignificatis ac proinde veram definitionem non eſſe, cum motus æquivocum ſit, iterum reſpondens dicet, debere hanc definitionem omnibus motus ſignificatis competere, nec definitum æquivocum ſed ſynonymum eſſe: quod ne fiat, ab initio diſputationis ſtatim & antequam definitionem impugnare incipit, interrogans illud quidem definitum ſynonymum, hoc poſterius verò homonymum eſſe, à reſpondente, vel per liberam conceſſionem, vel per oppoſitas illi rationes obtinere debet. (3.) Quando

do autem in initio disputationis non convenit inter disputantes, an allatum definitum homonymum sit, an verò synonymum, sed interrogans statim definitionem impugnat, quod non conveniat omnibus sub definito contentis, respondens verò juxta præcedens præceptum dicit, definitum esse homonymum atqve ideò definitionem omnibus ejus significatis convenire non posse; tum *interrogans debet aliquam ejus, cui proposita à respondente definitio non competit, definitionem, non statim propriam sed communem tantùm accipere atq; ostendere, hanc à se allatam & inventam definitionem reliquis etiam definiti significatis atq; ita omnibus sub definito contentis convenire, ipsumq; propterea definitum synonymum esse*, cum unâ definitione comprehendi queat, quod ostendendum adversus respondentem erat: ubi quidem respondens, si adhuc urget definitum esse homonymum, in manifestum incidet absurdum, scilicet unius ejusdemqve rei plures esse posse definitiones, unam à se ipso propositam, alteram verò ab interrogante allatam. Sit v. c. posita à respondente definitio, animal est substantia animata sentiens, gradiens, an verò definitum sit synonymum an homonymum, nondum sit inter respondentem & interrogantem constitutum, sed statim impugnet interrogans propositam definitionem, eamqve non omnibus animalibus convenire dicat cum nec pisces animalia gradientia sint, nec aves, respondens verò definitum, nempe animal, de his æqui-

æquivocè dici atqve ita animalis definitionem his non poſſe competere, reſpondeat; hîc ut interrogans obtineat contrarium, nempe animal de his ſynonymicè dici ac proinde definitionem allatam falſam eſſe, ipſe aliam inveniat definitionem piſcis & avis, quibus propoſita reſpondentis definitio non competebat, nempe piſcis aut avis eſt ſubſtantia vivens à ſe ipsâ mobilis, hancqve definitionem omnibus animalibus convenire oſtendat, ita enim, definitum eſſe ſynonymum ac proinde poſitam definitionem, quia non omnibus convenit, vitioſam eſſe oſtenſum erit: ſi verò adhuc urgeat reſpondens, animal homonymum eſſe, duas animalis eodem modo conſiderati eſſe definitiones, alteram à ſe alteram ab interrogante poſitam, concedere ipſum oportebit, quod abſurdum eſſe, ex ſuperioribus conſtat. (4.) Tandem ſi reſpondens aliquis vocabulum homonymum definit, & interrogans opponit, definitionem non rectè ſeſe habere, quia non omnibus ſub definito contentis competit, *reſpondens verò non confugit ad homonymiam vocabuli, nec dicit, ideò non competere definitionem omnibus definiti ſignificatis, quia ipſum definitum homonymum eſt, ſed regerit potius, definitum nomen non competere illi rei, cui interrogans iſtud competere dicit*, & hanc eſſe cauſam, cur illi nec definitio conveniat, cum fieri non poſſit, ut illi conveniat definitio, cui nomen definitum tribui nequit; tum ut obtineat interrogans, illi etiam rei, cui data definitio non convenit, tribuendum

dum esse nomen definitum, *ad communem loquendi consvetudinem recurrere debet*, & ostendere, secundum eam, rem istam aliter appellandam non esse: v. c. sit posita à respondente definitio, canis est animal quadrupes ad latrandum aptum natum, interrogans simulet se nescire definitum esse homonymum, sed accipiat illud pro synonymo ac definitionem impugnet, quod non competat omnibus definiti inferioribus, quia non competit cani aquatili, nec cœlesti, nec morbo faciei, qui canis dicitur &c. respondens verò non observatâ definiti homonymiâ, dicat, ideò his definitionem canis tribui non posse, quia ne nomen quidem canis iis tribui queat, hîc excipiat interrogans, utiqve hæc nomine canis appellanda esse, cum ita ferat vulgaris dicendi usus, à quo recedendum temerè non est, sed quanquam sentiendum sit cum doctis, loquendum tamen esse cum vulgo, ut vulgata regula habet. Conf. *lib.2. Topic. c.1. fin. & supr. lib. II. Dial. loc.5.* Atqve hæc sufficiant de loco ab homonymiâ desumpto, *qui differt à superiori loco primo, qui pariter ab homonymiâ desumptus erat*; scilicet (1.) suprà ex homonymia definiti ostenditur, non, propositam orationem planè definitionem non esse, sed modò, commodè expositam vel verbis satis aptis expressam non esse, cum non apertum sit, quænam definiti significatio obtineat vel definiatur, hîc autem, quod omninò & simpliciter definitio non sit, proposita oratio impugnatur. (2.) suprà definitio definiti alicujus ho-
mo-

monymi reprehendebatur, quod incertum esset, de qua nam definiti significatione loqueretur; hîc verò reprehenditur, quia omnes definiti significationes comprehendit & de omnibus loqui æqualiter videtur: id quod & ex præceptis & ex exemplis horum duorum locorum plenius perspicere licet.

32. *à parte definitionis detractâ.* Quando proponitur definitio *alicujus complexi aut conjuncti* ex duobus pluribusvè, tum *si aufertur aliqua pars definitionis, quæ alicui definiti parti convenit, reliqua verò definitionis pars, alteri definiti parti non convenit*, ipsa definitio vitiosa erit, oportet enim, uti tota definitio se habet ad totum definitum, ita & partem definitionis ad partem definiti affectam esse; v. c. sit conjunctum hoc, linea finita recta, definiatur, quod sit extremitas plani habentis terminos vel extrema, cujus medium ad extrema porrigitur, refutatur, quia si partem definiti, nempe lineam finitam, ut & partem definitionis, quæ huic definiti parti respondet, nempe extremitatem plani habentis terminos vel extrema, aufero, id quod in definitione residuum est, nempe cujus medium ad extrema porrigitur, non convenit illi parti, quæ in definito residua est, nempe lineæ rectæ, recti enim aliam esse definitionem ex *Euclid. lib. 1. Elem. defin. 4.* constat, & per consequens tota antè allata definitio falsa est: neqve rectè definitur homo politicus, quod sit animal rationale, intentionem alios decipiendi habens, qûia si partem definiti, nempe hominem, & partem

tem definitionis huic respondentem, nempe animal rationale, aufero, quod in definitione remanet, scilicet, habens intentionem alios decipiendi, non convenit ei, quod remanet in definito, scilicet politico, politicus enim non is est, qui alios decipit, sed qui rempublicam administrat, ergò definitio allata bona non est. *Differt hic locus à superiori 8.* (1.) enim ille infert, definitionem non esse benè expositam, hic vero prorsus definitionem non esse. (2.) ille latior est, & ad quaslibet definitiones accommodari potest, hic verò solùm ad definitiones rerum complexarum spectat. (3.) ille detrahit partem definitionis abundantem & superfluam, eamqve rejicit, non quod non conveniat alicui parti definiti, sed quia inutilis & abundans est, hic verò definitionem reprehendit, non quia pars detracta inutiliter redundat, sed quia pars definitionis post detractionem residua, non convenit residuæ parti definiti.

33. *à commutatione nominum.* (1.) Si *in definitione alicujus conjuncti aut complexi nomina tantùm commutantur nominibus & definitio est* ἰσόκωλος, id est, ex numero paribus constat vocabulis ac ipsum definitum, definitio bona non est, non enim nomini in definito respondere in definitione nomen sed oratio debet, nec singulis nominibus singula nomina sed orationes, cum unico vocabulo nulla absolvi definitio possit, ut inductione constat; quam ob rem quodlibet quoqve ex iis, quæ unum conjunctum & complexum

con-

constituunt, non uno nomine sed pluribus nominibus aut unâ oratione definiendum erit, ut quemadmodum definitum ex pluribus constat nominibus, ita definitio ex pluribus orationibus componatur. Peccant itaqve sequentes definitiones, capitis diminutio est status permutatio, vita æterna est status immutabilis, philosophia theoretica est scientia contemplativa, justitia originalis est imago Dei &c. in omnibus his enim definitiones ex totidem modò vocabulis constitutæ sunt, quot ipsa definita comprehendunt, atqve adeò nomina ista non definita sunt, sed aliis solummodò nominibus & vocabulis commutata. (2.) Si verò in definitione alicujus conjuncti *non tantùm nomina commutantur nominibus, sed nomina clariora obscurioribus & ignotioribus redduntur*, longè deterior fit definitio, cum ex obscurioribus nihil declarari aut significari possit; v. c. sint definitiones, morbus gallicus est symptoma innominatum, unum naturale est compositum ex discrepantibus, scientia mathematica est pars encyclopædiæ de quantitate &c. refutantur eæ omnes, quia nomina definitorum clariora & notiora in iis definitionibus verbis obscurioribus & ignotioribus sunt commutata ac proinde nihil eorum rectè definitum est. (3.) In hujusmodi definitionibus tunc quoqve peccatur, *quando vocabula definiti in talia commutantur nomina, quæ non idem sed aliud quid significant, quam nomina definiti*, ita enim declarari definitum non potest;

v. c.

v. c. ſit definitio, philoſophia theoretica eſt complexus ſcientiarum contemplativarum, refutatur, complexus enim idem ac philoſophia non ſignificat; unde nec philoſophia practica rectè definitur eſſe ars practica, ars enim longè aliud eſt aut ſignificat, quàm philoſophia, neqve laſsitudo ulceroſa rectè definitur eſſe defatigatio putreſcens, propter eandem cauſam. (4.) Quoniam id quod ignotius eſt, magis explicari debet, inde ſi definitum aliquod complexum per commutationem nominum definitur, *immutandum potius erit nomen differentiæ quàm generis*, quia differentia plerumqve ignotior genere eſſe ſolet, genus enim communius eſt ac in pluribus invenitur & proinde facilius cognoſci poteſt; quamobrem *ſi in tali definitione contra ſit & generis vocabulum, quod notius eſt, commutatur, nomen differentiæ verò, quod ignotius eſt, non commutatur*, definitio iſta vitioſa eſt & nulla; v. c. malè definitur corpus adoleſcens, quod ſit magnitudo adoleſcens, nomen differentiæ enim, quod obſcurius eſt, hîc commutandum erat, neqve benè definitur linea recta, quod ſit magnitudo recta, aut principium naturale, quod ſit cauſa naturalis &c. aliquando tamen *accidere poteſt, ut nomen generis*, aut propter novitatem ſuam, aut alia de causâ, *ſit ignotius differentiæ nomine*, ut quando anima definitur eſſe ἐντελέχεια corporis organici, in quo caſu nomen generis potius quàm differentiæ commutandum eſſe, philoſophus docet. (5.) Si aliquis

quis in definitione alicujus conjuncti aut complexi, nomina ejusdem non in alia nomina, sed in orationes commutat, tum potius *adferenda est oratio differentiæ, quàm generis*, propter rationem *parte præcedente hujus loci* dictam; ubi tamen id observandum est, *ut illa differentiæ oratio vel definitio non conveniat aliis pluribus præter differentiam*, secus enim si pluribus præter differentiam competit, tota complexi definitio mala & vitiosa erit; v. c. sit complexum, numerus impar, definitur, quod sit numerus medium habens, in quâ definitione nomen generis non immutatur, nomen differentiæ verò nempe impar, mutatur non in aliud nomen, sed in orationem vel definitionem, nempe medium habere, hîc, ut deprehendatur, an tota complexi ante positi definitio rectè se habeat, videndum est, an allata differentiæ oratio & definitio pluribus quàm positæ differentiæ conveniat? deprehenditur autem quod sic, quia medium habere & lineæ competit, & corpori & superficiei &c. quæ omnia tamen imparia propriè non sunt: quamobrem hæc oratio vera differentiæ, nempe imparis, definitio non est, cum omnis definitio propria sit & reciprocetur, ac proinde tota quoqve hujus complexi definitio vitiosa erit.

34. *ab eo quod est vel non est.* Si *definitum est ens aut verè existit, in definitione autem aliquid ponitur, quod est non ens aut quod reverâ non est vel non datur*, vitiosa ista definitio erit; v. c. sit definitio, locus est spatium aut intervallum

vacuum, refutatur, quia locus in rerum naturâ eſt vel verè datur, vacuum autem non eſt, vel non datur: unde nec album rectè definitur, quod ſit color igni permixtus, quia album reverà eſt, color verò igni permixtus eſt non ens, vel in rerum naturâ non datur.

35. *à proprio objecto.* Si *definitum ad certum aliquid objectum refertur, in definitione verò illud determinatè non exprimitur, ſed loco ejus aut tale quid ponitur, ſub quo objectum iſtud planè non continetur, aut tale, quod objectum iſtud ſub ſe quidem comprehendit, at plura ſimul includit & communius ac univerſalius objecto eſt,* definitio, in illo priori caſu omnino ac ſimpliciter falſa, in poſteriori verò ex parte falſa & vitioſa erit; v. c. ſit definito, medicina eſt ſcientia concentus, aut geometria eſt ſcientia qualitatis corporum naturalium, refutatur utraqve, quia nec ſanitas aut corpus ſanandum, quod proprium medicinæ objectum eſt, ſub concentu vel harmoniâ, nec quantitas, quæ proprium objectum geometriæ eſt, ſub qualitate continetur, ac eapropter utraqve hæc definitio omninò ac ſimpliciter falſa eſt, quia proprium rei definitæ objectum in neutrâ ponitur, ſed tale quid loco ejus ſubſtituitur, ad quod minimè refertur aut ſub quo planè non comprehenditur: ſit porrò hæc definitio, medicina eſt ſcientia entis, refutatur iterum, quia in eâ non eſt poſitum ipſum proprium objectum, ad quod medicina refertur, nempe corpus ſanitati reſtituendum, ſed aliquid

eo

eo communius & latius, nempe ens, ſub quo quidem ſanitas aut corpus ſanandum continetur, ita tamen, ut infinita alia ſub ipſo ſimul comprehendantur, & eapropter allata definitio ex parte falſa ac vitioſa erit, quia Medicina alicujus entis, nempe ſani, ſcientia eſt, alicujus verò imò plurium entium ſcientia non eſt.

36. *à rei perfectione.* Si quis *rem, quæ ſimpliciter definienda eſt, definiat in ſummâ ſuâ perfectione,* is peccat, quia talem producit definitionem, quæ non omnibus ſub definito contentis, imò interdum nulli planè competit; v. c. malè definitur homo, quod ſit animal & ſcientiis mathematicis & prudentiâ civili & arte militari &c. inſtructus, ita enim definitio hæc paucis admodum convenit, plurimis autem, qui tamen reverà quoqve homines ſunt, tribui non poteſt: neqve benè definitur virtus, quod ſit habitus, quo quis ne ſemel quidem per totam vitam peccat, in tantâ enim perfectione hæc definitio paucis imò nulli planè ineſt. Sunt tamen *aliqua, quæ aliter quàm in ſuâ perfectione commodè definiri non poſſunt*, ut v. c. *ſcientiæ & artes*, quæ certè non ſunt definiendæ, prout in hoc vel illo reperiuntur, ſed in ſuâ perfectione & prout τὸ εὖ adjunctum habent; quomodo Ariſtoteles definit Dialecticum & Cicero Oratorem, non ſanè qualemcunqve, ſed perfectum & talem, non qualis hic vel iſte eſt, ſed qualis eſſe debebat.

37. *ab eo, quod expetitur propter ſe vel*

propter aliud. Si *in definitione rei per se expetendæ ponitur aliquod agens vel efficiens, vel aliud quodq;, quod per se expetendum non est*, definitio erit vitiosa; & quamvis aliquando contingat, ut una eademqve res & propter se & propter aliud expetatur, ut sanitas, quam & propter se expetimus, etiamsi ad nullum aliud proficua foret, & propter aliud, ut nempe actionibus & officiis nostris rectè defungi possimus, nihilominus tamen *illa non eo definienda erit, quo propter aliud expetitur, sed quo propter se:* cum unum quodqve quod ad plura respicit, eo quod in substantiâ suâ optimum est, vel per melius & præstantius potius, quàm per deterius sit definiendum, uti *ex superiori loco 14. & 24. part. (2.)* constat. Sit v.c. definitio, sapientia est effectrix beatitudinis, refutatur, quia sapientia per & propter se expetitur, effectrix verò propter aliud, id nempe, quod efficit; vitiosa quoqve est definitio justitiæ, quod sit custodia legum, justitia enim per & propter se expetibilis est, leges autem non propter se, sed propter aliud, nempe ipsam justitiam expetuntur.

38. *à partibus, quibus aliquando definiri tota solent.* Per partes autem *definiri totum tripliciter potest, (1.)* ita, ut dicatur *esse hoc & illud*, vel ut partes de toto in definitione enuncientur *in casu recto*; quomodo domus definitur esse lignum, lapis, & si quæ plura ad ejus integritatem & constitutionem concurrunt, aut animal definitur esse anima & corpus &c. (2.) ita, ut dicatur *esse*

ex

ex hoc & illo, vel ut partes de toto in definitione enuncientur *in casu obliquo*, quomodo domus definitur esse ex lignis, lapidibus &c. animal esse ex animâ & corpore &c. (3.) ita, ut dicatur *esse hoc cum illo*, vel ut altera ex partibus de toto *in casu recto*, altera *in casu obliquo* enuncietur, quomodo domus definitur esse tectum cum parietibus & fundamento, animal esse corpus cum animâ & motu &c. Hinc I. quod *primum definiendi modum* concernit, sequens de eo Philosophus præceptum habet. Si quis *totum definit esse hoc & istud, aut per partes in casu recto sumptas*, is admodum errat, v.c. malè in Protagorâ Platonis definitur virtus, quod sit temperantia & sanctitas, quam definitionem Socrates quoqve ibidem refellit, malè quoqve definitur justitia, quod exemplum Arist. habet, quod sit temperantia & fortitudo, quia si bona esset hæc definitio, contingeret, ut cum pluribus simul sumptis hæc definitio conveniat, nulli tamen eorum omninò tribui possit, si enim duo sunt, quorum alter temperantiam habet, alter fortitudinem, hi duo simul sumpti justitiam habebunt, quando autem per se & soli accipiuntur, neuter eorum justitiam habebit, neuter enim & fortitudinem & temperantiam habet. Sed *fortè hoc non est absurdum, aliquid pluribus conjunctim tribui, quod nulli seorsim convenit*, cum nihil prohibeat, duos vel etiam plures habere minam vel talentum conjunctim, quamvis neuter vel nullus ex his seorsim eam pecuniæ summam habeat;

beat; inde *Aristot. aliam rationem addit*, & dicit, si talis definiendi modus valet, futurum esse, ut contraria simul sint in iisdem, quod absurdum esse nemo dubitat: si enim duo fuerint, quorum alter temperantiâ & ignaviâ præditus sit, alter verò fo titudine & intemperantiâ, certè in utroqve & justitia erit & injustitia, cum in utroqve sit temperantia & fortitudo, quæ est definitio justitiæ, & in utroqve sit ignavia & intemperantia, quæ, stante priori definitione, est definitio injustitiæ. Tandem *ad labefactandas hujusmodi definitiones valent ea præprimis argumenta*, quibus probatur, totum non esse idem quod partes, definitionem enim ac definitum semper idem esse oportet; totum autem & partes non esse idem, præsertim evidens est in totis & partibus dissimilaribus vel heterogeneis, quæ quid sint *suprà lib. V. Dial. loco 19.* dictum est, itemqve in iis, in quibus partium ante generationem totius seorsim ac separatim actu existentium manifesta est compositio, in his enim perspicuum est, quod, etiamsi sint partes, totum tamen non esse possit, ac eapropter cum partibus idem non sit, sicuti v.c. etiamsi sint ligna, lapides, lateres &c. quæ sunt partes domus, ipsam tamen domum esse necesse non est, ac proinde domus, quod sit lignum lapis &c. non rectè definitur. II. Quod porrò ad *alterum definiendi ex partibus modum* spectat, de eo sequentes notandæ sunt regulæ. (1.) Si totum aliquod, quod ex aliquibus compositum est, definitur, *ea autem, per quæ totum istud definitur,*

ita ſe habent, ut ex iis componi nihil planè poſſit, definitio falſa eſt & vitioſa; v. c. malæ ſunt definitiones albi, quod ſit compoſitum ex igne & colore, aquæ fervidæ, quod ſit mixta ex atomis igneis & aqueis &c. omnia enim hæc nec miſceri posſunt, nec quicquam ex iis componi. (2.) Si *totum, quod definitur, in uno aliquo ſubjecto primo vel hac hujus ſubjecti parte ſit, partes verò, ex quibus in definitione conſtare dicitur, in eodem primo ſubjecto aut eadem illius ſubjecti parte non ſint*, definitio eſt vitioſa, quia ſemper in quo ſubjecto ſunt partes, in eo etiam eſt totum, & contra, in quo eſt totum, in eo etiam ſunt partes; v. c. non rectè definitur prudentia, quod ſit habitus ex fortitudine & temperantia compoſitus, prudentia enim eſt virtus intellectualis, quæ eſt in parte animæ rationali, fortitudo autem & temperantia ſunt virtutes morales, quæ ſunt in parte animæ irrationali, nempe in appetitu ſenſitivo, & fortitudo quidem in iraſcente ejus parte, temperantia verò in appetente. (3.) Si *ſublato toto, quod definitur, partes etiam, ex quibus in definitione conſtare dicitur, unà tolluntur*, definitio vitioſa eſt, toto enim ſublato non oportet perimi ſimul partes, quamvis partibus ſublatis, totum quoqve perire necesſe ſit, ut ex domo patet, quâ peremptâ non ſtatim pereunt quoqve ligna, lapides, lateres &c. at his ſublatis totum, nempe domum etiam perire oportet; v. c. malæ ſunt definitiones, corpus eſt, quod conſtat ex ſuperficiebus, ſuperficies eſt, quæ conſtat ex lineis,

linea eſt, quæ conſtat ex punctis &c. perempto enim corpore, tollitur quoqve ſuperficies, & ſublatâ ſuperficie tollitur etiam linea, ac tandem ablatâ lineâ, tolluntur & puncta, cum nec ſuperficies extra corpus, nec lineæ extra ſuperficiem, nec puncta extra lineam eſſe poſſint ac eapropter, ſi illa perierint, ipſa quoqve perire oportet. *Non tamen de omnibus totis ac partibus, aut de toto & partibus quomodocunq; conſideratis intelligenda eſt hæc hujus loci pars*, cum non de omnibus verum ſit, quod perempto toto maneant & non intereant partes, ſed notandum eſt, *partes alias eſſe quantitatis*, quæ totum quantum reddunt & ad materiam ejus referuntur, *alias verò eſſe inſtrumentarias*, quibus totum ratione formæ ſuæ vel ſecundum formam ſuam utitur ceu inſtrumentis ad opera ſua à naturâ præfinita feliciter exſequenda, quæ partes eapropter non ſolius ſunt materiæ, ſed ad formam quoqve totius aliquatenus referuntur, quæqve non faciunt, ut totum ſit quantum, ſed ut promptum ſit ad actiones naturæ & eſſentiæ ſuæ accommodatas expeditè obeundas; *prioris generis partes* ſive tantùm quantitatis partis ſint & materiæ, ut elementa in vocibus, & ligna ac lapides in ædificiis, ſive & quantitatis & inſtrumentariæ partes ſimul ſint, ut manus, pes, thorax &c. quæ in homine & quantitatem efficiunt & prætereà ſimul inſtrumentorum vicem gerunt, *omnes tamen & illæ & hæ, quatenus ut quantitatis partes conſiderantur, ita ſe habent, ut perempto toto quanto,*

non

non necessariò pereant & ipsæ, sed manere possint, sicuti si perit domus, manere possunt ligna, lapides &c. si perit vox aut dictio, manere possunt a, b, & reliqua elementa, si perit homo aut corpus ejus dissolvitur, superesse tamen possunt post interitum totius partes v. c. digitus, pes, crus, brachium &c. quatenus hæc ut quanta vel quantitatis partes accipiuntur, quod *præsertim in iis totis quantis evidens est,* quorum partes ante compositionem actu separatim ab invicem ac seorsim existunt ac posteà demum ad constituendum totum coaptantur, in his enim, uti partes diu ante totum sunt, ita etiam post totum manent ac perinde perempto toto non intereunt, de quibus totis & partibus eapropter hæc hujus loci pars intelligenda erit: at verò contra, *partes instrumentariæ pereunte toto remanere & superesse non possunt, quatenus scilicet instrumentariæ sunt,* & non respectu solius quantitatis, ut antè, considerantur, id quod expresè docet philosophus *lib. 4. Meteor. c. ult.* ubi ait, perempto homine, qui totum instrumentarium est, perire omnes ejusdem partes, non quidem quod quantitas & materia manus, pedis, brachii &c. statim pereat, id enim non fieri jam antè dictum est, sed quod hæ partes non amplius sint ac maneant vel pes, vel manus, vel brachium, seu quod non amplius sint ac maneant instrumenta, nec manus, pes, brachium &c. dici possint, nisi æquivocè, cum munere suo, ad quod tanquam instrumenta à naturâ sunt ordinata, perempto toto,

fungi amplius non valeant, ut pes mortuus vel manus mortua non magis dici possint hoc nomine quàm pes pictus aut manus picta, quarum partium ratio itaqve adeò à toto ejusqve formâ dependet, ut pereunte toto & ablatâ formâ ejus & ipsas illico perire necesse sit. *Conf. lib. 1. de part. animal. c. 1. lib. 2. de gen. animal. c. 1. lib. 1. Pol. c. 2. & alia loca plura.* (4.) Si *totum, quod definitur, bonum aut malum est, partes verò ex quibus constare in definitione dicitur, neq; bonæ sunt neq; malæ, aut contra, si totum nec bonum nec malum est, partes autem vel bonæ sunt vel malæ*, definitio vitiosa est, debent enim totum & partes ejusdem naturæ & rationis esse, *lib. 1. de Cœlo c. 3.* neqve fieri potest, ut ex partibus, quæ vel bonæ vel malæ sunt, tale constituatur totum, quod neutrum sit, aut ex partibus neutris, totum vel bonum vel malum fiat; v. c. vitiosa est definitio, liberalitas est habitus ex divitiis & affectu, vel instinctu eas inter alios distribuendi constans, liberalitas enim bona est, partes verò in definitione positæ neutrius generis sunt, nec bonæ nec malæ, habitus enim in se nec bonus est nec malus, sed bonus tum fit, quando comparatur ad rectam rationem, malus, quando à ratione abit, ita quoqve divitiæ, ut & affectus iste per se nec laudem merentur nec vituperium, sed bona tum demum fiunt, quando ad ea accedit virtus, mala, quando vitiis contaminantur, id quod de distributione divitiarum quoqve dicendum est: neqve benè definitur beatitudo, quod sit totum ex sanitate, pulchritu-

chritudine, robore, abundantiâ, potentiâ &c. constans, iterum enim totum, quod definitur bonum est, partes verò, ex quibus constare dicitur, neutræ sunt, nec bonæ nec malæ. (5.) Si *partium, ex quibus totum constare in definitione dicitur, altera sit bona, altera mala, ita tamen ut illa sit magis bona, quàm hæc mala, totum verò definitum magis bonum quàm malum non sit*, definitio iterum ex causâ proximè dictâ, vitiosa erit; v. c. sit definitio, impudentia est totum ex fortitudine & falsa opinione constans, refutatur, quia ex partibus positis fortitudo magis bona est, quàm falsa opinio mala est, totum definitum vero, nempe impudentia magis bona quàm mala non est, sed tantùm mala existit. Notandum hîc est *& hanc & præcedentem hujus loci partem non esse intelligendam de aliis bonis vel malis, quàm iis, quæ sunt per se talia*, in his enim hæ hujus loci partes & rationes earum datæ tantùm valent; secus autem si ea quoqve spectare volumus, quæ per se nec bona nec mala sunt, bona vel mala verò ideò dicuntur, quia horum efficientia sunt, fieri sæpè potest, ut ex partibus non bonis, bona, & ex non malis mala, aut etiam neutra vel indifferentia tota efficiantur, quemadmodum v. c. ex duobus medicamentis, quæ seorsim ac separatim bona sunt, si tamen permisceantur, totum inde fit malum, quod nocet & sanitati obest, alia verò cum separatim existunt, mala sunt, si tamen tanquam partes permisceantur, totum quod ex his constat, bonum est

&

& sanitatem juvat. (6.) Si *totum, quod definitur, ex talibus partibus in definitione constare dicitur, quarum altera melior est, altera verò deterior, totum verò deteriore parte melius, & meliore deterius non est,* definitio erit vitiosa, oportet enim in tali casu totum parte suâ meliori deterius & deteriore melius esse, non aliter ut electrum ex auro & argento factum, auro deterius, argento verò melius existit; v. c. sit definitio, liberalitas est totum ex prodigalitate & avaritiâ, harumqve contemperatione constans, refutatur, quia ex his partibus prodigalitas melior est, avaritia verò deterior, *lib. 4. Eth. c. 3.* liberalitas autem parte meliori deterior non est, sed utrâqve hac parte melior est & eapropter per has partes rectè definita non est: ubi tamen rursus observandum est, hunc locum in iis tantùm valere, quæ per se sunt bona aut meliora, ac mala aut deteriora, ut in partibus hujus loci præcedentibus jam dictum est. (7.) Si *totum, quod definitur, ex talibus in definitione constare dicitur partibus, quibus synonymum est, vel cum quibus eodem dicitur nomine,* vera definitio non est, cum fieri non possit, ut totum & partes unum habeant nomen, quo appellentur, ut ex domo, navigio, homine & aliis hujusmodi *heterogeneis totis, quæ suprà lib. V. Dial. loc. 19.* definita sunt, & de quibus solis hic præsens locus intelligi debet, manifestum est; v. c. sit definitio, homo est ex mare & fœminâ, domino & servo, patre & filiis constans, refutatur, quia omnes hæ partes nomine

totius,

totius, nempe hominis, dici poſſunt, quod heterogeneis totis repugnat: unde nec virtus, quod exemplum *Alexandri* eſt, rectè definitur, quod ſit totum ex fortitudine, juſtitiâ &c. conſtans, eâdem de causâ. (8.) Si *totum in definitione ex aliquibus partibus componi dicitur, modus tamen compoſitionis non additur*, aut quomodo ex his partibus totum conſtet, non explicatur, definitio vitioſa eſt, non enim ſufficit, dicere, totum ex his vel illis partibus conſtare, ſed tum demum perfectè illud definitum erit, ſi ſimul explicatum fuerit, quomodo partes diſpoſitæ & conjunctæ ſint; v. c. ſit definitio, domus eſt totum ex lignis, lapidibus, lateribus &c. compoſitum, refutatur, quia non ſtatim domus erit, ſi hæ partes quomodocunqve conjungantur, ſed oportet illas certo aliquo modo conjungi & aptè diſponi, ut ſcilicet hæc ſupra, altera infra ponatur, hæc patula ſit, altera clauſa &c. qui modus compoſitionis in ipsâ definitione addi debebat: unde neqve benè liber definitur, quod ſit totum ex chartâ & membranâ, neqve mundus, quod ſit ſyſtema rerum omnium &c. utrobiqve enim modus compoſitionis partium omiſſus eſt, ſine quo tamen nec quid liber, nec quid mundus ſit, intelligi perfectè poteſt. (III.) Tandem ſequitur *tertius per partes definiendi modus*, quo aliquid dicitur eſſe *hoc cum illo*, quando altera pars de toto enunciatur in caſu recto, altera in obliquo; de quo modo Philoſophus ſequentia præcepta tradit. (1.) Si aliquid definitur eſſe *hoc cum*

hoc

hoc vel illo, idem eſt ac ſi dicatur , iſtud eſſe *hoc & hoc vel illud*, qui erat primus modus, aut idem eſt, ac ſi dicatur, *iſtud eſſe ex hoc & hoc vel illo*, qui erat ſecundus modus; hîc utrumvis dixerit adverſarius, reprehendi poterit propoſita ab ipſo definitio ex iis locis, qui antè ad modum primum & ſecundum dicti ſunt. (2.) Cum *tribus modis fieri poſſit, ut dicatur hoc cum hoc vel illo* eſſe, aut ſi ſit *in eodem ſubjecto*, quomodo triſtitia cum metu eſſe dicitur, quia in eodem cum ipſo eſt ſubjecto, nempe appetitu ſenſitivo, aut ſi ſit *in eodem loco*, quomodo diſcipulus cum præceptore eſſe dicitur, quia in eodem cum ipſo eſt loco, aut deniqve ſi ſit *in eodem tempore*, quomodo virtus cum invidiâ eſſe dicitur, quia quovis tempore virtutem invidia comitatur; inde *quando totum definitur eſſe hoc cum hoc, vel eſſe aliquid cum aliquo, hæc verò nullo ex prædictis modo conjuncta ſunt*, vitioſa erit definitio, v. c. non rectè definitur phantaſia, quod ſit opinio cum ſenſu, quia opinio cum ſenſu eſſe, nec ratione ſubjecti, nec ratione loci, nec ratione temporis dici poteſt, in alio enim ſubjecto primo eſt opinio, in alio ſenſus, in loco autem nec opinio nec ſenſus eſt, tempore quoqve alio ſentire posſumus, quo nihil opinamur, & alio opinari posſumus, quo nihil ſentimus: neqve benè definitur liberalitas, quod ſit intentio benefaciendi cum divitiis & benefaciendi mediis, intentio enim benefaciendi & media benefaciendi, ſæpiſſimè nec ſubjecto, nec loco, nec tempore conjuncta ſunt. (3.) Si in defini-

definitione totius, tertio hoc modo, *partes in eodem quidem sunt tempore, non tamen ad eundem referuntur finem*, vitiosa est definitio; v.c. sit definitio, fortitudo est audacia cum rectâ ratione, fieri enim potest, ut eodem tempore conjuncta sint, audacia rapiendi vel spoliandi, & recta ratio in conficiendis medicamentis, hæ autem partes ad eundem finem non referuntur, ac per consequens, qui has partes habet, neutiquam inde fortis appellatur, ac proinde definitio bona non est. (4.) Si partes in definitione positæ *& simul tempore sunt & ad eundem etiam referuntur finem, non tamen ad illum, ad quem totum definitum refertur*, iterum definitio vitiosa erit; v.c. sit definitio, fortitudo est confidentia in propinandis medicamentis, cum peritiâ rerum salubrium, refutatur, quia utut hæ partes, nempe confidentia porrigendi medicamenta & peritia salubrium, simul sint tempore & præterea ad eundem referantur finem, nempe sanitatem, non tamen finis hic ille est, ad quem refertur totum definitum, scilicet fortitudo, hæc enim ad felicitatem civilem refertur, quæ aliud est à sanitate, ac eapropter cum definitionem & definitum ad eundem semper oporteat referri finem, id autem hîc non fiat, evidens est, allatam definitionem vitiosam & nullam esse. (5.) Si totum quoddam definitur esse aliquid cum aliquo & tamen *partes definitionis non notant vel significant cum aliquo vel cum hoc esse, sed potius propter aliquod aut propter hoc esse*, vitiosa erit

defini-

definitio, quia idem non eſt, eſſe cum aliquo & eſſe propter aliquod, ut inductione patet; v. c. ſit definitio, ira eſt ægritudo cum opinione contemptus, refutatur, quia ægritudo hæc non cum opinione contemptus eſt, ſed propter opinionem contemptus, aut ex opinione contemptus, ideò enim aliquis ægrè quidpiam fert, quia ſeſe contemni vel deſpici putat ac propterea iraſcitur, ut opinio iſta nihil aliud ſit, quàm ipſa ægritudinis & iræ cauſa. (6.) Si quis totum definit eſſe aliquid cum aliquo, vel hoc cum hoc, & *non declarat modum, quo totum iſtud hoc cum hoc eſt*, is non benè definit, quia ſicuti ſupra in modo ſecundo *num. (8.)* addendum erat, quomodo totum ex hoc & hoc compoſitum ſit, ita & hîc neutiquam omittendum eſt, quomodo totum, hoc cum hoc dicatur; v. c. ſit definitio, caro eſt concretio vel compoſitio terræ cum aëre igne & aquâ, refutatur, quia non additur motus concretionis vel compoſitionis, neqve declaratur, quomodo caro ſit concretio terræ cum aëre, &c. non enim ſi terra quomodocunqve eſt cum reliquis elementis, ſtatim totum, quod ex his partibus oritur, caro eſt, ſed poteſt eſſe os aut aliud tale, unde cum modo concretionis & compoſitionis hæc differant, quid tota hæc ſint, intelligi planè non poteſt, niſi modus ille concretionis in definitione expreſsè addatur, quod quia in datâ definitione factum non eſt, ea utiqve vitioſa erit: cui & illud adde, *non benè carnem dici concretionem*, concretioni enim aliquid contrarium eſt, nempe diſſolu-

dissolutio, carni autem nihil contrarium est, rectiusqve caro concretum dicitur, quam concretio, nisi quis omne concretum vel compositum concretionem aut compositionem dicere velit, quod tamen fieri non posse, inductione constat.

39. *à contrariis in eodem subjecto.* Si aliquid, *quod contrariorum capax est*, vel quod duo contraria suâ naturâ recipere potest, definitur, & verò *in Definitione unius solùm contrarii mentio fit*, falsa est definitio, si enim per unum tantùm contrarium definiri potest, pari jure definiri poterit etiam per alterum tantùm, atqve ita plures erunt unius ejusdemqve rei definitiones, cum tamen una tantùm sit cujuslibet rei essentia, quod absurdum est; v. c. sit definitio, materia est subjectum caloris & siccitatis capax, refutatur, quia non caloris tantùm, sed & frigoris quoqve, nec siccitatis solùm, sed & humiditatis capax est, atqve hæc contraria æqve per naturam suam recipere potest. Atqve *hi sunt loci, ex quibus, an definitio bona sit nec ne? examinari potest*, quibus locis quomodo præcipuè ad refutandum uti debeamus, Aristoteles quatuor præceptis docet (1.) si *non suppetit argumentum vel locus*, ex quo totam & integram definitionem, omnesqve ejus partes simul evertere possumus, vel genus, vel aliquam ex differentiis, atqve ita *partem quandam definitionis seorsim aggrediamur*, eamqve evertere conemur: nam & unicâ parte confutatâ, tota definitio sublata erit. (2.) Si *obscura est definitio,*

nitio, ut non facilè appareat, quinam loci adversus eam valeant, vel non valeant, *traducenda ea erit ad illustriora & clariora verba*, & si iste, qui proposuit eam, mutare aliquid nolit, ipsi nos mutare, quicquid videbitur, debemus; aut enim cogetur respondens assumere ea, quæ à nobis dicta sunt, aut ipse clarius, quod definitur, explicare tenebitur, nisi malitiosus & protervus disputator haberi velit: atqve hoc ubi factum est, facilius deinceps applicare locos & invenire argumenta quivis valebit. (3.) Quemadmodum in concionibus lege meliori latâ tollitur prior, ita quoqve faciendum est in definitionibus; propositâ enim aliquâ definitione, si aliunde adversus eam nulla suppetunt argumenta, *opera danda est, ut adferre meliorem possimus*: ita enim allata ista prior sublata erit. (4.) Quàm maximè opus hîc est *privato exercitio*, quiqve refutare feliciter definitiones cupiunt, prius easdem domi ad locos supra expositos examinare debent; ita enim examinatæ definitiones deinceps nobis exemplo erunt, quâ ratione in aliis definitionibus sit versandum: facilius quoqve evertere poterimus propositas definitiones, majoriqve instructi erimus argumentorum copiâ, si sæpius privata hujusmodi definitionum examina à nobis fuerint instituta. Sed satis de locis definitionis & Lib. VI. Topicorum.

LIBER SEPTIMUS.

DE
LOCIS EJUSDEM ET DIVERSI.

QUidnam & quotuplex sit *idem & diversum*, ut & quid ac quotuplex sit *quæstio vel problema Ejusdem & diversi?* cur hic de problemate ejusdem & diversi sit tractandum? an locum obtineat & *quemnam inter problemata dialectica obtineat quæstio ejusdem ac diversi*, & *cur ea ad problema definitionis referatur?* quæqve *ejusdem ac diversi significatio obtineat*, quæ non obtineat? id omne *ex lib. I. Dial. cap. II. §. 5.* jam constat, ac proinde nihil restat, quàm ut ipsos locos, sequenti ordine, aggrediamur.

Locus 1. *à casibus & conjugatis*. Quorum *casus & conjugata sunt eadem*, *illa ipsa eadem quoq; erunt*, quorumqve casus & conjugata *diversa* sunt, illa quoqve *diversa* esse oportebit; v. c. idem sunt sapientia & philosophia, quia idem sunt, sapienter ac philosophicè, sapiens ac philosophus &c. minimè verò idem sunt fortitudo ac temperantia, quia non idem sunt, fortis & temperans, fortiter ac temperanter &c.

2. *ab oppositis*. Quorum *opposita*, *sive ea contraria fuerint*, *sive alius generis*, *sunt eadem*, *ea*

quoque eadem erunt, & quorum opposita sunt diversa, illa etiam diversa erunt; v.c. idem sunt candidum & album, quia opposita horum idem sunt, nempe atrum & nigrum: non verò idem sunt, analytica & dialectica, quia opposita, nempe pseudographica & sophistica idem non sunt, neqve idem sunt ἔνδοξον & verum, quia non idem sunt ἄδοξον & falsum.

3. *à generatione & corruptione, vel ortu ac interitu, ut & efficientibus & corrumpentibus causis.* (1.) *Quorum causæ efficientes & corrumpentes sunt eædem, illa eadem sunt, quorum diversæ, illa diversa;* v.c. scorbutus & morbus lienis idem sunt, quia easdem causas generantes & easdem corrumpentes habent: prudentia verò & scientia de prudentiâ idem non sunt, quia non habent easdem causas generantes, prudentia enim usu & actionibus comparatur, scientia verò disciplinâ & ex libris obtinetur. (2.) Quorum *ortus & interitus idem est, illa eadem sunt, quorum diversus est, ea ipsa quoque diversa erunt;* v. c. idem sunt febris & calor præternaturalis in corde, una enim eademqve est utriusqve generatio, & una est corruptio: intellectus verò & sensus idem non sunt, sensûs enim ortus dependet à materiâ, intellectûs non dependet à materiâ, sed iste forinsecus accedit, *lib.2.de gen.anim. c.3.* sensus corrupto corpore corrumpitur, intellectus autem superstes manet & corrupto jam corpore adhuc vivit. *lib.3. de animâ c.6.*

4. *ab*

4. *ab attributo secundum superlativum gradum. Quibus idem attribui potest superlativus, illa eadem sunt*, quod enim in quocunqve genere maximè vel in superlativo tale est, id unum est, ut inductione constat, quibus verò attribui non potest, illa sunt diversa; v. c. idem est felicitas & beatitudo, quia utraqve rectè dicitur bonum omnium summum, quod autem summum est inter bona, id unum est, quâ ratione Xenocrates etiam probare voluit, vitam beatam & virtuosam vel probam esse eandem, quia utraqve maximè est expetenda, id autem quod maximè tale est, unum est: idem verò non sunt scientia & syllogismus, quia scientia in hoc genere optimum est & per se expetibile, syllogismo autem hic superlativus tribui non potest, neqve enim is optimum quid est, sed propter scientiam expetitur, tanquam propter finem suum, cujus gratiâ factus est. Notandum tamen est, *in confirmatione hunc locum non esse universalem*, cum non rectè concludatur, Peloponnesii & Lacedæmones Græcorum sunt fortissimi, ergò sunt statim iidem; *non enim hîc de populo & re numero eadem sermo instituitur, quod tamen necessarium est ad id, ut locus hic rectè concludat, sed alter populus sub altero continetur*, Lacedæmonii nempe sub Peloponnesiis, quia Lacedæmon Laconicæ urbs est in Peloponneso, *apud Strab. lib. 8. Geogr.* quamobrem neqve Xenocratis ante posita consequentia valet, quia *vita proba vel virtuosa sub vitâ beatâ continetur ac compreben-*

prehenditur & eapropter eadem cum vitâ beatâ non est.

5. *à communi aliquo tertio.* Si duo proposita, de quibus quæritur, an idem sint, *cum uno communi tertio sunt eadem, etiam inter se eadem erunt, si verò alterum eorum cum tertio isto idem non est, neq; duo ista proposita inter se eadem erunt*; v. c. magnitudo & corpus sunt idem, quia cum uno communi tertio eadem sunt, quod est trina dimensio, & magnitudo enim tria dimensio est, & corpus trina dimensio est, idem quoqve sunt propositio logica & dialectica, quia cum uno tertio idem sunt, quod est ἔνδοξον, nam & propositio logica ἔνδοξος est, vide *lib. 1. Post. Anal. c. 22. & 32. lib. 8. phys. c. 12. & alibi passim*, & propositio dialectica ἔνδοξος est, uti ex lib. 1. Dial. c. III. §. 4. constat: minimè verò idem sunt pædia & analytica, quia cum uno communi tertio idem non sunt, quod est habitus discentis, quo judicat, an præceptor rectè doceat, nec ne? utut enim pædia idem sit cum tali habitu, *l. 1. de part. Anim. c. 1.* analytica tamen cum eo idem non est, quippe quæ habitus docentis vel docendi ars est, ut ex fine ejus, & iis, quæ *supra in prolegom. part. quart. §. 4.* dicta sunt, patet.

6. *à subjecto & accidente.* (1.) *Quæ non sunt subjecta unius accidentis, vel quibus idem aliquod accidens non convenit, illa inter se eadem non sunt*; v. c. voluntas & proæresis non sunt idem,

idem, quia voluntas etiam impossibilium est, proæresis verò non est, *lib. 3. Eth. c. 4.* prudentia & scientia de prudentiâ idem non sunt, quia illa usu & actione paratur, hæc verò actione non acquiritur, sed disciplinâ obtinetur. (2.) *Quæ uni eidemq; subjecto inexistere non possunt, sed diversorum subjectorum accidentia sunt, ea ipsa quoq; non eadem, sed diversa erunt;* v. c. virtus & scientia idem non sunt, quia non eidem sed diversis insunt subjectis, virtus enim in appetitu sensitivo est, scientia in anima rationali: ars vel prudentia, & scientia de arte vel prudentiâ, idem non sunt, quia sæpius hæc in aliis, illa verò iterùm in aliis, raró utraqve in iisdem reperitur.

7. *à categoriâ.* Quæ *in diversis sunt categoriis, illa eadem non sunt;* v. c. anima & numerus seipsum movens, idem non sunt, quia anima est in categoriâ substantiæ, numerus autem in categoriâ quantitatis: neqve amor & amicitia idem sunt, quia amor est in categoriâ passionis, amicitia verò in eâ non est, sed ad prædicamentum relationis refertur.

8. *à genere.* Si duo, de quibus quæritur, an idem sint, in unâ quidem sunt categoriâ, *non tamen sub uno proximo genere, ea unum & idem non erunt;* v. c. justitia & scientia idem non sunt, quia utut in eadem sint categoriâ, nempe qualitatis, sub eodem tamen genere proximo non sunt, justitia enim sub virtute morali, scientia autem sub virtute intellectuali continetur: neqve idem

ſunt Analytica & dialectica, quia hujus genus proximum talis ars eſt, quæ propriè δύναμις vocatur, illius verò genus ars ea non eſt.

9. *à differentiâ.* Quæ genere proximo quidem conveniunt, *diverſas tamen ſub eodem genere habent differentias, illa idem non ſunt*; v. c. idem non ſunt πρᾶξις & ποίησις, quia utut unum proximum genus habeant, diverſas tamen ſub eo habent differentias, *lib. 6. Eth. c. 5. lib. 1. Pol. c. 4.* & alibi paſſim: neqve idem ſunt, muſica mathematica & vulgaris illa practica, quia utut genere proximo conveniant, multis tamen differentiis conſtant, quod etiam in geometria ac geodæſiâ & aliis talibus obſervare licet.

10. *ab intenſione & remisſione.* (1.) Quæ ita ſe habent, *ut unum recipiat magis & minus vel intenſionem & remisſionem, alterum verò non recipiat*, illa idem non ſunt; v. c. ſubſtantia rei & calidum ejus innatum idem non ſunt, quia calidum magis & minus recipit, ſubſtantia verò non recipit: neqve ars & ſyſtema præceptorum idem ſunt, quia illa magis & minus recipit, hoc autem non admittit. (2.) Si utrumqve quidem admittit intenſionem & remiſſionem, *at non ſimul, vel ita, ut intenſionem vel remisſionem unius non ſequatur intenſio vel remisſio alterius*, iterum illa idem non erunt; v. c. eruditio & admiratio non ſunt idem, quia intenſionem eruditionis non ſequitur intenſio admirationis, ſed contra potius, quò magis quis eruditus eſt, eò minus admiratur,

cum omnis admiratio ex ignorantiâ proficiſcatur. *lib. 1. Metaph. c. 2.*

11. *ab adjectione.* Quæcunqve *uni eidemq; rei addita, eam non eandem faciunt, ſed diverſam*, illa eadem non ſunt; v. c. prudentia & calliditas idem non ſunt, quia uni eidemqve, v. g. Alcibiadi additæ, non faciunt Alcibiadem unum eundemqve, ſed illa quidem bonum & probum, hæc verò verſutum & fraudulentum illum reddit: neqve idem ſunt ſummum bonum & voluptas, quia ſi uni eidemqve homini addantur, totum unum idemqve non faciunt, cum homo ſummum bonum poſſidens felix & beatus, idem autem homo voluptatibus deditus miſer exiſtat.

12. *à detractione.* Si à duobus, de quibus quæritur, an eadem ſint, *unum idemq; detrahitur, id verò, quod utrobiq; remanet, unum non eſt*, tum neqve duo iſta eadem dici poterunt; v. c. virtus & divitiæ idem non ſunt, cum enim virtus ſit expetenda propter ſe, divitiæ verò expetantur propter aliud, inde ſi id quod verè idem eſt, nempe expetendum, utrobiqve detrahatur, quod remanet, nempe propter ſe & propter aliud, idem non eſt, ac eapropter neqve virtus & divitiæ idem dici poterunt.

13. *ab hypotheſi aut pacto vel fictione.* Si ex duobus, quæ eadem dicuntur, *impoſſibile aliquod vel abſurdum ſequitur, aut ſimpliciter, aut ex fictione & propter initum cum adverſario pactum ac per hypotheſin quandam*, tum eadem,

duo ista proposita, non erunt; v. c. pertinacem & constantem esse, non est idem, quia inde sequeretur absurdum aliquod, nempe honestum & inhonestum esse idem, quod fieri non potest: neqve idem est vacuum & aëre plenum, si enim fingamus per hypothesin, aut supponamus, aërem ex vase, quod vacuum esse dicebatur, exire, sequeretur inde, illud amplius non esse vacuum, vel non adeò vacuum esse, cum tamen contra tum, magis vacuum sit dicendum.

14. *ab attributis & subjectis, horumq; discrepantiâ.* (1.) Quæcunqve *de iisdem non prædicantur, illa eadem non sunt*; vel *quæcunq; diversa & discrepantia habent subjecta*, illa eadem non sunt, quæ enim eadem sunt, illa oportet in uno eodemqve esse subjecto vel de uno eodemqve dici, ut inductione patet; v. c. intelligere & sentire idem non sunt, quia idem subjectum non habent, aut non de eodem dicuntur, sentire enim de omnibus animalibus dicitur, de quibus alterum, nempe intelligere, non dicitur, quippe quod soli homini inest: neqve sponte & ex proæresi agere idem sunt, quia istud & de brutis ac pueris dicitur, hoc autem iis non competit, sed iis solis tribuitur, in quibus perfectus est rationis usus. *lib. 3. Ethic. c. 4.* (2.) De quibus *eadem non prædicantur, vel quorum diversa & discrepantia sunt attributa*, illa eadem non sunt, eorum enim, quæ verè eadem sunt, eadem quoqve oportet esse prædicata, ut iterum inductione constat; v. c. invi-

dentia & misericordia idem non sunt, de illâ enim prædicatur, quod sit ægritudo ex alterius prosperitate concepta, de hac verò, quod sit ægritudo ex miseriâ proximi orta: neqve idem sunt Dialectica & Analytica, quia de illâ dicitur, quod sit ars disputandi, de hac autem, quod sit habitus docendi.

15. *à variis ejusdem significationibus.* Cum idem multis modis dicatur, vel genere, vel specie, vel analogiâ &c. *vid. supr. lib. 1. Dial. cap. 2. §. 5.* inde, si duo aliqua in thesi fuerint proposita, de quibus quæritur, an eadem sint, dispiciendum est, *an alio aliquo modo, nempe vel genere solo, vel solâ tantùm specie, vel analogiâ eadem sint*, id enim si fuerit, verè ac simpliciter, id est, numero eadem non erunt; v. c. prudentia & scientia de prudentia idem non sunt, solo enim genere, quod est habitus, conveniunt, in aliis multis verò differunt; neqve eadem dici possunt, mendacium dicere ac mentiri, quia utut utrumqve sub falso comprehendatur, hoc tamen intentionem decipiendi involvit, illud autem eâ caret: sic pietas Aeneæ & amor Alphonsi Arragoniæ Regis, erga Anchisen & Ferdinandum, genitores suos, simpliciter idem non sunt, quia solâ conveniunt specie, subjecto autem, tempore, loco, & aliis multis circumstantiis à se invicem discernuntur: neqve vespera diei & senectus vitæ idem sunt, quia solâ analogiâ conveniunt, in aliis verò infinitas ferè differentias admittunt.

16. à

16. *à sejunctione vel separatione.* *Quæ sejungi à se invicem & separatim vel alterum sine altero consistere possunt*, illa eadem non sunt, idem enim à se ipso distrahi vel sejungi non potest; v. c. prudentia & scientia de prudentiâ idem non sunt, quia scientia hæc esse potest sine ipsâ prudentiâ, multi enim sciunt, quod & quomodo prudenter sit agendum, cum tamen ipsi non ita, sed aliter planè & contra agant: neqve idem sunt Analytica & Dialectica, quia dialectica esse potest sine Analyticâ, & hæc esse potest sine illâ.

Atqve hi sunt loci, ex quibus, an aliquid cum aliquo idem sit an diversum? examinari potest, qui *partem quasi constituunt locorum ad problema definitionis spectantium*, uti ex *lib. 1. Dial. c. 2. §. 5.* patet; quibus tamen uti possumus tantùm *ad refutandam aliquam definitionem*, vel ad ostendendum, allatam definitionem non esse definitionem, quia si probatur, allatam definitionem cum allato definito non esse idem, evictum jam est, definitionem esse vitiosam, cum definitionem & definitum idem planè declarare oporteat: *ad confirmandam verò definitionem loci ejusdem & diversi planè inutiles sunt*, quia non sequitur, hæc vel illa oratio idem planè significat cum definito, ergò statim ejus vera est definitio, plura enim sunt, quæ ad legitimam definitionem requiruntur, quàm ut idem cum definito significet, ut nempe sit constituta ex notioribus & prioribus, ut declaret ipsam essentiam, & si quæ plura hujus

gene-

generis ſunt, de quibus *lib. VI. Topicor.* fuſius dictum eſt. Quod autem in genere *confirmationem definitionum* concernit, notandum eſt, *aut nemi- nem aut certè paucos admodum definitiones ſyllogiſmo probare* & concludere, ſed cunctos easdem tanquam principia evidentia ſtatim ab initio ponere ſine omni probatione, ut ex omnibus ferè diſciplinarum generibus, inprimis ex Arithmeticis Diophanti ac Boëthii, elementis Geometriæ Euclidis, ex Conicis Apollonii, Sphæricis Theodoſii & aliis ſcientiis mathematicis patet. Sed neqve hujus loci aut præſentis propoſiti eſt, exquiſitè & accuratè docere de definitione, quid & quotuplex ea ſit, quibusqve modis & quâ arte, ut & ex quibus ſit definiendum; verum alibi id præſtitum eſt ab Ariſtotele, nempe lib. 2. Poſter. Anal. c. 8. 9 10. 13. & aliis in locis, in quibus ſimul fusè probatum eſt, definitionem ratione & ſyllogiſmo, intellige demonſtrativo & neceſſario, concludi aut inferri nullatenus poſſe: hîc tamen, ubi tractatio de definitione adeò ſubtilis & exquiſita non eſt, verùm rudior propoſito noſtro ſufficit explicatio, affirmare licebit, *definitionem ſyllogiſmo etiam, ſcilicet dialectico & probabili*, inferri & concludi utiqve posſe. Cum enim definitio ſit oratio explicans esſentiam rei, & ea ſolùm contineat, quæ de definitâ re esſentialiter ac in quid eſt prædicantur, in quid eſt verò ac esſentialiter dicantur genus & differentia, illud quidem abſolutè & ſimpliciter, hæc verò cum addito, in quale quid, ut ex defi-

definitionibus generis & differentiæ conſtat; inde quæcunqve oratio talia tantùm, quæ rei definitæ eſſentialia ſunt, complectitur, vel quæcunqve oratio verum rei genus, verasqve continet differentias, illa rei iſtius vera erit definitio: atqve ita patet, definitionem ſyllogiſmo concludi ac dialecticè confirmari poſſe. Loci dialectici verò ad probandam definitionem utiles, ex quibus, *an oratio aliqua ea quæ rei eſſentialia ſunt, contineat nec ne?* aut an verum rei genus, verasqve ejusdem complectatur differentias, nec ne? pateſcat, ſunt ſequentes.

1. *à contrariis & oppoſitis*, quæ vel in totâ definitione, vel in ſingulis ejusdem partibus, genere nempe & differentiis ſpectari poſſunt. I. De *totâ definitione* locus eſt hujusmodi. Si *oratio propoſitæ definitioni contraria eſt vera definitio ejus, quod propoſito definito contrarium eſt*, etiam propoſita oratio propoſiti definiti vera & genuina definitio erit; v. c. ſit propoſita definitio, virtus eſt habitus in mediocritate poſitus, confirmatur, quia vitium, quod virtuti contrarium eſt, eſt habitus mediocritatem excedens vel ab eâ deficiens, quæ oratio contraria eſt propoſitæ definitioni. II. Quando non integra definitio ſimul, ſed *per partes probanda eſt*, ex præſente loco argumentum duci poteſt. (1.) *à genere*, quod verum eſſe, tali modo probatur. Si *contrarium propoſiti definiti eſt ſub contrario propoſiti generis, ipſum verò propoſitum definitum ſub eodem*

hoc contrario non est, certè erit sub altero contrario, nempe sub ipso genere proposito, atqve ita definitionem, verum rei genus continere, probatum erit; quia omnia contraria, quæ sunt sub genere aliquo, aut sub eodem sunt genere, ut virtus & vitium sub habitu, aut sub contrariis generibus, ut justitia & injustitia sub virtute & vitio: tertius autem contrariorum modus, qui additur ab autore libri Categor. c. 10. quo quædam contraria dicuntur esse ipsa genera, ut bonum & malum, huc non spectat, quia in præsenti solùm de iis contrariis, quæ sub genere sunt, hoc est, de speciebus contrariis, non verò de ipsis generibus contrariis sermo est, quod ex connexione propositionum hujus contextûs patet, ut ea omnia, quæ à *Nicostrato & aliis apud Simplic. in l. c. lib. Categor. p. 149. ut & ab Ammon. in l. c. p. 118.* adversus tertium hunc contrariorum modum adferuntur, taceamus. Sit itaqve definitio, temperantia est virtus in gustu & tactu mediocritatem servans, probatur verum in eâ contineri genus, quia contrarium propositi definiti, nempe intemperantia, est sub contrario propositi generis, nempe sub vitio, ipsum verò propositum definitum, temperantia, sub eo, scilicet vitio, non est, ergò, sub altero contrario, nempe proposito genere, virtute erit, ac per consequens, definitio hæc, quantum ad genus pertinet, probata & confirmata erit. (2.) *à differentiis*, quas rectè sese habere, ita confirmari potest. Si *id, quod propositæ differentiæ contrarium*

rium eſt, eſt differentia ejus, quod propoſito definito contrariatur, etiam propoſita differentia propoſiti definiti vera differentia, atqve ita definitio ipſa confirmata erit, quia ut inductione conſtat, contrariorum differentiæ quoqve contrariæ ſunt; quod tamen de iis tantùm contrariis, quæ ſub uno genere continentur, intelligendum eſt, in his enim hæc ratio valet, in iis verò contrariis, quæ ſub diverſis generibus comprehenduntur, fieri aliquando poteſt, ut contrariarum ſpecierum una eademqve ſit differentia, v. c. juſtitia & injuſtitia ſunt contraria ſub diverſis generibus, virtute & vitio, unâ tamen aliquâ eademqve conſtant differentiâ, cum utraqve ſit in animâ vel appetitu, cujus illa virtus, hæc vitium eſt, quâ differentiâ à virtutibus & vitiis corporis diſcernuntur: unde ut regula hæc univerſalis fiat, dicit Ariſt. contrariorum aut contrarias aut easdem eſſe differentias, eâqve de causâ, ſi quod propoſitæ differentiæ contrarium eſt, differentia eſt ejus, quod propoſito definito contrarium eſt, ipſius verò propoſiti definiti differentia non eſt, certè altera contraria differentia, ea nempe, quæ propoſita eſt, propoſiti definiti vera differentia ac definitio confirmata erit. Sit itaqve definitio, albedo eſt color disſipans vel disgregans viſum, probatur, quia id quod contrarium eſt poſitæ differentiæ, nempe τὸ congregans viſum, eſt differentia ejus, quod propoſito definito contrarium eſt, ſcilicet nigredinis, ac propterea cum nigredo & albedo ſub

uno

uno ſint genere, colore, & proinde contrarias habeant differentias, nigredinis verò differentia ſit congregare viſum, neceſſariò albedinis differentia erit disgregare viſum, atqve adeò propoſita definitio, quantum ad hanc differentiam ſpectat, ſeſe rectè habebit. Definiatur porrò juſtitia, quod ſit virtus animi ſuum cuiqve tribuens, probatur ejus differentia, quia quod propoſitæ differentiæ contrarium eſt, nempe ſuum cuiqve non tribuere, eſt differentia ejus, quod poſito definito contrarium eſt, nempe injuſtitiæ, ipſius autem propoſiti definiti, ſcilicet juſtitiæ, differentia dici non poteſt, atqve ſic una utriusqve contrarii differentia non eſt, ut aliquando contingit, ergo contrariam, nempe propoſitam differentiam, contrarii nempe propoſiti definiti differentiam eſſe oportebit, ipſaq; definitio confirmata erit. Poſtquam itaqve probatum eſt, & genus & differentias propoſitæ alicujus definitionis rectè ſeſe habere, utiqve tota definitio bona erit, quippe quæ ex aliis, quàm ex genere & differentiis, non conſtat; atqve ita à partibus ſingulis ſeorſim confirmatis, ad totius definitionis confirmationem progredi, eandemqve inferre licet: quæ ſecunda hujus loci pars erat.

2. *à caſibus & conjugatis.* Quando proponitur definitio aliqua, reſpiciendum eſt *ad caſus & conjugata definiti*, ſi enim *horum conjugatorum conjugatæ ſunt definitiones*, etiam propoſita definitio ipſius propoſiti definiti vera definitio

erit; v. c. ſit definitio, oblivio eſt amisſio ſcientiæ, probatur quia conjugatorum ſunt conjugatæ definitiones, & quia obliviſci eſt ſcientiam amittere, ac oblitum eſſe, eſt ſcientiam amiſiſſe: unde etiam hæc definitio, corruptio eſt disſolutio ſubſtantiæ, confirmatur, quia corrumpere eſt disſolvere ſubſtantiam, & corrupisſe eſt disſolvisſe ſubſtantiam, & corrumpens eſt disſolvens ſubſtantiam &c.

3. *à proportione vel ab iis, quæ ſimiliter ſe ad aliud habent.* Cum proponitur definitio aliqua, reſpiciendum *eſt ad id, quod ſimiliter ſe habet ad aliud quid, ac ſe habet propoſitum definitum ad id, quod in propoſita oratione* vel definitione continetur, tum enim ſi per iſtud illius primi definitio conſtituenda eſt, per hoc, quod in data oratione poſitum eſt, hujus propoſiti definiti definitionem conſtitui oportebit, ac proinde data definitio confirmata erit; v. c. ſit definitio, ſalubre eſt quod efficit ſanitatem, confirmatur, quia uti ſe habet utile ad bonum, ita ſe habet ſalubre ad ſanitatem, utrumqve enim & utile ad bonum & ſalubre ad ſanitatem tanquam finem refertur, utile autem definitur id eſſe, quod efficit bonum, ergo & ſalubre definiendum eſt, quod efficit ſanitatem, & per conſequens poſita antè definitio confirmata erit.

4. *à comparatis (1.) imparibus, majore nempe & minore*, atqve eâ comparationis ſpecie, quâ *duo cum duobus* conferuntur; comparatio enim,

enim, quâ vel una definitio cum duabus rebus, vel una res cum duabus definitionibus confertur, hîc locum non habet, quia nec duarum rerum una definitio, neqve unius rei, quatenus ea una est, duæ definitiones esse possunt, ut ex lib. 6. Top. c. 4. patet. Si itaqve *proposita oratio propositi definiti magis videtur esse definitio, quàm alia quædam oratio alius cujusdam definiti esse videtur, hæc verò hujus definitio est, etiam illa proposita oratio propositi definiti vera definitio erit*; v. c. sit proposita definitio, prudentia est habitus cum rectâ ratione activus, confirmatur, quia minus justitiæ definitio videtur esse habitus suum cuiqve æqualiter tribuens, ejus tamen definitio reverà est: ergò & proposita oratio, quæ magis propositi definiti definitio esse videtur, ejus definitio reverà erit. (2.) *à comparatis paribus*. Si proposita *oratio æq; vel æqualiter propositi definiti definitio esse videtur, quàm alia quædam oratio alius cujusdam definiti, hæc verò hujus vera definitio est, etiam illa proposita oratio propositi definiti vera definitio erit*; v. c. sit definitio, fortitudo est virtus in rebus formidabilibus servans mediocritatem, confirmatur, quia æqve temperantiæ definitio esse videtur, virtus in rebus jucundis mediocritatem servans, quàm illa oratio fortitudinis definitio esse videtur: unde cum hæc vera temperantiæ definitio sit, etiam illa posita fortitudinis vera definitio erit. Coincidere videtur hic locus cum præcedente tertio;

differre tamen eosdem ait *Alexander com. in h. l. p. 205.* quod in ſuperiori ſumpta ſit ſimilitudo ex proportione, hîc autem ea ſimilitudo intelligatur, quæ ſimpliciter & propriè ſimilitudo dici ſolet: cui fortè & ea addi posſunt, *quæ ſupra Lib. V. Dial. loc. 30. ſub finem* dicta ſunt.

Hi itaq; loci ſunt, quos Ariſt. *ad confirmandam definitionem accommodatos eſſe* judicat & eapropter memoriæ mandare ac probè meditatos habere jubet; quibus tamen & reliqui loci, ii præſertim, qui latisſimè patent, & ad multa diſceptanda vim habent, adjungendi ſunt, v. c. *ſi propoſita aliqua definitio convenit omnibus ſub definito contentis*, confirmari inde poterit, quia ſpecies omnes ſynonymas eſſe, id eſt, eandem recipere definitionem oportet, quo loco ſupra adverſus ideas uſi ſumus, hæ enim cum cœteris nomen ſolùm commune habent, definitionem verò diverſam: ut & *ſi oratio aliqua non continet metaphoram, nec idem bis dicit &c.* jam vera & confirmata, ſi non ſimpliciter, ſaltem hac ex parte erit definitio, uti hæc omnia ex locis *Lib. VI. Dial.* traditis conſtant. Atqve hæc de quæſtione ejusdem ac diverſi, ut & problemate non tantùm definitionis, ſed & proprii, generis, ac tandem accidentis, & locis dialecticis dixisſe ſufficiat; ex quibus problematibus, *quænam facilius aut confirmentur, aut refellantur*, partim ex ſupra dictis jam patet, partim propria quemvis praxis docebit, partim etiam Ariſt. Lib. VII. Top. c. 5. prolixius declarat: cujus

cujus præcepta, cum ſint evidentia & à quovis intelligi ſine opere poſſint, hîc ſtudio omittimus & ad diſpoſitionem locorum hactenus traditorum properamus.

LIBER OCTAVUS.

DE FORMA DISPUTATIONIS DIALECTICÆ. ET DISPOSITIONE ARGUMENTORUM DIALECTICORUM.

Expeditâ hactenus *materiâ* diſputationis Dialecticæ, ſeu traditis iis *locis*, unde argumenta & materia, ex quâ Dialecticus concludit, deſumuntur, ſequitur, ut *de ordine & tractatione horum argumentorum dicamus*; ad id enim, ut Dialecticus fine ſuo potiatur & opinionem alteri feliciter ingeneret, requiritur (1.) ut *argumenta & locos inveniat* ad ingenerandam opinionem apta (2.) ut ea *argumenta ipſe ſecum conſideret, diſponat ac in ordinem reducat*, ut ea deinceps ita interroget, quò facilè à contra diſputante concedantur, ejusqve adſenſum eliciant. (3.) Deniqve ut omnia, quæ ante invenit ac diſpoſuit, *apud alios, cum quibus diſputat, tractet, interroget & eloquatur.* Ex his primum illud, nem-

pe locos seu argumenta invenire Dialectico cum Philosopho commune est, quia pariter ut Dialecticus, ita & Philosophus argumentis ad propositi confirmationem opus habet; reliqua duo autem, nempe dispositio & interrogatio Dialectico propria sunt, Philosophus verò iisdem opus non habet, quia per se & solus exquirit omnia & secum solùm agit, neqve alium interrogat, aut alîus adsensum quicquam moratur, modò ipse secum agnoscat, principia suæ demonstrationis esse vera, prima, immediata &c. *Lib. 1. Poster. c. 2.* secus ac Dialecticus, qui quoniam cum alio semper tractat, cui scilicet opinionem ingenerare studet & cum quo disputat, utiqve opus habet dispositione & interrogatione argumentorum suorum, quæ nisi aptè & prout id conditio contradisputantis requirit, disponat, ac deinde ordine eloquatur, nunquam potiri suo fine valebit. Ut itaqve Arist. lib. 8. Top. de *dispositione argumentorum & formâ disputationis* rectè agat, totum *librum in tria quasi distinguit capita* (1.) de *ratione interrogandi vel argumentandi, ac respondendi*, sive de officio interrogantis & respondentis tractatur. (2.) agitur *de passionibus vel affectionibus quibusdam disputationum Dialecticarum*, quænam sit disputatio laudabilis, quæ vituperabilis, & quot ac quibus modis utrumqve contingat &c. (3.) de *exercitatione Dialecticâ*, quibus cum & quo modo nos exercere in disputando debeamus, præcepta explicantur: de quibus capitibus nunc ordine dicendum erit.

CAP.

CAP. I.
DE
INTERROGANDI AC RESPONDENDI RATIONE ET OFFICIO.

PARS PRIMA.
DE
RATIONE INTERROGANDI VEL OPPONENDI.

ANtequam Arist. interrogandi vel opponendi rationem docere aggreditur, ipsas prius *propositiones, quæ interrogari vel opponi solent, distinguit*, aliasqve esse dicit *necessarias*, ex quibus ipsa ratiocinatio vel syllogismus constat, ita ut sine ipsis inferri non possit conclusio, v. c. ad probandam conclusionem, quod medicina sit scientia sani & ægri, necessaria est propositio, oppositorum eadem est scientia, quia sine hac probari ista non potest: alias verò esse *non necessarias*, quæ ipsam quidem conclusionem necessariò non inferunt, faciunt tamen ad aliquam necessariam propositionem aut *probandam*, aut *illustrandam*, aut *occul-*

tandam, &c. quales ratione propositæ antè conclusionis sunt, v. g. jurisprudentia est scientia justi & injusti, æqui & iniqui, Ethica est scientia virtutis & vitii &c. Hinc *non necessariæ propositiones quadruplicis ferè sunt* generis (1.) sunt eæ, *quæ inductionis gratiâ adferuntur*, quibus aliqua ex necessariis probatur, quibusqve utimur, quando adversarius difficilis est in concedendâ universali propositione, tum enim à singularibus vel minus universalibus ad magis universalia, & à notioribus nobis ad ignotiora, sive singularia & minus universalia ista ex eodem genere, sive à simili desumpta fuerint, progredimur, uti omnia hæc ex *Lib. 1. Dial. c. 3. §. 8. & 9.* constant. (2.) Quæ *ad ornatum orationis spectant*, & augendæ ac amplificandæ argumentationis gratiâ adferuntur. (3.) Quæ faciunt *ad occultandam conclusionem principalem*, quibus tanquam per *stratagemata* circumveniri respondens solet; quæ *occultatio*, utut *sophistis familiaris* sit, optimè tamen *à Dialectico etiam quandoq; adhiberi potest*, quando nempe Dialecticus vel tentatorem agit & alterius ingenium explorat, vel cum amico ipsi res est, vel etiam cum moroso, obstinato & præfracti ingenii homine disputat, qui si consilium disputationis statim ab initio intelligeret, illico à disputatione resiliret. (4.) Tandem quæ *faciunt ad evidentiam disputationis*, quibus quandoqve à proposito abimus, ut aliquam ex necessariis illustrare possimus. De omnibus his propositionibus,

quo ordine & modo ſint interrogandæ & diſponendæ, Ariſt. ſequentibus præceptis docet.

I. Propositiones Necessarias Recte Tractare.

Hîc duo continentur præcepta, (1.) ſi propoſitiones *necesſariæ non ſunt usq; adeò evidentes*, ſed tales, ut eas non facilè concesſurus ſit reſpondens, *eæ non ſubito & ſtatim ab initio proponendæ ſed disſimulandæ erunt*; nempe declinare oportebit interrogantem vel opponentem à necesſariâ iſtâ propoſitione ad aliam longius petitam & quaſi nihil ad rem facientem, *vel univerſaliorem*, ſi in concedendâ eâ reſpondentem facilem eſſe ſenſerit, *vel ad ſingulares aliquas*, ſi in illâ priori difficilior fuerit reſpondens: ex utrisqve enim & ex univerſalioribus & ſingularibus ipſa necesſaria propoſitio inferri facilè poterit, ex illis nempe per ſyllogiſmum, ex his verò per inductionem. V. c. ſit propoſitio necesſaria interroganda hæc, contrariorum eſt eadem ſcientia, proponenda hîc eſt vel univerſalior, nempe, omnium oppoſitorum eadem eſt ſcientia, ex quâ per ſyllogiſmum ſequitur, etiam contrariorum eſſe eandem ſcientiam, quia contraria ſunt oppoſita; vel interrogandæ erunt ſingulares quædam propoſitiones, nempe, albi & nigri eſt eadem ſcientia, virtutis & vitii, paris & imparis, ſanitatis ac morbi &c. eadem eſt ſcientia, ex his enim per inductionem ſequitur, contrariorum eſſe eandem

 ſcien-

ſcientiam: atqve ita per ſtratagema redigendus erit moroſus & difficilis reſpondens eò, ut ipſam necesſariam propoſitionem, ſive voluerit, ſive noluerit, tandem concedat. (2.) *Si verò propoſitio necesſaria valdè evidens & perſpicua eſt*, v.c. totum eſt majus ſuâ parte, omnis numerus vel eſt par vel impar, &c. *ea ſtatim ſine ambage interroganda eſt*; ſi enim hîc longius recedatur & manifeſta propoſitio prolixius vel ſyllogiſmo vel inductione probetur, obſcura ea & ſuſpecta reddetur ſine neceſſitate: quando verò ſine omni formidine ſimpliciter & absqve probatione interrogatur, non facilè tam impudens erit reſpondens, ut negare audeat id, quod omnibus manifeſtum eſſe videt, ſecus enim ſi fecerit, quilibet eum moroſum & protervum diſputatorem eſſe animadvertet.

II. PROPOSITIONES PRINCIPALEM CONCLUSIONEM OCCULTANTES RECTE INTERROGARE.

Propoſitionibus his ad κρύψιν & occultationem concluſionis principalis facientibus ante omnia utendum eſt cautè, ne diſputatio dialectica in Sophiſticam degeneret; celari verò & occultari concluſio principalis poteſt ſequentibus modis. (1.) Ut concluſio lateat & intentio noſtra fugiat reſpondentem, *interrogandæ ſunt propoſitiones à concluſione remotisſimæ*, incipiendumqve à proſyllogiſmis & proſyllogiſmorum pro ſyllo-

ſyllogiſmis, ut antequam principalis ſyllogiſmus proferatur, præmisſæ ejus in anteceſſum jam aliis propoſitionibus ſint confirmatæ; ita enim fiet, ut tantâ ſumptionum & probationum copiâ obruatur reſpondens, ac minus videre poſſit id, de quo principalis quæſtio exiſtit: cujus præcepti elegans exemplum eſt in Platonis Theæteto, ubi antequam principalis concluſio, ſcientiam non eſſe ſenſum, infertur, plurimæ ſumptiones & probationes proſyllogiſticæ præmittuntur. (2.) Ut minus intelligat reſpondens, quid à nobis intendatur, *ſolæ proſyllogiſmorum præmisſæ ſunt interrogandæ, nunquam additis concluſionibus, quas ſub finem, concesſis jam omnibus propoſitionibus, coacervari & ſimul inferri oportet*; ita enim quàm longisſimè recedemus à principali nobisqve propoſitâ concluſione, eamqve optimè occultabimus, reſpondens verò deinde multitudine concluſionum ſimul illatarum ex improviſo obruetur & confundetur, neqve ex quibus propoſitionibus ſingulæ concluſiones oriantur, neqve quomodo ad propoſitam theſin faciant, perſpicere poterit, ſed mirabitur quorſum multæ iſtæ propoſitiones pertineant, & eapropter omnibus rationibus jam interrogatis, ſubnexâ tandem principali concluſione, adhuc tamen ex interrogante, unde ea concluſio ſequatur? quæret: ubi interrogans colligendo propoſitiones concesſas, easqve tam cum propriis ſuis concluſionibus, quàm cum concluſione principali connectendo, reſpon-

reſpondentem conſtringere poterit, eò quod non præviderit concluſionis, quæ ex concesſis propoſitionibus conſecutura erat, necesſitatem. (3.) Præprimis autem occultare ſuam intentionem poterit interrogans, *ſi in interrogandis modò dictis propoſitionibus proſyllogiſticis nullum teneat ordinem, neq; eâ ſerie eas interroget, quâ ſeſe conſequuntur, ſed eas diſtrahat & confusâ quadam commutatione, nunc unâ hujus proſyllogiſmi, mox aliâ alius propoſitione interrogatâ, totam orationem conturbet*; ita enim reſpondens nullam in iis connexionem animadvertet, ſed ſcopas disſolutas eſſe putabit, ac proinde facilius, quicquid interrogatum fuerit, concedet, neqve ullam conſequentiæ necesſitatem, aut quò quæſita tendant, videre poterit: poſteà verò in ordinem hæc interrogans redigere & reſpondentem ſyllogiſticâ vi ſtringere debet, quam ob confuſionem propoſitionum prævidere non valebat. V. c. ſit alicui propoſita principalis concluſio inferenda hæc, voluptas eſt bonum, quæratur ergò ſine ordine, annon dolor ſit contra naturam? annon aliquando ſimulemus nos voluptatem ex hac aut alia re percipere? annon contraria contrariorum ſint conſequentia? annon opera naturæ ſint opera primæ intelligentiæ? &c. ex quibus & aliis ſimilibus propoſitionibus ritè coordinatis, ipſa propoſita concluſio inferri deinceps poteſt. (4.) Quandocunqve ex definitione argumentandum eſt, tum *non ipſius rei, de quâ in controverſiâ agitur,*

agitur, v. c. concreti, ut irascentis, justi &c. sed conjugati, v. c. abstracti, ut iræ, justitiæ &c. accipienda est definitio & propositio; multò enim difficilius conceditur, quod in quæstionem venit, quàm quod à controversiâ alienum esse putatur, in concreto quoqve si interrogantur propositiones, instantia à respondente dari facilè poterit, in abstracto autem si informentur, non tam facilè instantiam inveniet respondens, cum abstracta separent res ab iis accidentibus, à quibus instantiæ desumuntur: ubi verò propositio in conjugato & abstracto concessa est, facilè interrogans argumentationem ad alterum conjugatum, nempe ad concretum, transferre ac principalem conclusionem, quam hactenus occultavit, elicere inde potest. V. c. velit interrogans sibi à respondente concedi has propositiones, Irati sunt appetentes vindictæ, justi suum cuiqve tribuunt &c. is non ipsas illas propositiones in concreto interroget, non enim facilè eas respondens concedet, quinimò instantiam facilè dabit & dicet, parentes irasci sæpe liberis, vindictam tamen nullam appetere, itemqve justum sæpè suum cuiqve non tribuere, juxta illud, septies in die cadit justus, sed ad conjugatum, nempe ad abstractum eas transferat & ita quærat, estne ira vindictæ appetitus vel cupiditas? estne justitia habitus suum cuiqve tribuens &c. has enim tanquam alienas à proposito facilius concedet respondens, neqve instantias adversus illas in promptu habebit: ipse

vero

verò interrogans deinde ex iis, quando concessæ jam ſunt, principalem ſuam propoſitionem inferre poteſt, quia conjugatorum conjugata ſunt conſequentia. (5.) Ut magis propoſitum tuum celare poſſis, teqve minus ſuſpectum reſpondenti reddas, *inde quicquid interrogaveris, id ita interrogandum erit, non quaſi magnopere ad propoſitum pertineat, ſed quaſi alterius tantummodò rei cognoſcendæ gratiâ quæratur;* tum enim incautius alter reſpondebit, minusqve ſuſpectum habebit, quod incidenter tantùm proferri & nihil contra ſe facere arbitrabitur, ac proinde à tali propoſitione nihil ſibi metuet, ſed facilè eam concedet: tu verò poſteà eadem conceſſâ ad neceſſarias propoſitiones & ipſam principalem concluſionem inferendam uti poteris. V. c. ſit probandum, intellectum eſſe immortalem, ex eo, quia ejus operatio nihil communicat cum operatione corporis, hîc non hanc ipſam propoſitionem interroges, ſed tanquam incidenter & quaſi informationis ac alius rei cognoſcendæ gratiâ, neutiquam verò quaſi ad propoſitum pertineat, quæras, annon decreſcentibus viribus corporis, accreſcant vires intellectus, ut in ſenibus fieri videmus? quam propoſitionem incautus reſpondens facilè concedet, tanquam nihil ad rem pertinentem & à propoſito alienam, ex quâ tamen poſteà, ubi conceſſa eſt, interrogans ipſam neceſſariam propoſitionem ac mediante eadem theſin principalem inferre poteſt. (6.) Ita etiam interrogare propoſitio-

positiones interrogans debet, *ut incertum sit respondenti, an interrogans hoc, an verò ejus contrarium sibi concedi postulet*, quod fiet, si interrogans non alteram tantùm contradictionis partem interroget, v. c. estne mundus æternus? ibi enim respondens statim videt, interrogantem affirmativâ contradictionis parte in argumentando usurum esse, atqve eapropter in eâ concedendâ difficilior erit; sed utramqve, v. c. ita, estne mundus æternus nec ne? ubi quia utraqve contradictionis pars & affirmativa & negativa continetur, aut dubius erit respondens & cum ignoret, quanam parte usurus sit interrogans, in respondendo hærebit, aut quod sibi probabile videbitur, concedet, ex quo deinceps interrogans argumentari debebit. (7.) *Non illud, quod obtinere volumus, interrogandum est, sed loco ejus alia aliqua similia, de quibus idem est hominum judicium, quæri debent*, ita enim verebitur posteà respondens, propositionem hactenus occultatam negare, sed concedere eam tenebitur, quia illam plurium similium enumeratione confirmatam jam videt; v. c. si obtineri debet, justi & injusti esse eandem scientiam, similia sunt interroganda, nempe, estne albi & nigri, gravis & acuti, calidi & frigidi, humidi & sicci, &c. una eademqve scientia? hæc enim, cum ad propositum non usqve adeò pertinere videantur, facilius concedet respondens, quod ubi factum est, interrogans occultatam sub his similibus propositionem

tan-

tandem inferet ac dicet, ergò & juſti ac injuſti eadem erit ſcientia, quam reſpondens negare erubeſcet, quia eam in ſimilibus interrrogatis jam conceſſit: quæ ſimilium enumeratio propè ad inductionem accedit, niſi quod in inductione à particulari ad univerſale progredimur, quod hîc non fit, uti prolixius de Socraticâ hac inductione omnia hæc ex *lib. 1. Dial. cap. 3. §. 9.* conſtant. (8.) Utile quoqve eſt, *ut interrogans quandoq; ſeipſum corrigat aut ſibi ipſi inſtantiam adferat*, ita enim æqvus in diſputando videbitur & reſpondenti minus ſuſpectus erit, ſed benè hic ſecum agi putabit ac fraudium minus metuens, quicquid interrogatum fuerit, poſteà liberalius concedet: unde facilè deinde comprehendi & irretiri poterit. (9.) Maximè etiam è re erit, *ſi interrogans dicat, ea, quæ à ſe proponuntur, trita eſſe ac uſitata, & in omnium ore verſari aut plurimorum autoritate niti*, terrebitur enim reſpondens communi hoc conſenſu, nec facilè repudiare aut negare audebit, quod uſitatum ac tritum eſſe audit, quando præſertim nihil habet, quod inſtantiæ loco objicere poſſit, ſed ne protervus diſputator eſſe, aut ex malitiâ contradicere videatur, liberalius, quicquid hoc modo interrogatum fuerit, concedet: v. c. ita interrogandum eſt, videtur ne, ut aliis communiter omnibus, ita & tibi, valetudinem eſſe expetendam? videtur ne tibi, bonum virum eſſe optimum judicem, uti communiter omnes & docti & indocti ſentiunt?

ſentiunt? &c. Pari ratione, quando cum Platonico aut Ariſtotelico aut alius Philoſophi ſectatore diſputatio eſt, *commodum erit, ut interrogans ea, quæ proponit, vel Ariſtotelis, vel Platonis, vel iſtius Philoſophi ſententiam eſſe dicat, quem ille ſequitur*; v. c. ut ex Platonico quærat, annon ipſi videatur, dari ideas, quod ſtatuit Plato? ex Ariſtotelico, annon ipſe ſentiat, mundum eſſe æternum, quam ſententiam Ariſtoteles fovit? &c. non enim facilè reſpondens Patroni ſui ſententias negabit, ſed affectu erga præceptorem ſuum quaſi corruptus, de interrogatis non rectè judicabit, ſed quicquid illius eſſe audiverit, ſine diſcrimine concedet. (10.) Non poſtremum quoqve occultandi artificium eſt, *ſi ſtudium & deſiderium, quo propoſitionem aliquam concedi nobis volumus, gnaviter diſſimulemus, & propoſitionem ita interrogemus, quaſi incidenter tantùm nobis in mentem venerit, & quaſi res iſta nobis non ſit valdè cordi*; ubi enim reſpondens controverſiam negligenter tractari, ſibiqve ſine ullâ contentione opponi viderit, in concedendo longè facilior & liberalior erit: contra autem ſi animadverterit, ſe cum vehementiâ oppugnari & magnam ab interrogante adhiberi diligentiam, magis reluctabitur & in concedendo ſibi quoqve diligentius cavebit. (11.) Optimè quoqve occultabitur propoſitum, *ſi interrogans non ſimpliciter id, quod concedi ſibi vult à reſpondente, interroget, ſed per comparationem iſtud proferat, ita ut illud,*

quod principaliter intendit, tantùm similitudinis loco proponat, aliud verò, quod ad propositum nihil facit, ita adducat, quasi istud principale propositum sit, & quasi ejus obtinendi gratiâ instituta sit interrogatio; v. c. sit obtinenda hæc propositio, multos esse malos, bonos verò paucos, ea non apertè quærenda est, sed occultanda per similitudinem & comparationem, hoc modo, annon sicuti multi sunt mali, & multi pauperes, ita quoqve multi sunt indocti? sic enim respondens de postremo hoc tantùm solicitus erit, ejusqve gratiâ quæstionem institutam esse putabit, de primo autem illo, quod principaliter intenditur, parùm cogitabit, atqve ita, cum postremum illud nihil ad rem facere videat, omnia facilè concedet. (12.) Non debet interrogans ipsam statim, quam concedi sibi vult, propositionem interrogare, *sed id potius, quod eam necessariò consequitur*, hoc enim cum respondens non videat, quò spectet, facilius concedet; v. c. si obtineri debet, non dari fatum, non hoc quærendum est, sed illud, an detur arbitrii libertas? ex hoc enim quid concludendum sit, non statim animadvertet respondens ac proinde facilius id concedet: quo facto deinceps interrogans id, quod principaliter intendit, inferre, & ex eo, quod arbitrii libertas datur, fatum non esse, concludere potest. (13.) Ad occultandum propositum id quoqve facit, si interrogans *eas propositiones, quas firmissimus esse novit, & quibus deinde maximè uti cupit ad principalem con-*

concluſionem inferendam, non primo ſed poſtremo proponat loco, communiter enim reſpondentes putant, ea quæ maximè ad rem faciunt, quibusqve plurima vis ad concludendum ineſt, primo collocari ordine, ac eâ de causâ ab initio diſputationis acrius reſiſtunt atqve omnia plerumqve, quæ initio adferuntur, negant. *Aliter tamen agendum eſt, ſi vel cum moroſis ac protervis, vel cum acutulis, qui ſibi ingenioſi videntur, diſputatio inſtituta fuerit*, hîc ſcilicet contrario ordine, ea quæ maximè ad rem faciunt, quibusqve maximum inferendi robur ineſt, non poſtremo ſed primo interroganda ſunt loco; moroſi enim ſub initium diſputationis adhuc ſunt tolerabiles & facilius interrogata concedunt, poſteà verò, quando acrius ſecum agi vident, tumultuari incipiunt & omnia negant: ſic & acutuli ſub initium diſputationis ingenio ſuo & naturalis cujusdam promptitudinis ac ſubtilitatis perſvaſione freti, omnia liberalius largiuntur, quaſi nihil planè ſit, quod vereri debeant, poſtea autem, quando ſe captos & contradictionibus implicatos eſſe animadvertunt, argutiis ſuis omnia confundunt & pervertunt, ac nihil quicquam abſolutè concedere volunt. (14.) Ut diſſimuletur propoſitum, ſi aliæ rationes interroganti non ſuppetunt, *verbis amplianda eſt oratio, & apta inepta confundenda, multaqꝫ, etiamſi nihil ad rem facientia, accumulanda ſunt*; ita enim conturbabitur reſpondens, neqve videre facilè poterit in tantâ multarum propoſitionum

num confusione πρῶτον ψεῦδος, seu primum falsitatis fundamentum, verùm facilius & inconsultius multa concedet, quæ seorsim & per se interrogata nunquam admisisset: quo loco tamen, quia sophistis, ut & circumforaneis medicis & aliis hujus generis hominibus perquam familiaris est, *cautè utendum erit*, ne fidem amittamus aut illis æquales esse videamur. Tantùm de dissimulatione vel occultatione propositæ conclusionis.

III. PROPOSITIONES AD ORNATUM DISPUTATIONIS FACIENTES DEBITE PERSEQUI.

Cum in Veterum disputationibus, non tantùm acuminis & εὑρεσιλογίας, sed & *facundiæ habitum olim sit certamen*, quod θέσεις ληκυθίζειν, id est, *de re propositâ Oratorio more, vel eleganter & ornatu quodam sermonis disputare*, vocat *Strabo lib. XIII. Geograph. p. 705.* aliter ac hodiè fit, quando *barbaris solùm terminis* & λογομαχίαις ad duritiem usqve frontis exercetur infelix juventus, ut *Casaub.* loquitur *animadvers. in Athenæum, lib. IV. cap. 2. p. 247.* inde Arist. earum quoqve propositionum, quæ ad *orationem ornandam amplificandamq;* spectant, hîc rationem habet, & quomodo eædem rectè persequendæ sint, docet: idqve breviter tantùm, quia in Rhetoricâ, ad quam propriè hæc res pertinet, prolixius de eâ agi solet. Quantum itaqve hic ornatus ad

Diale-

Dialecticum refertur, ut diſputatio vel oratio dialectica decenti ſuâ conſtet magnitudine ac prolixitate, vel rectè ac decenter amplificetur, Philoſophus duo adhibenda eſſe dicit media; (1.) *Inductionem multarum ſimilium & cognatarum rerum, hac enim dilatari oratio quàm maximè poteſt*; v. c. cum interrogans hac propoſitione utitur, oppoſitorum eſſe eandem ſcientiam, ampliorem reddet diſcurſum ſuum, ſi inductionem addat & dicat, Patris & filii, Domini & ſervi, humidi & ſicci, calidi & frigidi &c. unam eſſe ſcientiam: quæ inductio, quid & quotuplex ſit, partim *lib. I. Dial. c. 3. §. 8. & 9.* jam expoſitum eſt, partim paulò poſt prolixius dicetur. (2). *Orationem exornat & amplificat diviſio*; v. c. cum diſputatur, an virtus ſit ſcientia, copiam & ſplendorem diſputationi conciliabit interrogans, ſi ſcientiam in ſuas ſpecies dividat, & dicat, aliam ſcientiam eſſe aliâ nobiliorem, vel ideò, quia nobilius habet objectum, quo ſenſu phyſica nobilior eſt, quam mathematica, vel quia accuratior eſt & majori conſtat ſubtilitate, quomodo mathematica phyſicæ præſtat &c. itemqve aliam eſſe contemplativam, aliam practicam, aliam effectivam &c. hujusmodi enim propoſitionibus non parum ornamenti accipit diſputatio, quamvis illæ ad inferendam ipſam principalem concluſionem necesſariæ non ſint.

IV. PROPOSITIONES AD PERSPICUITATEM ET EVIDENTIAM DISPUTATIONIS FACIENTES DECENTER TRACTARE.

Diſputationem illuſtrem & dilucidam reddunt (1.) *exempla*, quando aliæ quædam res geſtæ adferuntur, eo fine, ut quod nondum geſtum, ſed ignotum adhuc eſt, exinde notum fiat; v. c. ſi diſputatio fuerit, Dionyſium appetere dominatum, cum ſalutis ſuæ cuſtodes petat, non quidem probari ea, illuſtrari tamen & perſpicua reddi poteſt, ſi dicatur, Piſiſtratum anteà cuſtodes petiisſe, & cum eos impetrasſet, tyrannidem occupasſe, idem quoqve Theagenem Megaris fecisſe, idem reliquos omnes fecisſe, qui eapropter exempla fient Dionyſii, de quo ignoratur adhuc, an eâ de causâ cuſtodes petat. Exempla verò *propria*, *non nimis longè petita*, *ſed accommodata & talia eſſe* jubet Ariſt. quibus notius & & clarius, id quod proponitur, reddi poſſit; unde ea deſumenda erunt *ex autoribus claris & bonis*, nempe Homero, Virgilio, Cicerone & aliis his ſimilibus, *non autem ex obſcuris & ineptis ſcriptoribus*, quorum exempla nullâ perſpicuitate gaudent: qualis autor eſt ineptus & incultus ille Poëta Chœrilus, qui Alexandri M. res geſtas carmine malè nato minimèqve laudato deſcribere aggresſus eſt. Conf. etiam *Curtius Lib. 8. c. 5. & Horat. lib. 2. Epiſt.* cujus teſtimonium tamen refellit *Muret. lib. 12. Var. c. 14. & Voſs. de Hiſt. Græc. lib. 4. c. 7.* (2.) Illuſtrat diſputationem

Parabola, quam Cic. lib. 1. de Invent. *collationem* vertit, Fabius autem lib. 5. cap. 11. *ſimilitudinem* vocat, quando nos ipſi fingimus aliquid ſimile, perinde ut geſtum, & ex eo, id quod propoſitum nobis eſt, perſpicuum ac evidens reddimus; v. c. ſit diſputatio, magiſtratum non eſſe eligendum ſorte, illuſtratur, quia nec athleta eligitur ſorte, ſed robore & agilitate, nec nauclerus eligitur ſorte, ſed peritiâ gubernandi navem &c. unde manifeſtum eſt, nec magiſtratum ſorte, ſed prudentiâ gubernandi Rempubl. eligendum eſſe: quâ de re plura vide *lib. 2. Rhet. c. 20.* ubi exemplo & parabolæ etiam additur *fabula*, quæ tamen, quia non ad Dialecticam ſed Rhetoricam tantùm orationem illuſtrandam facit, hîc meritò omittenda erat.

V. CIRCA INDUCTIONEM ET PROPOSITIONES INDUCTIVAS RECTE VERSARI.

Cum inter propoſitiones non neceſſarias numeratæ paulò antè fuerint & eæ, quæ inductionis gratiâ adferuntur, inductio quoqve inter *organa dialectica*, quibus in diſputando utimur, referatur, quâ apud multitudinem & plebem utendum ſit, quemadmodum ſyllogiſmo apud Doctos, uti conſtat ex *Lib. I. Dial. cap. 3. §. 6. 8. & 9.* inde de inductionis uſu & ratione eam tractandi, philoſophus ſequentia præcepta tradit. (1.) Aliquando is, qui inductione utitur, *facilè ex ſingularibus univerſale colligere ac invenire*

poteſt, quando nempe univerſali iſti, quod inveniri debet, nomen impoſitum jam eſt, quo ab aliis rebus diſcerni & à quovis apprehendi ac intelligi ſine opere poteſt, v. c. quando dico, fortitudo eſt laudabilis, juſtitia eſt laudabilis, temperantia, modeſtia, & quæ ſimiliter ſe habent, ſunt laudabiles &c. ſtatim apparet, quodnam ſit illud univerſale, cui laudabile primò inſit, nempe virtus, unde facilè infertur, ergo omnis virtus eſt laudabilis; interdum autem *univerſale iſtud invenire admodum difficile eſt, quando ſcilicet nullum ei impoſitum eſt nomen*, ut quando dicitur, tusſis eſt cum irritatione partium conjuncta, ſternutatio eſt cum irritatione partium conjuncta &c. difficulter admodum concludi inde poteſt univerſale iſtud, cui irritatio partium primò inſit, & in quo tusſis ac ſternutatio conveniant, cum nomine careat: neqve facilè univerſale vel genus, quo pandiculatio & oſcitatio conveniunt, determinari poteſt, quia iterum innominatum eſt, unde ſæpè error committitur, & id pro univerſali accipitur, quod tale non eſt. Conf. *Lib. I. Poſt. c. 5. & lib. Soph. Elench. c. 15.* Solent equidem in hoc defectu diſputantes adjicere, *ita ſe quoq; rem habere in cæteris & omnibus talibus vel ſimilibus*, v. g. quia in numeris eſt commutata proportio, in lineis eſt commutata proportio, in tempore etiam eſt, &c. inde, cum univerſale & genus, quo numerus, linea & tempus conveniunt, nomine careat, ita concludunt, ergo, in omnibus tali-

bus aut ſimilibus rebus commutata proportio eſt; at verô difficultate maximâ laborat hæc collectio, ſemperq; disſidebunt inter ſe diſputantes, *quænam ſimilia ſint, vel non ſint*, dum interrogans ſimilia eſſe volet, quæ ſimilia non ſunt, reſpondens verò ſimilia eſſe negabit, quæ reverà ſimilia ſunt, v. c. quando interrogans ita concludet, in numeris eſt commutata proportio, in lineis eſt, in tempore eſt, & in aliis omnibus, quæ his ſunt ſimilia, ergo quoqve in punctis commutata proportio erit, hîc ſtatim reſpondens punctum, quod interrogans numeris, lineis & tempori ſimile eſſe dixerat, ſimile eſſe pernegabit: unde tota ſæpè diſputatio non difficilis modò, ſed vana etiam & inutilis reddi ſolet. Huic malo ut caveatur, *Dialecticus novum commune & univerſale nomen, quod omnibus ſingularibus conveniat, fingere debet*, tunc enim, quænam ſimilia ſint, vel non ſint, facilius apparebit, & fortius movebit inductio, ſi præprimis reſpondens effictum iſtud & recens impoſitum nomen concesſerit; ſecus enim, niſi conſentiat reſpondens in hanc novi nominis fictionem, progredi vel quicquam opponendo efficere interrogans non poteſt; ex quo intelligitur quoqve, *quid inter Analyticum & Dialecticum interſit*, & quo ſenſu ille ſolus ὀνοματοθέτης dici ſoleat. Scilicet *nomina accommodata eſſe oportet ipſis rebus, earumq; naturæ*, quam aliàs ſignificare rectè non posſent, & eapropter, quamvis nomina θέσει & impoſitio-

ne conſtent, non tamen vanâ & temerariâ conſtant, nec forte fortunâ inventa ſunt, ſed habito ad rerum naturam reſpectu, quam cum *ſolus Analyticus*, quippe qui ſolùm circa naturam rerum verſatur, minimè verò Dialecticus, qui ex ἐνδόξοις tantùm concludit, intelligat, inde *ſolus Analyticus auctoritatem habet fingendi nova nomina, ſimpliciter nempe & abſolutè, Dialectico verò aliquando ſolùm & in certo tantum caſu, ac cum certâ tantùm conditione hoc concesſum eſt*; Analyticus enim non tantùm fingit nomina, ubi ea deſunt, ſed & vetera à vulgo impoſita nomina, ſi ea fortè incommoda eſſe ſenſerit, refingit & abrogat ac ita immutat, ut ad docendum & rerum naturas ſignificandum valeant, quod Dialectico non licet, qui poſitis & conſvetis nominibus ſemper uti debet, nec ullam eadem immutandi autoritatem habet, ſed in defectu ſolùm fingere nova nomina quandoqve poteſt: Analyticus quoqve tanquam intelligens & quaſi legislator aliquis imperare hoc vel iſtud nomen, quod recens impoſuit, diſcipulis ſuis poteſt, quod deinceps in quavis diſciplinâ obtinet, & ab omnibus ejusdem auditoribus adhibetur, Dialecticus verò petere cogitur, ut reſpondens ſibi novum iſtud nomen concedat, quod ſi facere hic noluerit, progredi non poterit, impetrato autem tandem Reſpondentis conſenſu, adhuc tamen novi hujus nominis ſignificatio inter hos duos diſputantes tantùm valebit, alios verò, ut idipſum pariter

assumant, neutiquam obligabit. Vid. *Lib. 2. Top. c. 1. & 2. lib. 6. c. 10.* præprimis autem Platon. in Cratylo p. m. 259. Neuter tamen nec Analyticus, nec Dialecticus, si quà nomina desunt, *ad novæ fingenda nomina temerè proruere debet*, sed circumspiciendum utriqve est, *annon suppleri defectus alio usitato nomine possit*, quod Plato in Menone fecit, qui, cum virtus, magnitudo & sanitas non haberent unum, in quo convenirent, commune nomen, affectionis nomen ipsis imposuit, & Galenus genericam rationem, quâ ulcus & vulnus conveniunt, solutionem continui appellavit; vel *ab aliis rebus & ex aliis scientiis vocabula sunt accipienda*, & per metaphoram ad propositam & præsentem rem trahenda, quod Aristot. in voce Analytices, termini, propositionis, figuræ, & aliis hujusmodi fecit: quando verò neutrum ex his fieri potest, tum demum, urgente ita necessitate & disputationis utilitate, nova nomina fingenda sunt, habito tamen respectu ad lingvæ indolem & evidentiam, servatisqve aliis quibusdam legibus, de quibus alibi à nobis prolixius actum est. (2.) Quando interrogans inductione multorum singularium universale aliquod infert, & in omnibus ita se habere dicit, respondens verò universale istud concedere non vult, tum *interrogans postulare ab eo debet, ut instantiam adferat, & ostendat aliquod singulare, in quo universale istud ita se non habeat*; v. c. si interrogans per inductionem probat, omnem febrim

brim intermittentem incipere ab horrore, enumerando omnes intermittentis febris ſpecies, reſpondens verò, allatâ hac inductione adhuc tamen negat, in omni intermittente febri ita ſe habere, petere debet interrogans à reſpondente inſtantiam, ut ſcilicet oſtendat aliquam intermittentis febris ſpeciem, quæ ab horrore non incipiat, quod ſi facere reſpondens non poteſt, neceſſe eſt, ut univerſale ab interrogante allatum, concedat, aut ſi nec hoc facere vult, *deſerendus erit tanquam moroſus & protervus diſputator, lib. 8. Top. c. 8.* qui modum diſputandi aut ignorat, aut malitiosè pervertit: ubi notandum tamen eſt, *non debere interrogantem petere inſtantiam, antequam inductione ſuum univerſale probaverit,* & in omnibus ita ſe habere docuerit, prius enim adferenda eſt inductio, deinde verò inſtantia poſtulari debet. (3.) Cum interrogans proponit inductionem, *reſpondens verò inſtantiæ loco illud ipſum adfert, de quo quæſtio vel controverſia eſt, interrogans admittere illam non debet*, ſed aliam poſtulare, juxta vulgatum illud: *inſtantia non ſit id, de quo diſputatur;* v.c. ſi interrogans probare velit, animam eſſe ingenerabilem, quia eſt incorruptibilis, ac eo fine per inductionem inferat, omne incorruptibile eſſe ingenerabile, reſpondens autem loco inſtantiæ adferat ipſam animam, eamqve incorruptibilem quidem attamen generabilem eſſe dicat, interrogans repudiare debet hanc inſtantiam & aliam

poſtu-

poſtulare, quæ non ab eadem illâ re, de quâ diſceptatur, ſed aliunde ſit deſumpta. Eſt tamen *caſus aliquis, in quo interrogans talem inſtantiam aſſumere tenetur*, reſpondenti autem aliam quandam adferre impoſſibile eſt, cui eapropter ipſum illud, de quo diſputatur, inſtantiæ loco adferre optimè licet, *quando nempe contra univerſale propoſitum, nullum aliud, quod opponi poſſit, ſupereſt, quàm unicum illud, de quo diſputatur*, tum enim aliunde inſtantia deſumi nec poteſt nec debet; v. c. ſit quæſtio, an binarius ſit primus inter numeros pares? interrogans neget eam & dicat, nullum numerum parem eſſe primum, quam per inductionem probet, quia nec quaternarius, nec ſenarius, nec octonarius, nec denarius, nec alius aliquis ex reliquis numeris paribus eſt primus, ubi impoſſibile eſt reſpondenti aliud quid loco inſtantiæ adferre, quàm ipſum binarium, de quo diſputatur, quia nullum aliud ſupereſt, in quo univerſalis iſta inductio aliter ſe habeat, quàm ſolus & unicus binarius, & propterеà ſufficere debet interroganti, ſi reſpondens dicat, propoſitionem univerſalem ab interrogante allatam in omnibus quidem numeris paribus valere, ſed inſtantiæ loco excipi ſolum binarium, in quo propoſitio iſta non valet. Ita ſi interrogans objiciat, omne animal eſt irrationale, homo eſt animal, ergo homo eſt irrationalis, omnis homo eſt filius iræ, Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt filius iræ, omne malum curatur facilius, ſi fue-

si fuerit recens, quàm si fuerit inveteratum, suffusio oculorum est malum, ergo facilius curatur, si fuerit recens &c. hìc rectè loco instantiæ respondens adfert, ipsum hominem, ipsum Christum, ipsam suffusionem &c. quamvis de his ipsis instituta sit disputatio, cum alia, quæ adferri possint, non suppetant, sed universalia ista in his solis se aliter habeant: in quibus tamen *ita demum instantia ab eodem allata valet, si respondens rationem simul addat, cur in hoc uno sese aliter res habeat*, v. c. cum nullus numerus par sit primus, cur solus binarius primus sit, quia scilicet resolvi in priorem numerum non potest, cum reliqui pares omnes resolvi possint, ut &, cum omne animal sit irrationale, cur solus homo sit rationalis, quia nempe homo, præter animam sensitivam, facultate deliberandi de futuris præditus est, cum hâc ipsâ reliqua animalia, quæ sensitiva tantùm sunt, careant, porrò, cum omnis homo sit filius iræ, cur solus Christus filius iræ non sit, quia scilicet non ex semine virili & in peccatis conceptus est, sed spiritu sancto, cum reliquorum omnium conceptio peccatis inquinata sit, tandem, cum omne malum recens curetur facilius, cur sola suffusio se aliter habeat, quia nempe in recenti hoc morbo humor peccans cum bonis oculi humoribus adeò conjunctus adhuc est, ut secerni & eripi sine periculo & damno non possit, ubi autem inveteratum est malum, in duritiem abiit peccans iste humor & propterea facilius secerni potest.

poteſt. (4.) Quando interrogans *inductionem & propoſitionem univerſalem proponit, quæ vocabulo ambiguo & æquivoco conſtat*, reſpondens verò inſtantiam quidem dat, at non in eâ ſignificatione, quam interrogans intendit, ſed in æquivocâ & à propoſito alienâ, *tum diſtinguere interrogans vocabulum iſtud æquivocum, & oſtendere debet, in quânam ſignificatione hæc vox hoc loco à ſe accipiatur*, atqve ita inſtantiam ad rem non facere, ſed alienam, inductionem verò à ſe prolatam bonam & univerſalem eſſe declarabit, ac denuò, additâ vocis expoſitione ac diſtinctione, interrogabit; v. c. dicat interrogans, omnem circulum eſſe figuram, aut omnem, qui ridet, eſſe lætum, aut quemlibet habere ſuum proprium pedem vel colorem &c. atqve has propoſitiones inductione probet, reſpondens verò has adferat inſtantias, circulum eſſe, quando idem probatur per idem reciprocè, *lib. 1. Poſt. c. 3.* circulum etiam dici certum genus carminis, de quo *Philop. in lib. 1. Poſt. c. 12. comment. 56.* neutrum tamen eſſe figuram, ut &, eum, qui ridet riſum Sardonium, ridere quidem, at minimè lætum eſſe, tandem, pictorem non habere proprium ſed alienum colorem, quem pretio coëmit, & coqvum habere pedem alienum, nempe ſuillum aut vitulinum &c. diſtinguere interrogans æquivoca hæc & dicere debet, ſe non loqui de circulo quovis, ſed propriè & mathematicè dicto, nec de riſu quovis, non ficto & amarulento, ſed vero & pro-

prio.

prio, nec de colore ac pede quomodocunqve acceptis, ſed quo quis ipſe coloratus dicitur, aut quo quis ipſe incedit &c. ita enim, inſtantias ad rem non facere, ſed inductionem nihilominus bonam & veram eſſe, patebit. (5.) Cum interrogans inductionem ſuam ac propoſitionem univerſalem proponit, & *reſpondens non ex genere homonymo, ut ante, ſed ſynonymo inſtantiam profert talem,* quæ inductionem reverà labefacit, tum *interrogans detracto eo, in quo allata inſtantia locum habet, limitare debet inductionem ſuam & propoſitionem univerſalem,* ut non obſtante allatâ inſtantiâ, adhuc tamen univerſalis maneat; v. c. inferat interrogans per inductionem, omnem virum conſtantem in ſuâ permanere ſententiâ, det reſpondens inſtantiam & dicat, Ciceronem fuiſſe virum conſtantem, & tamen mutatis rebus & circumſtantiis ſæpe ſententiam mutaſſe, hîc interrogans detrahat talem caſum, in quo inſtantia locum habet, & dicat, tum quidem licere ſententiam mutare, non autem, ſi & res ipſæ & omnes circumſtantiæ eædem fuerint, quo ſenſu inductionem ſuam ita limitet, omnis vir conſtans, niſi aliquid aut ipſius rei aut circumſtantiarum fuerit immutatum, permanet in ſuâ ſententiâ: ita enim non obſtante prius allatâ inſtantiâ, inductio & propoſitio nihilominus univerſalis eſt & reſpondentem ſtringit, in quam rem plura exempla apud Ariſt. vide. (6.) Si interrogans opponit reſpondenti inductionem quan-

quandam, quam reſpondens quidem neget, inſtantiam tamen adverſus illam non adferat, *tum ſi interrogans prævideat, excipi tamen aliquid poſſe, ipſe prius, quàm id à reſpondente fiat, excipere aliquid & inſtantiam adverſus ſuam inductionem adferre debet, ita tamen, ut inſtantiâ iſtâ allatâ, rurſus inductionem univerſalem reddat, per limitationem*, prout præcepto præcedente expoſitum eſt, ita enim nihil habebit reſpondens, quod amplius excipiat, ſed concedere cogetur univerſales ejusmodi propoſitiones, quæ ſimpliciter prolatæ, partim veræ ſunt partim falſæ, diſtinctæ autem & limitatæ tantum veræ ſunt; v.c. probet interrogans per inductionem, omne corpus eſſe corruptibile, quam neget quidem reſpondens, nullam tamen addat inſtantiam vel exceptionem, hîc interrogans, cum utiqve excipi aliquid poſſe videat, nempe cœlum, quod corpus quidem at minimè corruptibile eſt, prævenire debet reſpondentem & ipſe inſtantiam adferre ac dicere, propoſitionem illam ſimpliciter acceptam non quidem undiquaqve veram eſſe, cum cœlum obſtet, at ſeſe non loqui de omni ſimpliciter corpore, ſed ſolùm de omni corpore generabili, hoc enim corruptibile ſemper eſt, quo ſenſu limitata & reſtricta propoſitio veriſſima eſt, neqve ſupererit quidpiam reſpondenti, quod objicere vel excipere poſſit, ſed propoſitionem concedere opus habebit. (7.) Quando interrogans ex multis ſingularibus per inductionem col-

legit universalem propositionem, respondens verò instantiam adferre non potest, neqve consultum videtur interroganti, ut ipse aliquam adferat, tum *postulare interrogans debet, ut respondens universalem istam propositionem concedat*, propositio enim universalis dialectica ea est, adversus quam, cum in multis ita se habeat, nulla datur exceptio aut instantia; quod si facit respondens, habet interrogans, quod vult, si non facit, seipsum auditorio prostituit, vel tanquam ignorantem, vel tanquam protervum & malitiosum disputatorem, quem deseri oportet: quâ de re jam *supra num. (2.)* dictum est. & *infra etiam part. secund. hujus cap. præcept. V. num. (2.)* dicetur. Hæc de Inductione.

VI. SYLLOGISMOS IN DISPUTANDO RECTE TRACTARE.

Syllogismum esse alterum Organon dialecticum, quo in disputando, præsertim apud Doctiores, utimur, ex initio præcedentis V. præcepti jam patet; quod organon quomodo tractari rectè oporteat, Arist. sequentibus præceptis docet. (1.) Syllogismus alius est *directus vel ostensivus*, cujus conclusio propositæ thesi è diametro opposita est, & directè contradicit, alius *indirectus*, qui *deductio ad incommodum vel impossibile* vocari svevit, cujus conclusio non directè contradicit thesi, sed accipitur ejus conclusionis, quam quis principaliter intendit, contradictoria, vel

vel quod idem eſt, accipitur ipſa ad diſputandum propoſita theſis, tanquam propoſitio aliqua, eiqve jungitur alia quædam propoſitio evidens & manifeſtæ veritatis, atqve ex his duabus infertur alia concluſio, quæ abſurdum ac impoſſibile aliquod involvit, quod cum ex propoſitâ theſi ſequatur, inde ipſam theſin ineptam eſſe, deinceps infertur, v. c. ſit propoſita à reſpondente theſis hæc, terram moveri motibus oppoſitis, ut circulari & recto, hanc interrogans impugnare poterit, vel ſyllogiſmo directo, cujus concluſio theſi directè contradicat, nempe hoc: nullum ſimplex movetur motibus oppoſitis, terra eſt ſimplex, ergo terra non movetur motibus oppoſitis; vel ſyllogiſmo indirecto & per incommodum ita: nullum ſimplex movetur motibus oppoſitis; terra movetur motibus oppoſitis, juxta theſin ſcilicet, ergo terra non eſt ſimplex, quæ concluſio, utut non contradicat propoſitæ theſi, quia tamen abſurda eſt & contra ſententiam omnium, indirectè per eam ipſa concluſio refellitur ab interrogante, qui ita infert: cum falſa ſit hæc concluſio, oportet aliquam ex præmiſſis falſam eſſe, at non eſt falſa ea, quæ primo poſita eſt loco, hanc enim concedunt omnes, ergò falſa erit ea, quæ ſecundo proſtat loco, hæc verò eſt ipſa theſis ſupra à reſpondente propoſita, quæ tali ratione indirectè refutata erit. Plura de hoc ſyllogiſmorum genere in *Analyticâ* ex *lib.1. Prior. c.* 23. 29. 44. *l.* 2. *c.11. lib.* 1. *Poſter. c.26.* dicenda

 erunt.

erunt. Analytico itaqve, qui docet & demonſtrat, utroqve ſyllogiſmi genere uti licet, ac perinde eſt, quomodo concluſionem ſibi propoſitam demonſtret, non enim ab arbitrio ejus, cum quo ipſi res eſt, ita dependet, ut ejus vel conſenſum vel disſenſum curare opus habeat, *Dialectico autem & diſputatori longè commodius eſt, ſi viâ directâ procedat & ſolis ſyllogiſmis oſtenſivis utatur*; quoniam enim evidentiam ſectari Dialecticus & facilitatem in disſerendo ſpectare debet, longè vero evidentior eſt probatio directa quàm indirecta, illâ potius, quàm hac Dialecticus concludere debet: præprimis quoqve quia ipſi cum reſpondente res eſt, cujus conſenſu opus habet, ſi quicquam diſputando proficere cupit, reſpondens verò, niſi abſurdi illati falſitas nimis aperta & manifeſta fuerit, *id quod tanquam abſurdum ex propoſitâ theſi interrogans infert, aliter ſe evadere non posſe videns, abſurdum eſſe pernegabit*, atqve ita totam definitionem aut planè inutilem aut ſaltem difficilem reddet, ut vel ex eo, quod paulò ante poſitum eſt, ſyllogiſmi ad impoſſibile ducentis exemplo intelligere licet, in quo ſi aliter juvare ſuam theſin reſpondens non posſit, negabit abſurdum eſſe, quod terra non ſit ſimplex, atqve ita totam diſputationem impediet, neqve interrogans progredi ulterius valebit. (2.) Ut autem interrogans feliciter deinceps argumentari & ſyllogiſmos parare queat, *propoſitiones ad concludendum interrogabit non quasvis,*

ſed

ſed tales, quæ magnâ ex parte ita ſe habent, & vel nullam vel admodum obſcuram & paucis cognitam patiuntur inſtantiam, tales enim facilè concedet reſpondens, ſecus autem, ſi inſtantia fuerit evidens, facilè argumentum propoſitum ſubvertere poterit; v. c. velit interrogans probare, omnem virtutem conſiſtere in mediocritate, id ut concludat, non debet interrogare hanc propoſitionem, omnis habitus conſiſtit in mediocritate, & ita inferre, virtus eſt habitus, ergò, &c. ſtatim enim videbit reſpondens inſtantias, nempe & vitia eſſe habitus, non tamen conſiſtere in mediocritate, atqve ita totum ſyllogiſmum facilè evertet: ſed quærere debet, annon omne quod eſt conformatum rectæ rationi & quod laudabile eſt, conſiſtat in mediocritate? hanc enim, cum aut nulla ſuppetat inſtantia, aut ſaltem reſpondenti ſit ignota, concedere tenebitur reſpondens, & propterea ſine impedimento argumentari poterit interrogans: quicquid rectæ rationi eſt conforme & laudabile, id conſiſtit in mediocritate, omnis virtus eſt rationi conformis & laudabilis, ergo in mediocritate conſiſtit. (3.) *Nunquam interrogans interrogare debet ipſam concluſionem*, ſed poſtquam interrogatæ & concesſæ ſunt propoſitiones ad concluſionem inferendam necesſariæ, ipſa concluſio ſimpliciter inferenda eſt, ſine omni interrogatione; ſecus enim ab ipſo interrogante in dubium vocaretur proprii ſui ſyllogiſmi neceſſitas & conſequentia, ac intempeſtivâ

hujusmodi interrogatione occasio daretur respondenti putandi, se nondum satis esse convictum, & eapropter negandi totum syllogismum, quod non fecisset, nisi ipsum interrogantem suo argumento diffidere vidisset; v. c. intendat probare interrogans, animam esse immortalem, interrogare quidem debet propositiones ad hanc conclusionem necessarias, nempe, an anima à seipso moveatur? annon quicquid à seipso movetur, sit immortale? &c. ubi autem hæ concessæ sunt, ipsam conclusionem, nempe, animam esse immortalem, non interrogare, sed inferre & concludere debet, aliàs enim respondens cursum disputationis facilè impedire potest, ut ex dictis patet. (4.) Notandum est interroganti, *propositiones & quæstiones non unius esse generis*, sed nonnullas ita comparatas, *ut ad eas responderi possit ita vel non*, quales sunt v. c. estne anima immortalis? estne mundus æternus? &c. *alias verò esse, quæ aliam responsionis loco requirant dictionem*, quales sunt v. c. unde venisti? quis vocat? ubi habitas? &c. ad quas non rectè respondetur per ita vel non, sed aliâ quadam dictione, nempe venio Româ, vocat socrates, habito in Academiâ &c. *alias tandem esse, quæ uberiorem postulant responsionem*, quæqve ab iis proponi solent, qui discere aliquid aut docere volunt, quales sunt quæstiones analyticæ, v. c. quid est homo? cur luna patitur eclipsin? cur anima est immortalis? &c. Quando itaqve interrogans propositiones,

ex

ex quibus ſyllogiſmum conficere intendit, interrogat, *non aliter interrogare eas debet, quàm ut reſpondenti optio adfirmandi vel negandi libera maneat*, hæc enim ſolùm propoſitio dialectica eſt, ad quam adfirmando vel negando, aut per ita vel non, reſponderi poteſt, tum quoqve facilior erit in concedendo reſpondens, ſi liberam ſibi relinqui optionem videat, quàm ſi ad alteram contradictionis partem præciſè adſtringatur; v. c. non debet quærere interrogans, quid eſt homo? quotuplex eſt bonum? &c. hæ enim propoſitiones, cum nec reſponſionem per ita vel non admittant, nec liberam relinquant reſpondenti optionem, Dialecticæ non ſunt, ſed factâ prius definitione hominis & diviſione boni ita quæri oportet, eſtne animal pedeſtre bipes definitio hominis? eſtne bonum aliud animi, aliud corporis, aliud fortunæ? &c. ex his enim, cum omnia propoſitionis dialecticæ requiſita habeant, facilius ſyllogiſmos conſtruere interrogans poterit: Si *verò reſpondens ad hujusmodi quæſtiones & propoſitiones reſpondere recuſat, tum demum petere interrogans debet*, ut ipſemet reſpondens definiat aut dividat, ac oſtendat, quid ſit homo? aut quot modis bonum dicatur? (5.) Tandem ne diſputatio tædioſa fiat & moleſta, *unum argumentum juſto diutius urgendum non eſt*, hoc enim qui facit, ineptè opponit & quomodo dialecticè interrogandum ſit, ignorat, neqve de unâ eademqve re quæſtiones nimis longo tempore

repetendæ ſunt, ne interrogans uno tantùm inſtructus argumento eſſe, alia verò plura ignorare videatur; ſi enim reſpondens ad argumentum apte reſpondeat, interrogans verò nihilominus iſtud repetat, eiqve diutius immoretur, nugabitur interrogans & diſputationem protrahet citra neceſſitatem ac cum tædio auditorum: ſi verò reſpondens aptè non reſpondeat, aut reprehendere eum interrogans & reſponſionem extorquere, aut ſi id fieri non poteſt, relinquere eum tanquam protervum diſputatorem, minimè verò argumentum ſuum multoties repetere debet. Hæc de ſyllogiſmo.

VII. THESES AD DISPUTANDUM PROPOSITAS, MODO FACILES, MODO DIFFICILES, BENE DISCERNERE.

Quoniam fieri non poteſt, ut interrogans ritè officio ſuo fungatur, niſi cognitum habeat, quænam theſes facilè, quænam verò difficulter impugnentur aut defendantur, *prout enim theſis aut faciles, aut difficiles habet aggresſiones, ita alio atq; alio modo adverſus eam diſputari debet*; inde *lib. 8. Top. c. 3.* Ariſt. interrogantem de facilitate ac difficultate oppugnandi theſes informat, & in genere docet, omnia ea, *quæ ab interrogante facilè impugnantur, à reſpondente difficulter defendi, quæ verò reſpondens facilè tuetur, ea ab interrogante difficulter impugnari:* non aliter ut arx, quæ facilè oppugnatur, difficulter defenditur,

tur, quæ autem difficulter oppugnatur, facilè defendi poteſt. Talia ſunt (1.) *prima principia, vel quæ ordine naturæ prima ſunt, ut axiomata* & eæ propoſitiones, ex quibus reliqua omnia in arte vel ſcientiâ quadam demonſtrantur, ipſæ verò non demonſtratione ſed ſolâ definitione innoteſcunt; v. c. totum eſt majus ſuâ parte, in mathematicâ, quicquid affirmatur univerſaliter de ſubjecto, dicitur etiam de omnibus ſub eo comprehenſis, in Analyticâ, ex nihilo nihil fit, in phyſicâ, omnis actio eſt propter finem, in Ethicâ, & aliæ hujusmodi propoſitiones in aliis ſcientiis difficulter impugnantur, quia primæ ſunt, & alias ſeſe priores propoſitiones, quibus impugnari posſint, non habent, ſed ſolâ terminorum, qui in iis continentur, definitione cognoſcuntur: definitiones verò nec ipſi reſpondentes facilè dare, nec eas, quas interrogantes dederunt, libenter admittere ſolent, & eapropter cum diſputationes de primis illis principiis inſtitutæ ſine definitionibus peragi non poſſint, difficilem interrogantibus impugnationem reddunt. (2.) Difficulter etiam impugnantur, *quæ à primis illis principiis longisſimè abſunt, vel quæ naturæ ordine poſtrema ſunt*, aut propoſitiones vel concluſiones ultimæ, quæ ex primis illis principiis per multas alias conſequentias & propoſitiones ſunt deductæ, & propterea aliter quàm per multas haſce conſequentias & per multa media convelli non posſunt; v. c. ſit theſis â reſpondente poſita, Lunam non pati ecli-

 pſin,

psin, hanc ut interrogans confutet & suam conclusionem priori illi oppositam, nempe, Lunam pati eclipsin, rectè probet, multis opus habet consequentiis & mediis terminis, quibus multas intermedias conclusiones, nempe, lunam accipere lumen suum à sole, terram inter solem & lunam interponi diametraliter, lunam esse terrâ minorem, terram esse corpus opacum, & hujusmodi plures confirmare debet, antequam ad propositam usqve, principalem scilicet & ultimam suam conclusionem thesi oppositam perveniat: propter quam prolixitatem progrediendi à primis usqve ad ultima, & transeundi per multa media, sine quâ tamen rectè oppugnare thesin non licet, difficilis reddi disputatio & impugnatio solet. (3.) Difficulter quoqve impugnantur eæ propositiones, *quæ primis principiis sunt proximæ, aut iisdem proximè adhærent*; hæ enim cum per sola illa prima aut probari aut refutari possint, inde fit, ut propter paucitatem mediorum aggressio difficilis fiat: quod ex exemplis ante positis intelligi facilè potest. (4.) Difficulter impugnantur *eæ definitiones, quæ talia continent nomina, de quibus incertum est, an uno, an verò pluribus modis & æquivocè dicantur?* & de quibus dubium est, an propriè, an verò metaphoricè sint accipienda? hæc enim obscuritas facit, ut ignoret interrogans, quò argumenta sua dirigere debeat, qui sive hoc sive illo modo verba accipiat, ridebit semper respondens, seseqve in
aliâ

aliâ significatione accepisse dicet: quarum obscurarum definitionum exempla plura ex *Lib. VI. Dial. loc. 1. 2. & 31. desumi possunt.* (5.) Cum impugnandi difficultas oriatur vel ex defectu definitionis, vel ex ambiguitate & metaphorâ, vel quia thesis non procul abest à primis principiis &c. ut ex præcedentibus constat, inde maxima ferè difficultas in eo sita est, *si quis ingnoret quidnam ex modò dictis sit causa difficultatis? aut si quis ignoret, cur thesis impugnatu sit difficilis,* an nempe careat definitione? an contineat metaphoram aut homonymiam? &c. sicuti enim medicus, si causam morbi novit, facilè ægrotum curat, contra autem, si eam ignorat, difficillima est curatio: ita interrogans quoqve si causam difficultatis intelligit esse definitionis defectum, facilè remedium adferet & definitionem inquiret, si æquivocationem impedimento esse sentit, distinctionem adhibebit &c. at verò si ignorat, quidnam ex hisce difficultatem pariat, non facilè thesin impugnabit. (6.) Omnis in universum thesis difficulter impugnatur, *si rei, de quâ disputatur, vera ignoratur definitio;* v. c. si thesis fuerit, unum uni esse contrarium, vel etiam, multa uni esse contraria, ista nisi commodâ prius contrariorum allatâ definitione, impugnari non facilè potest; at verò si certa contrariorum ponatur definitio, impugnabitur utraqve facilè, quia si contraria definias esse opposita, quæ se invicem expellunt, refutata erit prior thesis, cum enim unum

num à multis possit expelli, nempe album & à nigro & à rubro & à flavo &c. uni multa contraria erunt: si verò contraria dicas esse ea, quæ sub eodem genere quàm maximè distant, refutata erit thesis posterior, cum enim maxima distantia non possit esse, nisi inter duo tantum, nempe sub genere coloris ab albo maximè nec flavum, nec rubrum &c. sed solum nigrum distat, reliqui enim colores omnes ex albedine & nigredine mixti sunt, inde colligitur, unum uni contrarium esse. Idem illustrat Arist. exemplo ex mathematicis desumpto, v. c. an linea dividens latus alicujus figuræ planæ, ut parallelogrammi alicujus, æquali aut simili ratione dividat etiam spatium vel aream parallelogrammi? disputari de quæstione hac non potest, nisi prius definiatur, quid sit simili ratione divisum esse, nempe eandem habere subtractionem partium, quas numero & magnitudine tam in latere quàm in areâ figuræ æquales esse oportet; potissimum verò ea in mathematicis definitione egere docet, quæ primis principiis proxima sunt, ut quid sit linea, circulus, quadratum &c. de his enim, si rectè definita fuerint, disputari poterit commodè, non tamen copiosè, quia, ut supra dictum est, pauca sunt media, ex quibus vel impugnari talia vel probari possunt. (7.) Interdum eâ quoqve de causâ thesis aliqua difficulter impugnatur, quia *thesis ipsa longè facilior & notior minusq; dubia est, quàm illa propositio, quæ ad oppugnandam thesin*

thesin adhibetur; ut v. c. si quis hanc thesin, homines liberè & pro arbitrio suo agere, impugnare velit ex hac propositione & causâ, quia datur fatum, de propositione hac tanquam respondenti longè ignotiori difficilior erit disputatio, quàm de ipsâ propositâ thesi, quæ longè facilior & evidentior ipsi est: quod ubi accidit, quærit Arist. *num respondens talem ipsâ thesi & inferendâ conclusione obscuriorem propositionem concedere debeat? & num interrogans jure postulare vel petere à respondente possit, ut eam sibi concedat?* Concedendam esse hujusmodi propositionem, svadere videtur hæc ratio, quia nisi conceditur, sed difficilioris illius propositionis exigitur probatio, duplex imponitur interroganti onus, & probandi nempe hanc propositionem, & deinde improbandi thesin, cum ab initio hoc posterius solùm interroganti propositum esset, quo ipso tota disputatio impediri potest; contra verò non esse concedendam sine probatione hujusmodi propositionem, inde concluditur, quia si concederetur, argumentum tali pacto exstrueretur, ex ignotioribus, ex quibus tamen disci ac cognosci nihil potest, ut aliunde patet: quamobrem si respondens prius istud incommodum evitare cupit, *concedere debet* talem propositionem sine probatione, si posterius, *non erit concedenda*, & per consequens pro diverso hoc respectu interrogans modò jure quodam postulare poterit, modò non poterit, ut respondens hujusmodi proposi-

tio-

tionem concedat. Sed fortè *ipsa quoq; distingui debebit disputatio*, si enim aliquis *disputat discendi causâ*, qualis disputatio inter Doctorem & discipulum haberi solet, propositionem thesi & inferendâ conclusione ignotiorem sine probatione concedi non oportebit, cum fieri non possit, ut aliquis ex minus notis aliquid discat, *lib. 1. Post. c. 2.* Si verò disputatio *inter æquales & solius exercitationis gratiâ* instituta est, utiqve respondens talem propositionem concedere poterit, etiamsi forte sibi minus nota sit, quàm thesis aut conclusio proposita, modò ea ἔνδοξος *aut vera* sit, id enim jam sufficit quadantenus ad conclusionem dialecticè inferendam; uti *infra part. secund. hujus cap. præcept. II. num. (3.)* dicetur: ex quo simul patet, quid *intersit inter docentem & dialecticum disputatorem vel interrogantem*, hic enim rectè aliquando, nempe in casu, *infra in loco proximè citato*, definito sibi concedi postulat propositionem ipsâ thesi vel inferenda conclusione ignotiorem, si ἔνδοξος est, ille verò non rectè id postulat à discente, quia ex tali propositione disputari quidem aliquando, disci verò propriè nunquam potest. Conf. *lib. Soph. Elench. c. 10.* Sed istud quoqve annotandum hîc est, propositionem thesi & conclusione ignotiorem ac interroganti à respondente concedendam, quam nos vocamus ἔνδοξον, ab Aristotele hoc loco, nempe *lib. 8. Top. c. 3. fin.* vocari ἀληθῆ *veram*,

& in

& in subsequentibus etiam sæpius, quando in Philopho exstat ἀληθὲς *verum*, à nobis ἔνδοξον poni; non quasi ἀληθὲς seu verum, nempe absolutè tale, & ἔνδοξον unum idemqve significent, id enim confutatum jam est supra *lib. I. Dial. cap. III. §. 4.* sed quia ἀληθὲς *vel verum non est uniusmodi*, cum *Alexand. Comm. in lib. 1. Top.* inter ἀληθῶς ἀληθῆ, seu *verè aut simpliciter vera*, & δοξαστικῶς ἀληθῆ, seu *vera ex hominum opinione talia* distinguat, quorum priora cum ἐνδόξοις non coincidunt, uti supra l. c. probatum est, posteriora verò nihil aliud sunt, quàm ipsa ἔνδοξα, uti ex definitione τῶν ἐνδόξων constat: & eapropter quando posthac ἀληθὲς seu verum ac ἔνδοξον permutabimus, aut etiam conjungemus, τὸ ἀληθὲς *in posteriori semper, nunquam autem in priori significatione accipiemus*, cum alia quam δοξαστικὴ ἀλήθεια dialecticæ non conveniat, quod hîc semel pro semper monuisse sufficiat. Hæ itaqve causæ sunt, quibus disputationes dialecticæ & aggresſiones thesium difficiles reddi solent, in quibus explicandis pleriqve, præprimis recentiores Arist. interpretes, textum *lib. 8. Top. c. 3.* tam *miserè vertunt & torquent*, ut nec præcepta cohæreant, sibiqve constent, nec sensus facilè percipi, nec liberari ab incommodis ipse textus possit; semper enim, quando in græco exstat ἐπιχειρεῖν vel ἐπιχείρημα, latinè vertunt *probare vel probatio-*

bationem, & eapropter dicunt, ea quæ naturâ prima ſunt, itemqve quæ primis hiſce principiis vicina ſunt, & reliqua, de quibus actum jam eſt, *difficulter probari*, cum tamen id ſit *contra ſententiam philoſophi*, qui hæc & ſimilia non difficulter probari vel defendi, ſed difficulter impugnari vel improbari docet: quo ſenſu nos quoqve vocabula græca per *impugnare vel impugnationem*, *aut per aggredi vel aggresſionem* vertimus, in quâ ſignificatione vocabula hæc non hoc tantùm loco apud Ariſt. ſed & apud *Herodotum*, *Thucydidem*, *Plutarchum* & alios plures autores occurrunt. Tantum de officio interrogantis vel opponentis.

PARS SECUNDA.

DE RATIONE ET MODO RESPONDENDI.

CONſtat ex dictis, in genere, *interrogantis officium eſſe*, ita argumenta ſua tractare, ut iisdem reſpondentem concedere ac confiteri cogat multa eaqve evidentisſima, quæ ex propoſitâ theſi necesſariò ſequantur, inconvenientia & abſurda, aut, uti nonnulli interpretantur, talia, quæ *ipsâ propoſitâ theſi abſurdiora* ſint; ſecus enim, niſi abſurdiora ſint quàm

ipſa

ipſa theſis, reſpondens, qui abſurdam theſin propoſuit, uti ipſam theſin pro abſurdâ non habet, ita & illa abſurda eſſe negabit, v. c. qui theſin poſuit, affirmationem & negationem poſſe ſimul eſſe veras, fruſtrà deducetur ad hoc abſurdum, contraria eſſe poſſe in eodem ſimul, negabit enim hoc eſſe abſurdum, ſed quemadmodum ipſam theſin, ita & quod ex eâ ſequitur, affirmabit: unde etiam Ariſt. interrogantem, niſi ad hujusmodi evidentisſima abſurda & imposſibilia deducere poſſit reſpondentem, *prorſus à ſyllogiſmo ad abſurdum ducente abſtinere* & oſtenſivo uti jubet. Vid. *part. 1. hujus cap. præcept. VI. num. (1.)* Nunc Ariſtoteles ad *reſpondentem* inſtruendum progreditur, ac docet, in genere quidem *ejus munus* eſſe, theſin ſuam ita defendere, ut nullum inconveniens aut abſurdum, quod contra opinionem omnium ſit, ex ſuâ reſponſione vel defenſione ſequatur; aut ſi ad abſurdum aliquod deveniat, id tamen *non ſuâ culpâ fiat*, aut propter malam reſponſionem, ſed propter ipſam theſin, quam tuendam ſuſcepit, & ex quâ illud abſurdum conſequitur, quod utut omnium optimè reſpondeat, evitare non poteſt, quia ille, qui theſin aliquam ponit, ſimul omnia ea ponit, quæ eam neceſſariò conſeqvuntur: neqve enim in eo ſolùm *peccare reſpondentes ſolent*, quod minus rectè & non ſatis artificiosè reſpondeant vel theſin tueantur, verùm etiam, quod ſæpè minus conſideratè tales theſes ad diſputandum proponant, quæ ſine

abſurdo defendi non posſunt. Ut itaqve reſpondentem felicius informet, ad ſequentia eundem præcepta attentum eſſe jubet.

I. DISPUTATIONUM GENERA ET FINES RECTE DISCERNERE.

Genera & fines diſputationum quatuor ferè ſunt, (1.) diſputatur *docendi & diſcendi vel veritatis & ſcientiæ cauſâ* inter Doctorem & diſcipulum; qualis diſputatio apud *Cicer. in Catone vel dialogo de ſenectute* inſtituitur inter *Catonem* tanquam magiſtrum & *Lælium* ac *Scipionem* tanquam diſcentes. Conf. & *dialog. de amicitiâ ejusdem Ciceronis.* (2.) Diſputatur *certandi & victoriæ obtinendæ gratiâ*; quales diſputationes aut æmulorum ſunt, aut etiam *Sophiſtarum*, ut videre eſt apud *Platonem in Euthydemo*, & aliis infinitis ferè locis. (3.) Inſtitui quoqve poteſt diſputatio πεῖρας ἕνεκα vel *tentandi gratiâ*, quâ alter alterius peritiam ac profectum tentat & examinat; de quo diſputandi genere ſupra jam *Lib. 1. Dial. c. 3. §. 7. p. 99.* dictum eſt. (4.) Tandem *mutuæ exercitationis cauſâ* diſputari ſolet frequentisſimè, inter condiſcipulos, aut inter alios æquales, qui exercendi cauſâ congrediuntur; ita tamen, ut *congresſus hi & exercitia dialectica ad σκέψιν ſeu cognitionem quandam, vel ingenerandam alteri opinionem tendant*, quæ finis eſt Dialecticarum diſputationum, ut ex *Lib. 1. Dial. c. 1. §. 4.* conſtat: cum ipſe quoqve Ariſt. eas diſputatio-

tiones, quas ante γυμνασίας ἕνεκα institutas esse dixerat, paulò pòst σκέψεως χάριν institui dicat atqve ita expressè eas conjungat. Cum itaqve in omnibus his disputationibus non sit idem scopus & finis, inde *neq; eodem modo in iisdem respondendum*, sed aliter ac aliter in unaquaqve earum agendum erit; nempe *in primo genere*, cum scientiæ & veritatis propriè dictæ gratiâ disputatur, discipulus, qui respondet, *nihil tergiversari*, sed ea, quæ omnibus aut multis probantur, aut sibi etiam ita se habere videntur, sine morâ concedere debet, cum certum sit, nullum Doctorem falsa docere aut decipere discipulum suum velle: contra autem faciendum est *in secundo genere*, quando quilibet alterum circumvenire satagit, ac certandi animo disputatur & finis est victoria, tum enim, uti interrogans eò laborat, ut aliquid contra respondentem facere videatur, ita respondens in id incumbere debet, ne aliquid ab interrogante pati videatur, & propterea interroganti nihil planè, quod ullo pacto adversus se facere possit, aut suæ opinioni ullâ ratione repugnet, respondendo concedere debet. De *primo genere disputandi*, argumentis ad veritatem accommodatis & scientificis, agitur *in Analyticâ*, de *secundo autem* in doctrinâ *de sophisticis elenchis* ac ultimâ Dialectices parte; de iis verò, quæ *exercitationis & opinionis gratiâ*, ut & *tentandi causâ* instituuntur, seu *de tertii & quarti generis disputationibus*, ac quomodo in iisdem respon-

dens se gerere debeat, id hoc loco philosophus docet, & respondentem, partim ne hæc disputationum genera confundantur, partim etiam ad sequentia attendere jubet præcepta: quæ eâ de causâ prosequitur diligentius, quia ante ipsum nemo respondentem hac in re informavit, aut quid in hujusmodi disputationibus concedere quid non concedere debeat, docuit, sed *primus id præstitit Arist.* qui non has modò regulas, sed totius forte Dialecticæ, ut & Analyticæ præcepta à rebus ipsis distinxit ac in artis & scientiæ formam reduxit, cum ante eum solus artium harum usus existeret, ipsæ verò artes perfectæ non exstarent. Conf. *lib. de Soph. Elench. c. 34. & Nunnes. not. ad Vit. Arist. 66. & 67.*

II. THESIN AD DEFENDENDUM SUSCEPTAM, AN ἔνδοξος SIT, AN VERO ἄδοξος, RECTE DISTINGUERE.

Thesis à respondente proposita aut ἔνδοξος est, vel *absolutè talis*, ut virtutem esse amplectendam, vel *huic aut illi talis*, ut dari ideas, Platoni, mundum esse æternum, Aristoteli &c. aut est ἄδοξος, iterum vel *absolutè*, ut omnia esse unum, non dari motum, vel *huic aut illi*, ut Deum esse efficientem, Aristoteli, &c. aut tandem est *neutra*, de quâ nihil ab hominibus statutum est & definitum, seu de quâ in neutram partem exstant hominum sententiæ, ut numerus stella-

ſtellarum an par ſit vel impar? definitum eſt â nemine, neqve opiniones hominum vel pro hac quæſtione vel contra eam reperiuntur. Prout itaqve *variat theſis, ita alio atq; alio modo reſpondenti agendum erit*, ne contrarium theſis ab interrogante concludatur; in eo tamen non variabit reſponſio, ſi theſis fuerit ἔνδοξος vel abſolutè vel huic aut illi talis, aut ſi ſuerit ἄδοξος vel abſolutè vel huic aut illi talis, ſed idem ſervandus erit utrobiqve reſpondendi modus, ut ex ſequentibus patebit: quando verò theſis vel ἄδοξος eſt, vel ἔνδοξος, utiqve *aliter ac aliter reſpondendum erit*, ut vel inde patet, quia ſi theſis ἔνδοξος eſt, concluſio adverſus eam ab interrogante inferenda erit ἄδοξος, & contra ſi theſis ἄδοξος eſt, concluſio ἔνδοξος erit, concluſio enim theſi ſemper contraria eſt, ſi verò theſis neutra eſt, talem quoqve oportebit eſſe oppoſitam ab interrogante concluſionem, in quâ varietate theſis & concluſionis, quomodo rectè ſe gerere debeat reſpondens, ſequentibus regulis docetur. (1.) Cum itaqve *reſpondens defendit theſin, quæ ſimpliciter* ἄδοξος *ſit*, interrogantis contraria concluſio erit ſimpliciter ἔνδοξος, & eapropter non niſi per ἐνδοξότατα probari poterit, cum recta diſputandi ratio id poſtulet, ut concluſio ex notioribus & probabilioribus colligatur; quam ob rem diligenter *cavere debet reſpondens, ne temerè*

merè quid interroganti concedat, quod non sit notius & probabilius ipsius conclusione, sed respondendum semper est, propositiones ab interrogante ad oppositam thesi conclusionem inferendam adhibitas esse ipsâ illâ conclusione ignotiores ac minus probabiles, atqve ita *ineptè probari ignotum per ignotius, aut saltem æq; ignotum*: sic enim nunquam ferè fieri poterit, ut interrogans rectè concludat, quandoquidem ex notioribus & magis ἐνδόξοις est concludendum. (2.) Si verò *thesis ad defendendum suscepta est simpliciter* ἔνδοξος, interrogantis conclusio opposita erit simpliciter ἄδοξος, & eapropter *respondens liberius jam concedere poterit tam ea, quæ sibi videntur, quæq; ipse probat, quàm ea, quæ sibi non videntur aut placent, modo ipsâ conclusione absurdiora non sint sed credibiliora existant*; ita enim respectu absurdæ conclusionis aliquatenus ac quodammodò ea ἔνδοξα esse videbuntur, ac proinde concedendo eadem rectè disputabitur, neqve tergiversari respondens videbitur, sed rectè respondere: cum aliàs, si ea non concederet, omnem opponendi ansam præcideret & totam disputationem impediret. (3.) Quando *thesis à respondente proposita neutra est*, nec ἔνδοξος, nec ἄδοξος, talis quoqve erit conclusio adversus eam ab interrogante inferenda, ac proinde *respondens iterum in concedendo liberalis esse debet, ac non ea tantùm largiri, quæ sibi nota sunt*

aut

aut ita sese habere apparent vel videntur, sed ea quoq;, quæ sibi nota & evidentia non sunt, vel ita se habere non videntur aut apparent, dummodò magis ἔνδοξα sint, quam conclusio inferenda, ita enim interrogata ad inferendam conclusionem valent, quamvis fortè respondenti minus nota fuerint, quàm ipsa conclusio, quæ inferri debet, ut *ex parte primâ hujus cap. præcept VII. num. 7.* constat: qualia nisi concederet respondens, tota inde disputatio irrita reddi posset. (4.) Si verò quod ad disputandum proponitur, *non simpliciter, sed huic vel illi tantum* ἔνδοξον *est aut* ἄδοξον, nempe Aristoteli aut Platoni, ex cujus mente propositum est, tum *respondendi modus planè idem est, ac in iis, quæ simpliciter* ἔνδοξα *vel* ἄδοξα *erant*, ut paulò antè dictum est; nisi quod, quemadmodum antè respondens negando vel concedendo ἄδοξα vel ἔνδοξα simpliciter talia respiciebat, illa enim negabat, hæc concedebat, ita hîc ad ea tantùm attendat, quæ vel sibi solùm, vel illi, ex cujus mente disputat, talia existunt, atqve ita *ea modò concedat, quæ vel sibi vel alteri alicui* ἔνδοξα *sunt, ea verò neget, quæ sibi vel illi* ἄδοξα *sunt & minimè placent.* Nempe respondens ejus, ex cujus mente disputat, personam induere debet, *ut nihil concedat, quæ ille sit negaturus, nihilq; neget, quæ ille sit concessurus;* ut qui defendit hanc Heracliti thesin, idem esse bonum & ma-

 lum,

lum, non debet concedere, contraria non poſſe ſimul eſſe in eodem, id enim nunquam conceſſurus esſet ipſe Heraclitus, cum expreſſè ſuæ ſententiæ & theſi repugnet: ſi verò non ex aliâ *ſed propriâ mente theſin ſibi ſolùm ἔνδοξον propoſuit*, tum ſuam ſolummodò mentem ſequi reſpondens & pro arbitrio ac judicio ſuo ea tantùm, *quæ ſibi etiamſi ſoli placent, concedere, quæ verò diſplicent* & non videntur, negare debet. Exempla & pro hac ultimâ & pro præcedentibus hujus præcepti regulis illuſtrandis, initio præcepti poſita ſunt, quæ cujusvis induſtriâ facilè ad quamcunqve regulam applicari poſſunt.

III. PROPOSITIONEM AB OPPONENTE INTERROGATAM, AN ἔνδοξος SIT, AN VERO ἄδοξος, UT ET, AN AD REM ET THESIN PERTINEAT, ANNON, RECTE CONSIDERARE.

Prout theſis, ita & propoſitio ab interrogante contra theſin allata eſt vel ἔνδοξος, vel ἄδοξος, vel neutra; quædam etiam ad concludendum aliquid contra theſin valet, quædam vèrò non valet: in quibus omnibus quomodo rectè diſputare ac reſpondere debeat reſpondens, Ariſt. ſequentibus regulis docet. (1.) Si *propoſitio interrogantis eſt ἔνδοξος, ad concluſionem verò theſi oppoſitam inferendam non valet, concedat eam reſpondens* & dicat, videri quidem ſibi ita eſſe, aſt

ad

ad evertendam ſuam theſin nihil facere, v. c. ſit theſis, ſummum bonum conſiſtere in operatione, opponens autem ita interroget, annon virtus ſit habitus admodum laudabilis & ab omnibus expetendus? eam propoſitionem, quia ἔνδοξος, reſpondens liberaliter concedat, everti enim per eam theſis non poteſt. (2.) Quando *propoſitio interrogantis eſt ἄδοξος, & ad concluſionem theſi oppoſitam inferendam iterum non valet, rurſus concedi quidem ea poterit à reſpondente*, cum ſine periculo theſis id fiat, attamen ut reſpondens ignorantiæ ſuſpicionem à ſe removeat, dicere debebit, ſe concedere quidem propoſitionem interrogatam, *non quod eam probet, aut rectè ſe habere putet, ſed diſputationis ſolùm gratiâ*, & quod ex eâ adverſus ſe nihil planè concludi poſſe videat; v. c. ſit theſis, monarchiam eſſe Reip. formam optimam, opponens autem quærat, annon monarchia admittat imperii ſocium? hæc propoſitio, utut maximè ἄδοξος ſit, concedi tamen à reſpondente ſine periculo poteſt, cum nihil faciat adverſus propoſitam theſin, modò propoſitionem hanc ἄδοξον eſſe ſe neutiquam ignorare addat. (3.) Cum *propoſitio ab opponente interrogata ἔνδοξος eſt & ad contrarium theſi inferendum facit, concedat quidem eandem reſpondens*, ne id, quod omnibus vel plurimis placet, ſolus neget ac impudens eſſe videatur, *addat tamen*, ſe concedere quidem illam propo-

ſitionem, quia ἔνδοξος eſt, at verò *eam adeò conjunctam & vicinam eſſe concluſioni, ut etiamſi vel maximè concedatur, nihil tamen ex eâ poſſit inferri*, ſed petitio τὸ ἐν ἀρχῇ, de quâ paulò poſt, committatur; v.c. ſit theſis, virtus eſt ſcientia, interrogans hanc quærat propoſitionem, annon virtutis actus conſiſtat in agendo & minimè in cognoſcendo? eam, quia ἔνδοξος eſt, negare non audebit reſpondens, & eapropter, ut nihilominus effugiat, dicat, eam probandi vim non habere, vel ex eâ adverſus theſin concludi non poſſe, ſed peti τὸ ἐν ἀρχῇ, quia nempe propoſitio concluſioni inferendæ nimis propinqua eſt, ut illâ poſitâ theſis ſtare non poſſit. (4.) *Si propoſitio interrogata ἄδοξος eſt, ad inferendam verò contrariam theſi concluſionem valet*, dicat reſpondens, fateri ſe quidem, ex eâ propoſitione, ſi concedatur, aliquid contra ſuam theſin concludi poſſe, at verò addat, *illam propoſitionem adeo ineptam & ἄδοξον eſſe, ut concedi nullatenus queat*; v.c. ſit theſis, virtus eſt laudabilis, interrogans quærat, annon virtus ſit contraria rectæ rationi? dicat reſpondens, concludi quidem ex hac propoſitione, ſi ea concedatur, poſſe, virtutem non eſſe laudabilem, at eam adeò abſurdam eſſe, ut nullo modo concedi queat. (5.) Quando *propoſitio interrogantis nec ἔνδοξος eſt, nec ἄδοξος, ſed neutra*, tum ſi ad theſin oppugnandam *nihil facit, concedere debebit eam reſpon-*

ſpondens, ſine eâ tamen, quæ num. (2.) adhibita eſt, definitione, quâ reſpondens concedere ſe propoſitionem dicebat, non quod eam probaret aut rectè ſe habere putaret, ſed quod concludi ex eâ adverſus theſin nihil poſſet; hac enim limitatione & diſtinctione hoc loco opus non eſt, quia hîc propoſitio non ἄδοξος eſt, ut ſupra, ſed neutra: ſi verò *propoſitio neutra eſt & ad oppugnandam theſin valet*, *concedere* quidem ipſam propoſitionem poterit reſpondens, at dicere debebit, *eam contrariæ concluſioni adverſus theſin inferendæ adeò vicinam eſſe, ut ex eâ concludi non poſſit*, ſed petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ committatur, cujus rei exempla ex antecedentibus patent. Atqve ita ſi reſpondens ſe gerit & hæc præcepta ſequitur, nihil peccabit, ſed rectè diſputabit, quia concedenda concedet & neganda negabit, idqve ita, ut ſemper appareat, eum benè videre, quid ex reſponſione ſuâ inferri poſſit; erga interrogantem quoqve difficilis non erit, cum ipſi liberaliter omnia ea, quæ concluſione notiora & magis ἔνδοξα ſunt, concedat: quod ſi his contentus non ſit interrogans & ſine diſcrimine omnia concedi poſtulet, etiam ea, quæ ipsâ concluſione inferendâ abſurdiora ſunt, atqve ex his argumentari velit, ineptus certè erit, cum talia reſpondens concedere nec debeat nec poſſit.

IV. PRO-

IV. PROPOSITIONES INTERROGANTIS, SI FORTE AMBIGUÆ FUERINT, VEL ALIO MODO OBSCURÆ, RECTE TRACTARE.

Cum conturbatus nominum uſus ipſarum rerum cognitionem conturbet, *dialecticum de verbis quoq; ſolicitum eſſe*, & num uſitata & clara, an verò obſcura & æquivoca ſint, diligenter deſpicere oportebit; Conf. *l. 2. Top. c. 1. c. 3. l. 6. c. 2. l. 7. Met. c. 15. &c.* quâ de re reſpondenti ſequentia obſervanda ſunt præcepta. (1.) Si propoſitio ab interrogante allata *dubia eſt aut obſcura*, *aut ambiguitate nominis ac vocis alicujus laborat*, planè non pudeat reſpondentem dicere, *non intelligo, clarius explicetur mens tua*, &c. ſed ſine morâ ac ullâ dubitatione confiteatur, ſe neſcire, in quâ ſignificatione interrogans hanc vel iſtam vocem ſumi velit; talis enim ignorantia pudenda non eſt, iſti verò, qui confiteri eam nolunt, & ne indocti habeantur, ea etiam quæ non intelligunt, concedunt, quaſi ea intelligant, in tantas ſeſe conjiciunt anguſtias, ex quibus poſteà in progresſu diſputationis extricare ſe nullo modo valent: v. c. quærat interrogans, an verum ſit, hominem ſuperare ſimiam guſtu, aprum auditu? &c. aut, an philoſophia ſit habitus omnium nobiliſſimus? hîc quoniam in priori quæſtione incertum eſt, quidnam quæratur, an homo ſuperet ſimiam aut aprum, an verò ſimia aut aper hominem? in poſteriori verò ambigua eſt vox philoſophiæ, *ut ex prolegomenis conſtat*,

in

in quanam autem ſignificatione accipiatur, latet, ideò reſpondens candidè profiteatur, non intelligere ſeſe, quid ſibi velit interrogans, ac eo fine interpretationem ab interrogante petat, ſecus enim, ſi promiſcuè vel concedat vel neget iſtas propoſitiones, circumveniri deinde & conſtringi ab interrogante facilè poteſt. (2.) Quando propoſitio interrogata ambigua & obſcura eſt propter aliquam nominis in eâ poſiti æquivocationem, *æquivocatio autem iſta reſpondenti cognita ac perſpecta eſt*, tum ſi propoſitio iſta *in omnibus illius nominis ſignificationibus* ἔνδοξος aut vera eſt, *omninò ac ſimpliciter ſine ullâ diſtinctione concedenda* erit, ſi verò *in omnibus ſignificationibus* ἄδοξος *vel falſa eſt*, ſimpliciter etiam & *omninò erit neganda*, ſi tandem in aliquibus ſignificationibus *vera*, in aliquibus autem *falſa eſt*, *diſtingvere debebit reſpondens nominis iſtius multiplicem ſignificationem* ac poteſtatem, atqve ita oſtendere, in quibus propoſitio vera ſit & concedatur, in quibus autem falſa ſit & à ſeſe negetur; v.c. quando interrogans opponit has propoſitiones, omnis canis eſt corpus, omnis canis volat, omnis canis latrat, &c. primam quidem concedere omnino poterit reſpondens, quia de omnibus canis ſignificationibus vera eſt, ſecundam autem abſolutè negabit, quia in omnibus ſignificationibus falſa eſt, tertiam verò diſtingvet, & de quadrupede veram eſſe dicet ac concedet, de piſce autem & ſidere negabit: quam nomi-

nominis distinctionem ab initio statim respondens addere debet, ne si postea argumento jam concluso, eam proferat, ab initio illam ignorasse videatur. Quando autem Aristoteles hoc loco, nempe *lib. 8. Top. c. 7.* eas *propositiones æquivocas*, quæ in omnibus significationibus aut veræ sunt, aut falsæ, *simpliciter & omninò vel concedere vel negare jubet*, id sine dubio intelligendum est, *si cum bono viro & æquo disputatore res & disputatio fuerit;* aliàs enim si cum *Sophistâ & homine contentioso* instituta fuerit disceptatio, propositio æquivoca, etiamsi in omnibus significationibus vera, unâ tamen responsione dimitti & simpliciter concedi, aut etiamsi in omnibus falsa, unâ & simplici responsione negari non debet, uti expressè præceptum est, *Lib. Sophist. Elench. c. 17.* (3.) Si verò *respondens de ambiguitate interrogatæ propositionis ab initio statim non cogitat, neq; distinguit eandem*, sed hujus tantùm vel illius significationis rationem habens, propositionem concedit, interrogans autem posteà ad aliam significationem, de quâ respondens concedendo non cogitaverat, deflectit ac respondentem urget, tum *fateri debet respondens, se concessisse quidem interrogatam propositionem, at in alio planè sensu*, quàm quo eam interrogans accepit; v. c. si respondens, hanc propositionem, canis latrat, sine distinctione concessit, interrogans verò exinde sidus illud cœleste, quod canis vocatur, animal irrationale esse concludit,

quia

quia quod latrat, animal irrationale est, dicat respondens, se concessisse quidem hanc propositionem, canis latrat, at in eâ tantùm significatione, quâ canem quadrupedem & terrestrem, minimè verò, quâ cœlestem vel sidus, quod æquivocè canis dicitur, significat: nam & ita defendi data responsio potest. (4.) Quando autem propositio ab opponente interrogata, *perspicua plana ac simplex est atq; omni ambiguitate caret*, tum etiam *simpliciter eam respondens vel concedere vel negare, ac sine ullâ tergiversatione ad eam, ita vel non, respondere debet*; ita enim ad propositionem dialecticam respondendum esse, ex definitione propositionis *supra lib. 1. Dial. cap. 3. §. 2.* traditâ patet: unde si secus fecerit respondens, tergiversator, neutiquam verò dialecticus disputator erit.

V. AD INDUCTIONEM RECTE RESPONDERE.

Quoniam propositiones ab interrogante necessariæ non tantùm, sed & aliæ quædam non necessariæ proponi solent, ut ex initio *hujus cap.* constat, inductivæ scilicet, quando multa similia singularia opponens colligit ac ex iisdem per inductionem, propositionem aliquam universalem infert, de quâ collectione *part. prim. hujus cap. præcept. V.* dictum est; inde quomodo respondens hujusmodi inductivas propositiones rectè tractare, vel ad inductionem benè respondere debeat, *lib. 8. Top. c. 8.* sequentibus præceptis infor-

informatur. (1.) Quando interrogans multa ſimilia ſingularia inducit, ac ex iisdem univerſale aliquod colligit, *reſpondens ſingularia iſta, ſi ea vera aut ἔνδοξα ſint, concedere quidem, at contra univerſale ex ſingularibus iis deductum inſtantiam adferre & objicere aliquid debet*, in quo univerſale iſtud non valeat, ſed aliter ſe habeat; v. c. cum interrogans hæc ſingularia inducit, eqvus eſt irrationalis, leo eſt irrationalis, talis etiam eſt bos, mulus, canis &c. ac ex iis colligit, ergò omne animal eſt irrationale, ſingulares quidem iſtas propoſitiones concedere poterit reſpondens, at contra univerſalem ex prioribus illis illatam propoſitionem inſtantiam adferre debet ac objicere, hominem eſſe animal & tamen non irrationalem ſed rationalem eſſe, atqve adeò propoſitionem iſtam in homine aliter ſe habere ac proinde verè univerſalem non eſſe: niſi enim ita agat reſpondens ſed ſingularia quidem concedat, univerſale verò neget, etiamſi nullam adferre poſſit inſtantiam, *difficilem ac protervum diſputatorem* ſeſe præbebit. (2.) Si verò *reſpondenti nulla inſtantia ſuccurrit*, quâ univerſalem ex inductione ſingularium ab interrogante illatam propoſitionem infringere poſſit, tùm ne protervus eſſe ac temerè aut ex ſolâ malitiâ contradicere videatur, *contra argumentari & rationem quandam propoſitioni iſti univerſali objicere debet*; v. c. cum interrogans inducit ita, voluptas ex venere eſt mala, ex furto, homicidio & vindictâ

dictâ est mala, talis etiam est, quæ concipitur ex lucro, ex adversitate proximi &c. atqve ex his singularibus ita universaliter infert, ergò omnis voluptas est mala, tum respondens, postquam singulares illas propositiones jam concessit, adversus universalem autem, quam concedere non vult, nec salvâ suâ thesi potest, nullam in promptu habet instantiam, rationem objicere debet & dicere, quamvis singulares istæ propositiones rectè se habeant, universalem tamen inde deductam concedi non posse, ideò, quia quædam voluptas expetenda est, quod autem expetendum est, id bonum sit necesse est, & propterea non rectè sese habere oppositam sibi propositionem, quæ universaliter omnem voluptatem malam esse dicebat: secus verò, si deficiente instantiâ, nec contrarium argumentum respondens producere aut vult aut potest, & tamen concessis singularibus universalem propositionem negat, *difficilior & multò deterior erit disputator* quàm prior ille, qui, cum instantiam adferre non posset, universalem propositionem negabat. Non tamen putandum est, inductionem verè solutam aut propositionem universalem inde deductam verè refutatam esse, si eidem contrarium opponatur argumentum; quemadmodum enim aliàs *argumentum argumento opponere non est solvere*, quia multa sunt argumenta, quæ difficulter dissolvuntur, cum tamen falsitas eorum contrariâ ratione aperta fieri facillimè possit, ut ex argumento Zenonis, quâ

 motum

motum tollit, patet *l. 6. phyſ. c. 14.* ita quoqve *ad inductionem refutandam non ſufficit, ſi contrarium illi argumentum objiciatur*, quippe quod ſuam concluſionem quidem probat, at verò contrariam ab inductione illatam non ſolvit, *lib. Soph. Elench. c. 24:* unde etiam hic ad inductionem per contrariam rationem reſpondendi modus neutiquam dialecticæ proprius eſt, ſed ad Rhetoricam pertinere videtur, quem eapropter *Cic. lib. 1. de Invent.* habet, qui, ubi aliter argumentatio refutari non poteſt, adverſus eam, aliam quandam aut æqve firmam aut firmiorem opponere jubet. Optimus itaqve *ad inductionem reſpondendi modus eſt primus*, per inſtantiam, quâ ſolâ refelli inductio expeditè poteſt, *deterior verò modus* eſt per contrariam, quæ objicitur, rationem, hæc enim contrarium quidem probat, at nihil ſolvit; *omnium autem ineptiſſima reſponſio eſt*, ſi quis adverſus inductionem & univerſalem propoſitionem nec inſtantiam adfert, nec contrariam rationem, & tamen univerſale conceſſis jam ſingularibus concedere recuſat, ſed pertinaciter illud negat, qui modus à reſpondente & diſputatore dialectico planè alienus eſſe debet: ita enim qui reſpondet, *protervus & malitioſus tergiverſator eſt*, qui non dignus eſt, ut ejus habeatur ratio, vel ut cum ipſo diſputetur, quem eapropter etiam deſerendum eſſe diximus *ſupra part. prim. hujus cap. præcept. V. num.* (2.) & (7.)

VI. THE-

VI. THESIN, ANTEQUAM AD DEFENDENDUM SUSCIPITUR, BENE CONSIDERARE.

Ut tutius cum interrogante in arenam descendere possit respondens, eundem Aristoteles, antequam thesin aliquam ad disputandum proponit aut defendendam suscipit, ad sequentia *lib. 8. Top. c. 9.* attendere jubet. (1.) Respondens aut thesin qualemcunqve, aut in specie definitionem aliquam (hæc enim facilius quàm alia aliqua thesis refelli potest, *lib. 7. Top. c. ult.*) ad disputandum propositurus ac defensurus, ante omnia *thesin istam benè considerare ac præmeditari debet, qualis ista thesis sit, ad quodnam genus problematum pertineat?* &c. deinde *loci istius problematum generis percurrendi erunt*, ut ita respondens diu ante ipsam disputationem in numerato quasi habeat, quicquid adversus thesin suam proponi aut objici sibi possit; ita enim tela prævisa minus nocebunt, faciliusqve ac promptius respondens interrogantis rationibus resistere poterit, neqve cruda erit disputatio, sed & cum laude respondentis expeditè disputantis & majori cum fructu auditorum conjuncta: quæ salubris disputandi regula, quantum in hodiernis nostris disputationibus, in quibus utplurimùm, *quicquid in buccam venit, respondetur*, non sine publico auditorii detrimento negligatur, omnis dies docet. (2.) *Nunquam respondens absurdam thesin temere ad disputandum proponat, aut eam defendendam facilè suscipiat*, odium enim & malevolen-

tiam bonorum virorum, imò totius ſæpè auditorii incurrit, ſi id cupide ac pertinaciter facere deprehendatur; *abſurda verò & incommoda theſis eſt. 1. ex quâ multa & magna inconvenientia & abſurda ſequuntur*, ut ſi quis vel omnia cum Heraclito, vel nihil cum Parmenide moveri dicat. 2. *quæ bonis moribus & legibus obeſt*, aut quæ mores corrumpit; ut ſi quis Deos colendos, aut Parentes amandos eſſe neget. 3. quæ *hominum voluntatibus adverſa eſt*, ut ſi dicatur, voluptatem præ aliis omnibus eſſe expetendam, aliter enim fieri volunt omnes morati homines, & diſputat contra hanc theſin *Socrates ap. Plat. in Gorgiâ*, aut ſi quis dicat, injuriam facere, præſtantius eſſe, quàm eam pati, iterum enim abhorret ab hac theſi voluntas omnium bonorum, qui non putabunt, reſpondentem cupidè talia defendentem, *id ſolius diſputationis & exercendi ingenii gratiâ* facere (hoc enim ſine dubio ferri poſſet) ſed quaſi ita reverà judicet & ſentiat, ipſum odio proſequentur & talem colligent eſſe ipſius animum, qualem verbis ſuis & abſurdæ theſeos defenſione oſtendit.

VII. SYLLOGISMOS AB INTERROGANTE PROLATOS RECTE DISSOLVERE.

Cum interrogans reſpondenti ſyllogiſmos opponit, falſum concludentes, *opera danda eſt, ut* πρῶτον ψεῦδος *tollatur*, id eſt, *ut non quævis propoſitio ſyllogiſmi negetur, ſed ea, quæ cauſam erroris*

erroris continet & falsæ conclusioni occasionem præbet, licet fortè alia plura in argumento sint, quæ reprehendi possint, quæ cum principalem falsæ conclusionis causam non contineant, omitti possunt; v.c. argumentetur interrogans ita, quicunqve sedet, ille scribit, Socrates sedet, ergò scribit, hîc cum utraqve propositio sit falsa, non tamen benè dissolvitur argumentum, si hæc, Socrates sedet, negetur, quia hæc non est primaria falsæ conclusionis causa, rectè verò argumentum dissolvitur, si hæc, quicunqve sedet, scribit, negetur, hæc enim falsæ conclusionis causa est, & eapropter hujus solius negatione respondens argumentum benè solvit, licet alteram illam, quamvis & ipsam falsam, intactam relinquat. Conf. *lib. 2. Prior. c. 18.*

VIII. SYLLOGISMOS INTERROGANTIS INHIBERE, AC IMPEDIRE EUM, NE CONTRA THESIN CONCLUDERE ALIQUID POSSIT.

Solvere argumentationem ab interrogante jam effectam, docuit Philosophus *præcept. præced.* impedire verò argumentationem quomodocunqve, antequam effecta est, & ne fiat, id hoc præcepto *lib. 8. Top. c. 10. fin.* docetur: cum & in hoc non minima benè respondendi peritia sita sit. Ne itaqve argumentari vel concludere aliquid possit interrogans, impediet respondens *(1.) Si infringat & refutet aliquid eorum, quæ ad conclusionem posteà inferendam necessaria sunt;*

quando enim horum aliquid ablatum est, vel aliqua ex præmissis ad futuram conclusionem requisitis confutata est, impossibile est, ut ipse syllogismus deinde sequatur. (2.) Si *adferat instantiam vel objectionem adversus interrogantem*, vel ita ut *interrogantis personam* petat, ipsumqve qualicunqve modo moretur & aut indigna ac inepta, aut aliena proponere dicat, vel ita *ut adversus ipsam interrogatam, & ad conclusionem inferendam, prærequisitam propositionem* injiciat instantiam & dubitationem aliquam, aut contrariam rationem, in quâ interrogans, quia eam non intelligit, sed sibi repugnare putat, defixus hæreat atq; ita turbetur ac proprii sui argumenti obliviscatur: neqve enim semper instantia à respondente contra interrogatam propositionem allata *eam solvit aut perimit, sed sæpè tantùm corrigit, ut nihilominus universalis maneat*, quod si interrogans non intelligit, sed allatâ instantiâ universalitatem suæ propositionis sublatam esse existimat, jam impeditum ejus argumentum erit. V. c. proposuerit respondens hanc thesin, virtutem esse scientiam, contra quam interrogans conclusurus ita interroget, annon omnis virtus consistit in agendo? hîc respondens, ut futuram conclusionem impediat, aut personam interrogantis petere & inepta ab ipso proponi, dicere debet, aut instantia adferenda est contra propositionem interrogatam, & dicendum, virtutem intelligendi, videndi, audiendi &c. non in agendo

do ſed in cognoſcendo conſiſtere, & propterea propoſitionem allatam non eſſe univerſalem; ubi interrogans, ſive petitione ſuæ perſonæ confundatur & ita argumenti obliviſcatur, ſive inſtantiis adverſus ſuam propoſitionem turbetur, ac ignoret, iisdem illam non ſolvi aut perimi, ſed corrigi tantùm, tali nempe additâ limitatione, omnis virtus moralis in agendo conſiſtit, &c. vel planè deſiſtet ab opponendo & tacebit, vel ad reſpondentis aut eorum, quæ à reſpondente dicta ſunt, reprehenſionem, ab argumento ſuo jam avocatus, ſeſe convertet: utut enim neutro modo argumentum interrogantis verè ſolvatur, *utroq; tamen impeditur interrogans*, ut vel propter animi perturbationem & oblivionem alicujus eorum, quæ interrogaverat, vel propter inſtantiam reſpondentis non rectè intellectam à propoſito avocetur, & confuſus atqve perplexus proſeqvi ſuam argumentationem non poſſit. (3.) Si reſpondens aliquid ex iis, quæ interrogans quæſivit, refellat, non quod falſum ſit, (id enim ad primum modum impediendi concluſionem pertinet) ſed *quia vitiosè eſt interrogatum, aut quia propoſitiones interrogatæ vim non habent ad inferendam concluſionem contra theſin*, ut ſi v. g. interrogaverit interrogans de abſtracto, cum concluſio adverſus theſin inferenda loqui debeat de concreto; aut ſi reſpondens interrogata refellat & ex iis concluſionem aliquam inferri *poſſe neget*, ideò, quia *ipſis deeſt*

adhuc aliquid ad conclusionem colligendam, ſæpè enim nihil proficit propoſitionibus ſuis interrogans, quia ipſis deeſt aliquid, quod ſi addatur, facilè deinceps concluſio inferri poteſt: quem defectum ſi ſupplere & id quod deeſt, addere poteſt interrogans, reſponſio adverſus ipſas propoſitiones interrogatas data eſt, ſi verò non poteſt, data erit reſponſio hæc adverſus interrogantem, ejusqve perſonam. V. c. ſit propoſita à reſpondente theſis, virtutem eſſe ſcientiam, hîc ſi interrogans multa quærat, an nempe appetitus moveatur bono tanquam fine? an habitus practicus determinet appetitum? an ſcientia ſit habitus intellectûs? an virtus ſit habitus appetitus? &c. atqve ex iis, poſtquam ea omnia reſpondens conceſſit, ſubinferre cupiat hanc concluſionem, ergò virtus non eſt ſcientia, non annuet reſpondens, ſed impediet hanc concluſionem, eamqve ex propoſitionibus ante interrogatis & conceſſis ſequi negabit; revera enim concluſio hæc ex interrogatis inferri non poteſt, niſi vel hæc propoſitio, nullus habitus appetitûs eſt ſcientia, vel alia talis addatur: quod ſi itaqve interrogans hanc propoſitionem addat, progredi argumentando poterit, ſi verò addere eam non poſſit, vel propter imperitiam ſuam, vel quia eam ſibi ipſi repugnare videt, utiqve ipſi ab opponendo deſiſtendum ac concluſio ejus per reſponſionem datam impedita erit. (4.) Impedire quoqve poterit reſpondens interrogantis argumentationem

tionem aut conclusionem, si interroganti aliquid objiciat, aut *disputationi immisceat, cujus decisio multum requirat temporis, quodq; prolixius ac difficilius sit, quam ut in praesenti disputatione absolvi possit*, ita enim decidi controversia principalis propter temporis penuriam non poterit, ac interrogans nunquam ad conclusionem suam pervenire valebit; v.c. impediri hoc modo potest disputatio de febribus, si injiciatur prolixa illa & inexplicabilis ferè de putredine difficultas, quæ multorum dierum operam requirit, minimè verò unius diei disputatione absolvi potest: quo impedimenti genere illi quoqve utuntur, qui disputationibus suis intricata & *obscura scriptorum loca & testimonia* immiscent, in quorum explicatione longè diutius, quàm in ipsâ institutâ disputatione, hærendum est. Atqve hi sunt quatuor modi impediendi conclusionem, ex quibus solus *primus modus argumentum verè solvit*; reliqui tres autem nihil solvunt, sed *impediunt tantùm & diverticula sunt, quibus elabi & effugere solent respondentes*, necessitate quâdam constricti, quorumqve usus tum solùm obtinet, *quando melior responsio non suppetit*, aut cum parum, quod de re ipsâ dicatur, in promptu est: omnium verò *deterrimus quartus modus est*, ut Sophisticus etiam dici mereatur, si præprimis citra necessitatem adhibitus fuerit, ad quem eapropter Dialecticus non nisi summâ necessitate coactus confugere debet. Atq; hæc de interrogantis ac Respondentis officio dicta sufficiant.

CAP. II.

DE PASSIONIBUS ET AFFECTIONIBUS DISPUTATIONUM DIALECTICARUM ET UNDE EÆDEM LAUDABILES, UNDE VITUPERABILES REDDANTUR.

§. 1.

UT plenius uterqve & interrogans & respondens, quid sui sit Officii, intelligere queat, Philosophus *lib. 8. Top. c. 11.* prolixius *affectiones & passiones disputationum dialecticarum* prosequitur, & unde eæ fiant *laudabiles*, unde autem *vituperabiles*, edocet; ut vel ex eo disputantes, quid amplecti, quid verò fugere debeant, discant: si fortè nondum omnia *in præced. capite* distinctè satis fuerint explicata. In genere autem *disputatio laudabilis* dicenda est, in quâ tales propositiones, quales supra interrogandas esse diximus, ac eo modo, quo interrogandas eas esse diximus, interrogantur,

tur, ut & in quâ tales reſponſiones, quales ſupra dandas eſſe docuimus, ac eo modo, quo dandas eas eſſe docuimus, dantur; quandò verò ex his aliquid deeſt, & vel interrogatæ propoſitiones ac reſponſiones ad easdem non rectè ſe habent, vel modus proponendi propoſitiones ac reſponſiones ad eas non rectè obſervatur, *diſputationes illaudabiles* fiunt, ſeu vituperabiles ac vitioſæ: quod ut evidentius fiat, Ariſt. alterum ex his contrariis, nempe *Vituperabile*, accipit, & *quibus hoc ac quot modis diſputationi inſit*, oſtendit, inde enim alterum quoqve contrarium, nempe *laudabile*, *quot ac quibus modis diſputationi inſit*, facilè innoteſcet, cum & aliàs ex uno contrariorum alterum intelligatur. *lib. 6. Top. c. 2.*

§. 2. Poteſt autem *diſputatio conſiderari vel per ſe*, vel *prout à diſputante, nempe ab interrogante aut reſpondente proponitur*, ac eapropter *reprehendi etiam & vituperari poteſt*, *vel per & propter ſe*, quando ipſa diſputatio, nempe interrogatio aut reſponſio, vitium in ſe ipſâ habet, & eſt aut falſa, aut ἀσυλλόγιστος, aut obſcura &c. de quibus vitiis paulò poſt agendum erit, *vel propter aliud, id eſt, propter diſputantem, interrogantem ſcilicet aut reſpondentem*, quando non ex ſuo vitio, ſed diſputantium culpâ prava eſt, neqve vitium in ipſâ interrogatâ aut reſponsâ propoſitione habet, ſed ſolùm propter perſonas diſputantes vituperatur, ſive reprehenſionis hujus cauſa ſit interrogans, ſive reſpondens:

dens: utriusqve enim vitio & culpâ accidere potest, ut disputatio vituperetur. Personæ itaqve disputantes, sive ipsæ *disputationes propter personas disputantes reprehendi & vituperari* solent (1.) Quando respondens, sive naturæ suæ pravitate, sive malæ institutionis vitio, *nimium morosus ac difficilis est in concedendo*, ut ea etiam protervè neget, quæ suprà maximè concedenda esse diximus, & ex quibus rectè contra thesin disputare interrogans posset; ex quâ respondentis pertinaciâ sæpè fit, ut interrogans propositam thesin relinquere & ad probandam propositionem temerè negatam, aut ad alias minus idoneas quæstiones sese conferre cogatur: imò neqve id infrequens est, ut tales respondentes, cum ex proterviâ & solo contradicendi studio omnia præfractè negent, *calumniis etiam instructi sint* & scopticis atqve aculeatis suis dicteriis sese adeò iniquos præbeant, ut totam disputationis formam & rationem immutent, quæ tali modo instituta non Dialectica disputatio, sed litigiosa & *scurrilis concertatio* erit. (2.) Vituperabilis quoqve disputatio fieri solet, *quando respondens nihil aliud concedere vult interroganti, quam quod absolutè & simpliciter verum est*, aut nihil aliud, nisi quod tale est, ab interrogante proponendum esse putat; quia enim quædam disputationes dialecticæ exercitii, quædam tentaminis vel examinis gratiâ, non autem scientiæ vel doctrinæ causâ suscipiuntur, in his autem *conclusiones non*

ſemper veræ ſunt, ſed ſæpè falſæ, inde utiq; non vera tantùm, ſed aliquando etiam falſa concedenda erunt, præprimis uti *cap. præced. part. ſec. præcept. II. num. (2.) dictum eſt*, ſi theſis à reſpondente propoſita vera fuerit, tum enim oppoſitam illi ab interrogante concluſionem oportebit eſſe falſam, atqve ita *necesſariò fiet, ut falſa ab interrogante proponantur*, cum aliter propoſitam theſin refellere non poſſit: ſed & tum quoqve, quando propoſita à reſpondente theſis falſa eſt, non ſtatim tamen necesſarium eſt, ut omnia, quæ ab interrogante opponuntur, ſint vera, *falſum enim non tantùm ex veris, ſed ſæpè ex aliis falſis everti & refutari poteſt*, cum frequentiſſimè fiat, ut *falſa ἔνδοξα ſint* & vel aliis multis, vel iſti, cum quo diſputatur, magis probentur & placeant, quàm ipſa vera, unde & magis ac melius in tali caſu ex falſis diſputabitur, quàm ex veris, & eapropter vituperabilem reddet diſputationem reſpondens, qui nunquam falſa admittere aut concedere, ſed vera tantùm ab interrogante proponi cupit. (3.) Reprehenſione dignum eſt, *ſi diſputantium alter alterum à ſcopo & propoſito ſuo abducit aut diſputationem transfert, non dialecticè ab ἀνδόξοις ad ἔνδοξα, ſed malitiosè & ſophiſticè ad aliud quid, quod ad rem & theſin nihil facit*; quod ne fiat, jubet Ariſt. eum, qui diſputationem aliò, vel ex veris ad falſa, vel ex falſis ad vera, ut nempe contrarium contrario concludat, traducere vult, *id faciat more dialectico,*

lectico non sophistico, id est, faciat ex ἐνδόξοις & non ex fallacibus propositionibus, quæ speciem ἐνδόξων habent, cum tales non sint, neqve id faciat argumentatione sophisticâ, quæ speciem tantùm conclusionis habet, vel inferre aliquid videtur, cum reverà nihil inferat: prout enim geometra propositionibus geometricis efficere conclusiones debet, ita Dialecticus dialecticis propositionibus, quas sive verum sive falsum sit, quod ostendi debet, ἐνδόξȣς esse oportet, ut ex definitione propositionis *lib. I. Dial.* traditâ patet, quod si in translatione disputationis non observetur, vituperanda disputatio erit. (4.) Quoniam *disputationes Dialecticæ* exercitationis gratiâ institutæ *unum commune opus ac communem utriqȝ & respondenti & interroganti finem intendunt*, secus ac *in disputationibus Sophisticis* & certandi aut victoriæ causâ institutis fit, *in quibus nullum utriqȝ disputanti commune opus ac finis intenditur*, cum fieri non possit, ut uterqve vincat, sicuti in prioribus uterqve exerceri potest; inde prout aliàs iniqvus socius rem communem impedire solet, ita hîc quoqve, si alter disputantium, sive is respondens fuerit sive interrogans perinde est, suâ culpâ & proterviâ communem disputationis finem impediat & vel vitiosè ac præpostere respondeat vel malitiosè interroget, iniqvus erit socius & totam disputationem, quamvis alter optimè disputet, vituperabilem reddet: quod plerumqve accidit, quando vel respondens

non concedit ea, quæ maximè concedenda ſunt, vel etiam alter diſputantium, quicunqve is fuerit, *alterum audire non vult, ſed ad quodlibet ferè verbum interpellat*, ut ſententiam ſuam abſolvere non poſſit, quibus litigioſis diſputationibus aut *anilibus potius concertationibus* hodiè nihil frequentius eſſe, experientia docet. (5.) Tandem turbare quoqve ſe invicem & diſputationem vituperabilem reddere ſolent diſputantes, *quando incerta & dubia ſunt, ex quibus illi diſputationem componunt*, quod fit, quando diſputantes aut *contraria*, aut *id de quo diſputatur vel quod controverſum & in quæſtione ab initio propoſitum eſt, ſumunt*; prout enim nonnulli quando ipſi ſecum loqvuntur & diſputant, repugnantia ſæpè dicunt & quod prius negaverant, poſteà concedunt, ita quoqve in diſputationibus propriè dictis & inter duos adverſarios inſtitutis frequenter accidit, ut interrogans vitioſè interroget & vel id quod concludendum eſt, vel etiam contraria petat, qualia ſunt v. c. omnia fieri fato, & quædam eſſe in noſtrâ poteſtate, item infinitum contineri infinito &c. reſpondens autem malè reſpondeat, & vel quod controverſum eſt, vel contraria concedat, aut ita, ut duas contradictorias vel contrarias propoſitiones expreſsè concedat, aut ita, ut unam eandemqve propoſitionem, quam anteà conceſſit, poſteà revocet, ſive quam anteà concedere noluit, poſteà concedat, atqve ita ima ſummis miſceat: quâ ratione diſputatio maximè

ximè dubia ac incerta & proinde vituperabilis redditur, *præcipuè culpâ & inertiâ respondentis*, qui nisi dubia & controversa, aut planè etiam contraria interroganti concederet, sumere talia interrogans, sine consensu ipsius, non posset. Atqve his modis disputatio propter personarum disputantium inertiam vituperari ac reprehendi potest.

§. 3. Vitia autem, quæ disputatio in seipsâ habet, quæqve eam per se vituperabilem reddunt, sunt sequentia. (1.) Quando *ex iis, quæ interrogata sunt, nihil omninò concludi potest, neq; quod ad rem & propositum faciat, neq; quod non faciat, aut à præsenti alienum sit*, sed ἀσυλλογιστία est in disputatione & nulla inferendi necessitas, aut propositiones non rectè sunt dispositæ, vel sunt adeò absurdæ & improbabiles, ut nullus ex iis provenire syllogismus possit, neqve si quædam iisdem addantur, neqve si detrahantur; quibus & formæ & materiæ vitiis disputationes *Melissi & Parmenidis* laborare, Arist. *lib. 1. Phys. c. 4.* docet. (2.) Vituperabilis est disputatio, quæ vim quidem habet aliquid inferendi & concludendi, *non tamen concludit id, de quo agitur & quod propositum est, verùm aliud quid, quod ad propositum nihil facit*, sed à præsente disputatione prorsus est alienum, neqve ullo pacto ad eam reduci aut applicari potest, sive ei aliquid addatur, sive detrahatur; quod *Alexander* iterum exemplo adductæ ex *c. l. 1. Phys. c. 4.* à *Parmenide* disputationis illustrat. (3.) Vituperatur dispu-

diſputatio, ſi concludi quidem aliquid ex quæſitis poſſit, *ſed non niſi additis quibusdam aliis, quæ quæſita & interrogata non ſunt, addita autem iſta ſint obſcuriora & deteriora ac minus probabilia, quàm quæ interrogata aut in argumentatione expreſſa erant*, aut ſint minus probabilia & certa, quàm ipſa inferenda concluſio; quod enim omittitur, notius & clarius reliquis eſſe oportet, ut à quovis addi poſſit, quod Ariſt. lib. 1. Rhet. de enthymemate docet, in eo omitti propoſitionem eam, quæ evidens eſt & facilè ſuppleri poteſt: quamobrem cùm in diſputatione dialecticâ tale quid omittitur ac addendum relinquitur, quod aut ignotius eſt propoſitionibus adductis, aut improbabilius eſt concluſione inferendâ, meritò ipſa diſputatio reprehenſionem incurrit. (4.) Pariter vitioſa eſt diſputatio, *ſi multa ſupervacua & inutilia atq; plura, quàm par erat, interrogata & quæſita fuerint*, ut multa in diſputatione inutiliter abundent, & argumentatio nihilominus procedat, *quamvis plura ex interrogatis adimantur aut detrahantur*; non oportet enim plura aut rogari aut concedi, quàm ad concluſionem inferendam neceſſe eſt, quoniam ſecus concluſio non ſequeretur ex interrogatis & conceſſis vel poſitis, quia vel quatenus conceſſa aut poſita ſunt, quod tamen ad rationem diſputationis requiri ex ipſa ſyllogiſmi definitione patet: majus tamen hoc diſputationis vitium eſt, quando detractis quibusdam ſequitur concluſio, *at verò ea quæ poſt de-*

 tractio-

tractionem remanent, vel ipsis propositionibus detractis, vel etiam inferendâ conclusione deteriora & obscuriora sunt. Aliqua etiam de ratione addendi, quod in ratiocinatione deest, ac detrahendi, quod redundat, vide *Lib. 1. Prior. c. 32.* (5.) Tandem vituperabilis est disputatio, quando citra omnem additionem aut detractionem, *argumentatio procedit ex talibus, quæ propositâ & inferendâ conclusione aut improbabiliora ac obscuriora & proinde deteriora*, aut saltem, si in se probabilia & vera fuerint, *probatu tamen difficiliora sunt*, quàm proposita conclusio; utrobiq; enim peccatur in eo, quod ex difficilioribus & minus notis infertur conclusio, quæ ex facilioribus & notioribus inferenda erat, ut ex superioribus constat: ubi etiam exemplis res declarata est, quæ eapropter hîc repetere supervacaneum duximus.

§. 4. Atqve hæc sunt vitia, quæ partim in disputantibus, partim verò in ipsâ disputatione sita sunt, eamqve vituperabilem reddunt, quæ Arist. nunc prolixius explicat & *sequentibus notis* illustrat. Scilicet I. quando §. *præced.* dictum est, *conclusionem ex facilioribus & probabilioribus inferendam*, eamqve, quæ hoc non observat, *disputationem vituperabilem esse*, notandum est, non tamen eapropter requiri debere, ut *omnes omnium quæstionum propositiones & argumentationes dialecticæ æquè probabiles & faciles sint*; id enim *fieri vel ideò non potest*, quia non omnes theses vel quæstiones similes sunt, sed quædam suâ

naturâ faciliores, de quibus facilius argumentamur, quædam verò difficiliores, de quibus non suppetit argumentorum copia, ut ex *cap. præced. parte primâ præcept. VII.* patet: quamobrem de aliis quidem thesibus ex probabilissimis, de aliis ex probabilioribus, de aliis verò ex minus probabilibus, pro rei subjectæ naturâ & conditione, & ex iis, quæ habere possumus, qualiacunqve etiam illa sint, disputandum erit, ut iterum ex *cap. præced. part. secund. præcept. II.* constat. II. Hinc quoq; intelligitur, *non eodem modo disputationem & argumentationem reprehendendam esse, si ea sejunctim & absolute ac in se consideretur, & si cum quæstione aut problemate conjunctim accipiatur;* fieri enim potest, ut argumentatio per se considerata sit vitiosa, quæ tamen vitiosa non erit, si cum problemate vel quæstione conferatur, v.c. fieri potest, ut argumentum non rectè concludat, propositionesqve non benè dispositas habeat, progrediatur tamen ex notioribus & probabilioribus, quod si in se consideretur, vitiosum erit, si vero cum problemate & thesi ignotiori & minus probabili conferatur, non erit vitiosum, quia thesin & conclusionem improbabilem & obscuram ex probabilioribus & notioribus probari oportet: itemqve fieri potest, ut argumentum per se non sit vitiosum, cum quæstione tamen & conclusione inferendâ collatum sit vitiosum, v. c. quod bene quidem & rectè concludit, at ex improbabilioribus & obscurioribus, hoc enim simpliciter acceptum bo-

bonum eſt, reſpectu quæſtionis & concluſionis probabilioris & evidentioris verò malum & vitioſum eſt, cum ineptum ſit, probabiliora & clariora ex improbabilioribus & obſcurioribus concludere velle, ut rurſus ex *Cap. præced. ll. cc.* manifeſtum eſt. III. Ex his quoqve elicitur, *argumentationem, quæ verè concludit, aliquando deteriorem eſſe poſſe eâ, quæ non concludit;* quamvis enim, ſi argumentatio per ſe conſideretur, ea utiqve præſtet, quæ rectè & ſyllogiſticè concludit, quia in hac conſequentiæ necesſitate omnis argumentandi vis ſita eſt, ea verò deterior ſit, quæ non concludit, ſi tamen cum quæſtione vel concluſione hæ argumentationes conferantur, fieri interdum contra poteſt, ut melior ſit, quæ non concludit, deterior autem quæ concludit, tum ſcilicet, quando qvæ concludit, ex abſurdis & improbabilibus propoſitionibus progreditur, ex quibus ipſa concluſio, probabilior nempe & evidentior, malè infertur, cum melius diſputari ac concluſio ex probabilioribus concludi & poſſit & debeat, ea verò, quæ non concludit, ex evidentioribus & probabilioribus & ad inferendam concluſionem aut probandam quæſtionem magis accommodatis progreditur & eâ ſolùm de causâ non concludit, quia una ipſi deeſt propoſitio, quæ tamen præcipuum concludendi robur in ſe non continet, intereà verò adeò evidens eſt, ut à quovis addi poſſit: in quali caſu argumentationem, quæ concludit, deteriorem eſſe eâ, quæ non concludit,

cludit, certum eſt. IV. Porrò quamvis in §. *præced.* aliquoties dictum ſit, *vituperabilem eſſe eam diſputationem, quæ ex improbabilibus progreditur*, non tamen inde ſequitur, eam quoqve vituperabilem eſſe, *quæ progreditur ex falſis*; quia falſa ſæpè probabilia ſunt, ut non tantùm falſum falſis rectè confutari, ſed ſæpè etiam ex falſis verùm inferri & confirmari poſſit: unde propterea, quia interrogans falſa quædam proponit, non ſtatim diſputatio vituperanda ſemper erit. Conf. §. *præced.* 2. *num* (2.) *& lib* 2. *Prior. c.*2.3.*&*4. V. Cum §. *præced. num.* (2.) dictum ſit, vituperabilem eſſe diſputationem, *ſi argumentum non feriat theſin*, ſed aliquid concludat, quod ab eâ ſit alienum, ejus rei cauſam nunc tradit Ariſt. *& cur ſyllogiſmus non ipſam propoſitam concluſionem ſed aliud quid inferat, docet*, quia nempe aliqua ex propoſitionibus ſyllogiſmi cum concluſione inferenda *conjuncta non eſt*; quoniam enim ſyllogiſmus alicujus rei demonſtratio eſt, oportet utramqve ejus propoſitionem cum re iſtâ & concluſione propoſitâ conjunctam & connexam, vel ad concludendam eam rem accommodatam eſſe, ſecus ſi aut utraqve aut altera propoſitio conjunctionem cum propoſitâ concluſione non habeat, nunquam propoſita, ſed alia inde conſequetur concluſio: ſi verò præmiſſarum aut utraqve aut altera cum propoſita concluſione *connexionem habere videatur, cum reverà non habeat*, propoſita inde concluſio ſe-

qui videbitur, cum reverà non ſequatur ac proinde *ſyllogiſmus ille ſophiſticus*, *neutiquam verò dialectica quædam demonſtratio erit*. Atqve hac occaſione putant nonnulli ab Ariſtotele hoc loco, *demonſtrationem ſimpliciter dictam*, ut & demonſtrationem vel *ſyllogiſmum dialecticum*, ſyllogiſmum item *ſophiſticum*, & tandem ἀπόρημα enarrata & definita eſſe; at verò cum *verba iſta in textu nullatenus cohæreant*, vel cum antecedentibus, vel cum conſequentibus, inde meritò ſuſpicio eſt, irrupiſſe eadem in textum, ipſius verò Ariſtotelis non eſſe: quod & *Alexander interpres* dum hæc verba non agnoſcit, confirmat. VI. Deinde §. *præced.* aliquoties dictum eſt, vituperabilem eſſe diſputationem, *quæ ex improbabilibus progreditur*, & eapropter cujusvis ſyllogiſmi propoſitiones probabiles eſſe oportere; inde cum *probabilitas propoſitionum non ſit in omnibus ſyllogiſmis eadem*, docet hîc Ariſt. quomodo probabilitas & in propoſitionibus & in concluſione ſe habeat, & quomodo hujus probabilitas ab illarum probabilitate dependeat? Scilicet (1.) ſi *utraq; propoſitio in ſyllogiſmo probabilis eſt*, altera tamen *magis*, altera *minus*, fieri poteſt, ut *concluſio utrâq; propoſitione*, uti *Alexander* interpretatur, *vel alterutrâ*, eâ nempe quæ minus probabilis erat, uti *Piccartus* vocabulum ἑκάτερον vertit, *probabilior exiſtat*; v. c. probabiles ſunt hæ propoſitiones, omnis ſubſtantia naturalis eſt mutationi obnoxia, homo eſt ſubſtantia natura-

lis, illa quidem minus, hæc magis talis, & tamen conclusio, quæ hinc sequitur, nempe, homo est mutationi obnoxius, utrâqve præmissarum multò probabilior existit. (2.) Quando propositio *una est probabilis, altera autem neutra, vel etiam improbabilis*, tum si altera æqualiter aut similiter probabilis est, quàm altera neutra aut improbabilis, *talis etiam erit conclusio*, id est, *æq; erit probabilis*, ut altera propositio, & *æq; improbabilis vel neutra*, ut altera præmissarum: si verò una propositio magis talis est, quàm altera, tunc *conclusio eam propositionem, quæ magis talis est, sequetur*, id est, si una propositio magis probabilis est, quem altera neutra est, tum conclusio quoqve magis probabilis quàm neutra aut improbabilis erit. VII. Quod §. *præced. num.* (4.) dictum est, vitiosam reddi disputationem, *si præter necessitatem plura, quàm par est, ad inferendam conclusionem adhibeantur*, cum paucioribus ea inferri rectius possit, id nunc Arist. exemplo declarat; v. c. sit conclusio, ex desumptâ ab ideis ratione, inferenda, opinionem aliam aliâ esse veriorem, vel magis talem, inferri ea poterit paucis hoc modo, ubi aliquid est αὐτοέκαστον seu ipsum aliquid, quo nomine Plato ideas appellat, aliud verò non est ipsum aliquid, sed participatione tale, ibi est magis & minus, ipsa enim idea magis est, quæ verò ab eâ dependent, minus, ut ex Platone constat, sed opinio alia est ipsum quid, vel idea aut αὐτοδόξα, aliæ verò opiniones participatione

 tales

tales ſunt & à priori dependent, ergo opinio alia magis alia minus talis aut vera eſt: hîc ſi quis præter hæc poſita, multa alia præter neceſſitatem cumulet & quærat, v.g. annon αὐτοέκαςον vel idea ſit maximè tale in quoqve genere? annon detur idea opinionis? annon idea opinionis ſit magis verâ opinio, quàm aliæ opiniones? annon id quod magis dicitur, ad id, quod magis eſt, referatur, vel annon ei, quod magis eſt, τὸ magis rectè attribuatur? annon αὐτοδόξα ſit vera opinio? annon idea opinionis vel αὐτοδόξα ſit certior & exquiſitior cœteris opinionibus? annon αὐτοδόξα vel idea opinionis maximè ſit? &c. hîc inquam ſi quis tanto circuitu & anfractu diſputationem circumſcribat, utiqve eam vitioſam reddit, cum propoſitiones iſtæ ſuperfluæ diſputationem nec exornent, nec amplificent, nec illuſtrent, nec quicquam conferant ad eum finem, propter quem aliquando propoſitiones non necesſarias adhiberi poſſe, ſupradictum eſt, ſed obſcuram tantùm faciant collectionem, ut ratio & cauſa concluſionis minus perſpicua ſit, nec appareat, ex quibus propoſitionibus concluſio inferatur. VIII. Rurſus aliquoties §. *præced.* dictum eſt, diſputationem vituperabilem eſſe, *quæ ex ignotioribus & minus evidentibus progreditur,* unde ſequitur, in quâvis diſputatione ac argumentatione perſpicuitati & evidentiæ ſtudendum eſſe; quod ut diſtinctius intelligatur, Philoſophus in præſenti, *quot modis diſputatio*

vel

vel argumentatio perspicua & evidens fiat, docet. Dicitur itaqve disputatio perspicua (1.) cum ex talibus propositionibus constat, ut is, qui contra disputat, *nihil eorum, quæ sumpta sunt, propter eorum claritatem & perspicuitatem interroget aut in dubium vocare possit*; qualis ea est argumentatio, quæ ex propositionibus immediatis & nullâ probatione egentibus concludit: *esse enim in dialecticis quoq; propositiones aut planè immediatas*, ut probari alio medio non possint, *aut saltem adeò evidentes*, ut probari alio medio non opus habeant, id partim ex multis propositionibus supra inter locos dialecticos relatis constat, partim etiam à *Philopon. in Lib. 1. Poster. comm. 134.* docetur. (2.) Perspicua est disputatio, quæ quamvis non utatur propositionibus medio carentibus aut probatione non egentibus, *utitur tamen talibus, quæ anteà ex illis medio carentibus & probatione non egentibus jam sunt deductæ* & aliis quibusdam prosyllogismis collectæ & probatæ atq; tam claræ redditæ, ut negari amplius non possint. (3.) Illud quoqve fieri potest, ut argumentationi aliquid ad concludendum desit, & ea nihilominus sit perspicua, *si scilicet id, quod deest aut quod prætermissum est, planè evidens & maximè probabile, omnibusq; notum & perspectum sit*, ut istud citra omnem difficultatem à quovis addi & suppleri possit; quomodo hæc collectio, homo respirat, ergò vivit, admodum evidens est, quamvis prætermissa sit, hæc

propoſitio, quicquid reſpirat, vivit, quippe quæ adeò manifeſta eſt, ut quilibet eam ad ſyllogiſmum poſitum pertinere videat & addere ipſe pro lubitu poſſit. IX. Quoniam etiam *ſupra* §. *præced.* enarrata vitia diſputationem reddunt vituperabilem, nullâ aliâ de causâ, quàm quia eam reddunt falſam, ut videatur quidem diſputatio eſſe, verè tamen non ſit, ſed ſpeciem veræ diſputationis mentiatur, eapropter Ariſt. hîc *de falsâ diſputatione agit*, & quid ac quotuplex ea ſit, inveſtigat; dicitur autem diſputatio vel argumentatio falſa (1.) *quæ concludere videtur, verè tamen non concludit*, qualis eſt ſophiſtica & contentioſa argumentatio, *Lib. 1. Top. c. 1.* quæ formam & ſpeciem ſyllogiſmi mentitur, reverà autem in definitionem ſyllogiſmi impingit & peccat & eapropter concludere quidem videtur, reapſe tamen nihil concludit. Vid. *ſuprà Lib. I. Dial. cap. III.* §. 7. (2.) Falſa dicitur argumentatio, *quæ concludit quidem aliquid, ſed nihil, quod ad rem aut contra theſin faciat*, quod ſæpè contingit *in ſyllogiſmis ad impoſſibile vel incommodum ducentibus*; ſæpè enim interrogantes inconveniens & abſurdum aliquod inferunt, quod aut in ſe, aut ſaltem reſpondenti abſurdum non eſt, atqve ita nihil contra theſin efficiunt, vid. *ſuprà cap. præced. 1. part. 1. præcept. VI.* ſæpè etiam interrogantes abſurdum inferunt, *quaſi id ex theſi ſequatur, cum tamen deduci legitimè non poſſit, neq; ſequatur ex ipsâ theſi*, ſed ex alterâ & ab interrogante

addi-

additâ thesiqve conjunctâ propositione, quod vitium falsæ hujusmodi argumentationis in Analyticis τὸ μὴ παρὰ τοῦτο, *lib. 2. Prior. c. 17.* in dialecticis autem *fallacia à non causâ ut causâ* vocatur *lib. sophist. Elench. c. 5.* quo loco etiam exempla in hanc rem videri possunt. (3.) Falsa vocatur disputatio, quæ concludit quidem aliquid, quod ad rem & thesin facit, at *ratione minus propriâ & accommodatâ, vel ex principiis & propositionibus minimè propriis aut accommodatis*; quid autem sit concludere ratione minus propriâ & accommodatâ, exemplis Arist. declarat medicinæ & geometriæ, quando enim in medicinâ aut geometriâ aliquid infertur ex hujusmodi principiis, quæ medicinæ aut geometriæ propria esse videntur, reverà autem medica & geometrica non sunt, sed aliò spectant, tum ratio minus propria & accommodata est, ac eapropter, sicuti geometrica geometricè, medica medicè, theologica theologicè, physica physicè, non contrario modo, geometrica medicè, medica geometricè, aut theologica physicè, physica verò theologicè sunt concludenda, ita quoqve *dialectica argumentatio, si vera est, ex dialecticis & huic facultati propriis atq; accommodatis principiis progreditur*, id est, ex propositionibus verè dialecticis & ἐνδόξοις, qualecunqve etiam istud sit, quod inde deduci debet, sive verum sive falsum, quæcunqve verò ex talibus concludit propositionibus, quæ

diale-

dialecticæ quidem esse videntur, reverà autem non sunt, sed ad sophisticam vel aliò spectant, *ea non dialectica & vera sed falsa argumentatio erit:* v. c. si quis inferat, calorem non posse generare substantiam, quia calor accidens est, accidens autem substantiam non generat, ratio hæc falsa est, quia propositio, ex quâ concludit, non dialectica aut dialecticæ propria vel ἔνδοξος est, sed talis tantùm esse videtur, cum non sit, reverà autem sophistica est & proinde ad inferendam conclusionem minime accommodata. Vid. quæ *supra §. 2. num. (3.)* dicta sunt. Alii ferè omnes hæc Arist. verba *aliter interpretantur*, quasi non de syllogismo dialectico, sed *de demonstratione* agat & doceat, *eam non esse veram demonstrationem, quæ non sit ex propriis hujus aut illius disciplinæ principiis*, v. c. non esse veram sed falsam demonstrationem, quæ conclusionem geometricam infert ex principiis non geometricis ac alienis &c; at verò *non cohærere hanc interpretationem* cum præsenti Arist. instituto certum est, quia hîc vitia *disputationis non Analyticæ sed dialecticæ* exponit, uti ex *cap. 1. hujus libri part. II. præcepto I. ante fin.* patet, ac propterea nihil de demonstratione solicitus est, sed de eo tantùm, qui hujus loci est & de quo in antecedentibus & consequentibus tractat, syllogismo, nempe dialectico: quomodo autem hîc demonstrationis geometricæ & medicæ mentio fiat, & quod hæ *exempli & similitudinis loco tantùm adductæ sint*, id ex nostrâ

ante

ante positâ interpretatione constat. (4.) Ea quoqve argumentatio falsa dicitur, *quæ ex falsis quidvis sine discrimine, etiam id, quod ex veris rectius & melius inferri potest, concludit*, qualis argumentatio falsa & vitiosa est, *non tum solùm*, quando conclusio illata falsum continet, *sed tunc quoq;*, quando id, quod in conclusione infertur, verum est, cum ex falsis non tantùm falsum, sed interdum etiam verum concludi possit, ut ex iis, quæ *supra num. IV.* dicta sunt, patet; ubi tamen notandum est, ut argumentatio hoc modo falsa sit, *culpam potius esse in disputante & argumentante, quàm in ipsâ disputatione aut argumentatione*, quod vel inde patet, quia ex falsis non tantùm rectè refutatur falsum, sed non rarò optimè etiam infertur verum, ut iterum ex *superiori num. IV.* constat, & eapropter ipsa disputatio, quæ ex falsis progreditur, hoc ipso nihil peccat, nec vituperabilis inde reddi potest, ut ibidem assertum est, verum culpâ argumentantis aut disputantis accidit, ut disputatio ex falsis falsa dicatur: quanquam *non semper argumentans aut disputans hac in re peccet*, sed aliquando qui contra thesin argumentatur, *sciens & prudens falsis utitur*, ac eapropter extra culpam est, nec ullam reprehensionem meretur, cum in Dialecticis exercitationibus falsa adhibere liceat, uti ll. cc. dictum est, aliquando autem *inscius & imprudens falsis utitur*, eademqve falsa esse ignorat & vera putat, vel utitur iisdem, cum id necesse non est,

sed

ſed veriora ſuppetunt, atqve tum meritò reprehendi ac vituperari debet. Interdum enim imò ſæpè dialecticum diſputatorem ſine culpâ adhibere poſſe falſa, tum ex ſuperioribus, tum exinde quoqve manifeſtum eſt, quia *& ab Analytico ad res veras demonſtratione concludendas argumenta ex falſis quandoq; adhibentur*, quod fit in demonſtrationibus per impoſſibile, aut deductionibus ad incommodum aliquod, ut ex *ſupra dictis cap. 1. hujus lib. part. 1. præc. VI.* intelligere licet, quod adeò verum eſt, ut talis probatio ex falſis & per incommodum *apud multos plus valeat ſæpè, quàm optima alia & ex veriſſimis deducta demonſtratio*; quamobrem & dialecticus, ſi ſciens & prudens falſa adhibet, omni culpâ vacat, ſi verò errore ductus falſa adhibet pro veris, cauſa ille eſt, ut diſputatio falſa dicatur: *in ſe verò diſputatio falſa ea dicitur*, quæ ex falſis planè improbabilibus, abſurdis & ineptis ac talibus progreditur, quæ nemini placent, hæc enim etiamſi fortè verum inferat, longè tamen deterior eſt eâ, quæ ex falſis falſum infert, cum in univerſum, quando dialectica diſputatio ex falſis inſtituitur, falſa iſta ἔνδοξα eſſe oporteat, ut rurſus ex *ſup. §. 2. num. (2.)* conſtat. Ea verò omnia, quæ hactenus de falſitate diſputationis dicta ſunt, colligit nunc Ariſt. & in compendium quaſi reducit, dicitqve in omni argumentatione videndum eſſe (1.) *an concludat* aliquid, vel ſimpliciter, vel contra theſin? (2.) ſi concludit, an *concludat verum an falſum?*

falſum? (3.) *ex quibus concludat*, an ex veris an ex falſis? ſi enim α) concludit ex falſis, at ἐνδόξοις & probabilibus, dialectica & non aſpernanda erit ratio, ſi verò β) concludit ex veris, at ἀδόξοις & improbabilibus, minimè dialectica, ſed vitioſa erit, ſi verò γ) ex falſis & ἀδόξοις ac improbabilibus, omnium vitioſiſſima erit, aut ſimpliciter, aut reſpectu ejus, de quâ agitur, quæſtionis: quæ omnia ex ſuperioribus intelligi facilè poſſunt. X. Tandem & id *ſupra* §. 2. *num.* (5.) dictum eſt, peccari in diſputando ſæpè in eo, quod *diſputantes vel id, quod ab initio propoſitum eſt, vel contraria petant ac ſumant*; de quibus diſputationis vitiis *in Analyticâ*, nempe *lib.* 2. *Prior. c.* 15. & 16. ad veritatem & accuratius Ariſt. egit, hîc verò *Lib.* 8. *Top. c.* 13. ad opinionem & quantum propoſitæ huic methodo convenit ac ſatis eſt, tractat. Quod itaqve primum vitium, nempe petitionem τοῦ ἐν ἀρχῇ concernit, ante omnia notandum eſt, *malè iſtud vulgò vocari petitionem principii*, principia enim vel propoſitiones & præmiſſas, quæ principia inferendarum concluſionum ſunt, petere vel interrogare non vitium eſt, ſed præceptum & regula diſputandi, ut ex ſuperioribus patet, quibus toties totiesqve inculcatum eſt, quomodo principia hæc & propoſitiones peti & interrogari debeant, quæ in eo etiam differunt *à concluſione, quæ non petenda, ſed inferenda eſt, cap.* 1. *hujus lib. part.* 1. *præcept. VI.*

num.

num. (3.) verùm cum in græco dicatur petitiò τοῦ ἐν ἀρχῇ, latinè verti debet, non petitio principii, *sed petitio ejus, quod in principio*, scilicet *ad disputandum propositum aut quæsitum erat*; vel *petitio quæstionis*, aut ipsius illius rei & conclusionis, quæ probanda est: id enim verè vitium est in disputando, si quis id, de quo quæstio ab initio disputationis proposita est, & *quod ratione inferre ac concludere debet*, *petere tantummodo*, vel ut sibi concedatur, simplici & nudâ petitione aut interrogatione obtinere velit. Vid. *Monlor. Höpffn. Piccart. & alii in L. 2. Prior. c. 16.* Committi verò talis petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ potest (1.) quando *quis idipsum sibi concedi petit*, *quod probandum erat*, aut quando *quis idipsum in præmissis sumit*, *quod in conclusione inferendum erat*, sive id *verbis iisdem* fiat, sive *aliis idem tamen significantibus*, quorum illud apertius, hoc verò obscurius, ac proinde in disputando usitatius est; v.c. velit aliquis inferre hanc conclusionem, virtus est laudabilis, ac eo fine concedi sibi petat vel hanc propositionem, quod virtus sit laudabilis, vel hanc, quod habitus in mediocritate positus sit laudabilis, is petit τὸ ἐν ἀρχῇ, petit enim sibi concedi in præmissis idipsum, quod probandum erat in conclusione; quod in priori propositione iisdem, in posteriori verò aliis idem tamen significantibus verbis facit. (2.) Petitur quæstio vel τὸ ἐν ἀρχῇ, quando quis id, *quod in parti-*

culari

culari probandum est, sibi in universali concedi petit ac postulat, ut si quis probare ac concludere velit, relatorum esse eandem scientiam; & hanc sibi concedi petat præmissam aut propositionem, quod omnium oppositorum eadem sit scientia; eo ipso enim ipsam quoqve conclusionem, quod relatorum eadem sit scientia, sibi concedi petit, quia relata sub oppositis, tanquam particulare sub universali comprehenduntur. (3.) Idem fit, quando quis contrario modo *id, quod in universali probandum & inferendum erat in conclusione, sigillatim & per partes sibi concedi petit in præmissis* ac propositionibus; ut si quis inferre velit hanc conclusionem universalem, omne animal esse à se ipso mobile, & in particulari aut per partes & species concedi sibi petat, hominem esse à seipso mobilem, ita & eqvum, & leonem, & canem &c. is certè eo ipso ipsam quoqve conclusionem, quam probare & inferre debebat, sibi concedi postulat, quia qui partes hasce concedit, universale deinceps negare non potest. (4.) Idem accidit, quando quis *in præmissis concedi sibi petit divisim, quod in conclusione inferendum & probandum erat conjunctim*, ut si quis inferre velit, medicinam esse salubrium ac insalubrium scientiam, & hoc fine concedi sibi petat seorsim, primò quidem, medicinam esse scientiam salubrium, deinde verò medicinam esse scientiam insalubrium, hoc ipso enim iterum ipsam conclusionem, quam probare debet, evidentissimè concedi

ſibi petit. (5.) Aliquando duo aliqua ita inter ſe affecta ſunt, ut *ſeſe mutuo & neceſſariò conſequantur*, ac ex iis, *ſi quis, ut alterum inferre in concluſione poſſit, alterum ſibi concedi petat*, is eo ipſo ſimul ipſam quoqve concluſionem & quod in principio quæſitum vel probandum erat, petit; v. c. ſi quis ſibi concedi petat hanc propoſitionem, Ariſtotelem fuiſſe diſcipulum Platonis, aut, hunc vel iſtum librum niti fundamento divinæ veritatis, ac exinde probare aut inferre velit hanc concluſionem, Platonem eſſe præceptorem Ariſtotelis, aut librum iſtum non niti deliriis humanæ rationis, ille certè idem probat per idem & ignotum per æqve ignotum, & dum alterum horum, nempe propoſitionem concedi petit, ſimul etiam petit alterum, nempe concluſionem, quam probare debebat, cum alterum horum ſine altero eſſe non poſſit. Atqve hi ſunt modi petendi τὸ ἐν ἀρχῇ *ex opinione hominum tales, ſecundùm veritatem* autem iis modis petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, qui in *Analyticâ* l.c. deſcripti ſunt, ad quos fortè *ſolus primus modus* ex iis, qui hîc enarrati ſunt, referri poteſt; reliqui enim non reverà ſed tantùm opinione & ſpecie quadam, id quod in principio quæſitum erat, petere videntur, annotante hoc *Alexandro Comm. in lib. 8. Top. c. 13. p. m. 233.* Porrò alterum diſputandi vitium dicebatur *eſſe petitio vel ſumptio contrarii*, quæ iterum non uno ſed pluribus modis fieri poteſt; ſcilicet (1.) contraria petere dicitur, *qui directè & expreſsè concedi ſibi petit ac poſtulat*

duas

duas contrarias & oppositas propositiones, quarum altera affirmatio, altera verò negatio est, v. c. virtutem esse laudabilem, & virtutem non esse laudabilem (2.) qui *duo opposita attributa de uno eodemq; subjecto sibi concedi postulat*, v. c. virtutem esse laudabilem, & esse vituperabilem, (3.) qui *postquam aliquid in toto & universali jam concessum habet, adhuc sibi concedi petit id, quod in parte vel particulari repugnat*, v. c. qui concessâ hac propositione universali, omnium oppositorum esse eandem scientiam, concedi petit hanc particularem & priori repugnantem propositionem, salubrium & insalubrium non esse eandem scientiam. (4.) Contrarium etiam petere dicitur, *qui concedi sibi postulat contrarium ejus, quod ex positis & concessis necessariò sequitur*; v. c. si positum & concessum jam sit, omnem voluptatem esse fugiendam, aliquis verò postea concedi sibi petat hanc propositionem, quandam voluptatem esse bonam, is contrarium petet, quia hæc propositio, quædam voluptas est bona, planè opposita est illi, quæ ex concessâ & positâ propositione sequitur, nempe huic, nulla voluptas est bona. (5.) Porrò & iste contraria postulare aut sumere dicitur, qui non ipsa quidem concedi sibi petit contraria, *talia tamen postulat, ex quibus contraria necessariò sequuntur*; ut si quis petat, hominem solâ virtute ad beatam vitam opus habere, & posteà tamen hanc propositionem postulet, sine valetudine neminem benè &

tranquillè vivere posse: ex his enim necessariò seqvuntur contraria & opposita, nempe hominem egere solâ virtute & non egere solâ virtute ad beatè vivendum. Tandem sub finem hujus capitis *Arist. distinguit hæc duo vitia*, nempe petitionem τὸ ἐν ἀρχῇ & petitionem contrarii, à se invicem, & illam quidem *in conclusione*, hanc autem *in propositionibus vel præmissis* spectari docet; illa enim committitur, *quando ipsa conclusio petitur*, ut concedatur, quæ non petenda sed inferenda erat, ut ex superioribus constat: hæc autem committitur, quando quis *repugnantes & oppositas propositiones vel præmissas concedi sibi postulat*, atqve hoc modo disputationem obscuram & vituperabilem reddit, ut iterum ex ante dictis patet.

CAP. III.

DE EXERCITATIONE DIALECTICA.

Quemadmodum *milites*, antequam ad pugnam veniunt & cum hoste congrediuntur, *privatim sese prius præparant & exercent*; ita *Dialectici* quoqve, antequam publicè prodeunt & controversias cum contradisputantibus tractant, *intra privatos prius parietes meditari, seseq; in disputando exer-*

cere atqve ad publica dialecticarum rationum prælia disponere & præparare debent, ut ita promptius posteà & felicius omnia agant: de quâ dialecticâ meditatione & exercitatione Arist. *lib. 8. Top. c. 14. & ult.* sequentia præcepta tradit. I. Ante omnia *diligenter se exerceat disputaturus in doctrinâ conversionis syllogismorum*, sic ut unâ conclusione negatâ statim possit alteram negatæ conclusioni contrariam inferre; qui enim in hac exercitatus est, majorem argumentorum habebit copiam & in unâ argumentatione plures alias continebit: *conversio verò syllogismorum fit*, quando concessis prius præmissis & negatâ tamen posteà conclusione, accipitur immutata in oppositam conclusio, ac cum alterâ concessarum præmissarum jungitur, atqve ex his alterius ex concessis præmissis contradictoria infertur, de quâ conversione syllogismorum plura *Lib. 2. Prior. c. 8. 9. & 10.* videri possunt. V. c. concesserit adversarius has propositiones, omnis habitus in mediocritate positus est laudabilis, virtus est habitus in mediocritate positus, neget autem posteà hanc, quæ ex iis sequitur, conclusionem, ergo omnis virtus est laudabilis; convertitur itaqve syllogismus, si opposita conclusionis & altera ex concessis præmissis jungantur, ita: omnis habitus in mediocritate positus est laudabilis, virtus non est laudabilis, ex his enim sequitur conclusio alteri præmissarum concessarum opposita, hæc nempe, ergò virtus non est habitus in mediocritate positus. II. Dispu- β.

α. (margin, beside "I. Ante omnia")

 tatu-

taturus cum altero *prius argumenta in utramq; partem & pro thesi & contra thesin ex locis supra expositis invenire ac conquirere, ut & solutionem eorum argumentorum præmeditari*, & si alius quis, cum quô ita exercere sese disputando possit, non adsit, *ipse solus & secum* thesin pro & contra ventilare ac examinare debet; multum enim hoc valet & ad confirmandum se & ad refellendum alios, ac proinde ad id, ut aliquis deinceps in disputando & bonus ac promptus interrogans sit, & bonus ac expeditus respondens, utqve *ancipiti quasi gladio* adversarium suum aggrediatur & ad contrarias partes tutior sit, ac quicquid etiam adversarius dixerit, objicere nihilominus aliquid adhuc possit: ad philosophiam seu scientiam & veritatem quoqve inveniendam & cognoscendam non parùm adjumenti adfert, si quis prius rationes pro & contra rectè perspexit, ex quarum contrariarum rationum collisione enascitur veritas, non aliter ut ignis ex attritu aut collisione chalybis & silicis erumpit, ut etiam eapropter dubitatio per contrarias rationes & in utramqve partem, via ad veritatem & scientiam dicatur. Conf. *lib. 1. Top. c. 2. & 3. Metaph. c. 1.* Ad hoc autem, ut quis rationes pro & contra rectè perspiciat, easdemqve posteà ad inveniendam scientiam debitè applicet, & meliores à pejoribus benè discernat, atqve secundum illas veritatem eligat, *ingenio opus est ac bona indole, seu naturali quadam judicandi facultate & promptitudine*,

quâ

quâ quis per naturalem quaſi inſtinctum, id quod verùm eſt, ſtatim amplectitur & amat, id verò, quod falſum eſt, odio proſequitur & fugit, quàm primum quodvis audit: de quâ naturali judicandi dexteritate ac indole, quæ græcis εὐφυΐα dicitur, plura à nobis *in tractatu de cauſis corruptæ philoſophiæ §. 4.* dicta ſunt. III. Exercere ſeſe diſputaturus debet *in iis quæſtionibus, quæ utplurimùm in diſputationem incidunt, vel de quibus frequentisſimè inter homines in ſcholâ & foro diſputari ſolet,* v. c. in phyſicis, an detur vacuum, aut infinitum? an anima ortum habeat per traducem? &c. in theologicis, an detur purgatorium, aut limbus patrum? an Pontifex Romanus habeat jurisdictionem in reliquos epiſcopos, Reges, imperatores? &c. quas & ſimiles quæſtiones in publico & frequentiâ hominum, non niſi magnâ argumentorum copiâ inſtructi & parati aggredi, ac eapropter, quò frequentiores eæ ſunt, eò magis nos in iisdem privatim in anteceſſum exercere debemus; quod idem etiam quàm maximè obſervandum erit, *in primis & generalibus theſibus ac capitibus cujusvis ſcientiæ & diſciplinæ, id eſt, in principiis cujusvis ſcientiæ,* qualia ſunt v. c. in Chymiâ, omnia conſtare ex ſale ſulphure & mercurio, in Politicâ, civitates à naturâ conditas & inſtitutas eſſe &c. in quibus vel ideò diligenti meditatione & exercitatione ac privatâ multorum argumentorum inventione opus eſt, quia quando ad ipſam publicam diſputationem

tionem perventum eſt, faſtidire ac reſpuere reſpondentes hujusmodi uſu recepta principia ſolent, vel eâ de causâ, quia ſe acutos & ingenio præditos eſſe putant, vel quia aliter ſeſe elabi non
§. poſſe vident. IV. In *definitionibus quoq; ſe exerceat futurus Dialecticus*, harum enim copiam ideò in promptu habere oportet, quia principia per eas probantur, ut ex *cap. 1. hujus lib. part. 1. præcept. VII. num. (1.)* patet, & quia magnam argumentorum vim in aliis etiam theſibus vel oppugnandis vel defendendis frequentiſſimè ſuppeditare
§. ſolent. V. Exerceri porrò oportet Dialecticum, *non tantùm in eâ materiâ, de quâ diſputaturus eſt, ſed & in iis, quæ affines ſunt & cum principali diſputationis materiâ aliquam habent connexionem*, in quas principalis controverſiæ argumenta facilè incurrere poſſunt; vel, uti alii rectius hunc locum interpretantur, ſicuti paulò antè *Præcept. III.* Dialecticus in quæſtionibus & controverſiis maximè communibus & frequentibus ſeſe exercere juſſus eſt, ita hîc *adſveſcendum eſſe præcipitur propoſitionibus maximè communibus & univerſalibus*, in quas ſæpiſſimè argumentationes incurrunt & reſolvuntur, quales ſunt, *quæ deſumuntur à conjugatis, caſibus, genere, ſpecie &c.* in has enim pleræqve argumentationes tanquam in communia principia reſolvuntur: quamobrem prout in geometriâ utile non tantùm ſed & neceſſarium eſt, ut quis communia & prima principia, nempe lineas, ſuperficies &c. cognita & per præviam

præviam exercitationem perſpecta habeat, item in arithmeticis, ut κεφαλισμοὶ vel ſumma numerorum capita ad denarium usqve perſpecta ſint, quippe ſine quibus cœterorum numerorum multiplicatorum natura cognoſci non poteſt, ita in Dialecticis quoqve necesſarium eſt, ut ante omnia nos exerceamus in univerſalibus iſtis locis & propoſitionibus, quoniam in eas pleraqve argumenta reducuntur ac proinde ſine iis rectè tractari non posſunt. Non aliter itaqve ut *in exercitatione memoriæ*, ſi certi quidam loci certo ordine collocantur aut diſponuntur, facilè res ipſa quovis loco ſignificata intelligitur ac in memoriam revocatur; ita quoqve in exercitatione hac dialecticâ, ſi *locos iſtos communes & univerſalia illa effata*, contraria contrariorum ſunt conſequentia, quod valet in uno conjugatorum, valet etiam in altero, &c. memoriâ tenemus & in iisdem exercitati ſumus, facilè nobis magna argumentorum copia in mentem venire poterit, cum omnia argumenta ex hujusmodi communibus fontibus fluant & ad eosdem rurſus redeant aut reducantur: v. c. qui probè novit ac memoriâ tenet locum à conjugatis, contrariis &c. facilè recordatur communium harum propoſitionum, conjugatorum conjugatas eſſe definitiones, contrariorum contrarias eſſe definitiones &c. ex quibus deinceps facilè theſis vel oppugnari vel defendi poteſt. VI. Id quoqve in exercitatione dialecticâ obſervandum eſt, *ut potius ipſas has genera-*

 les

les propositiones & communes locos dialecticos memoriæ mandemus, quàm prolixas & integras argumentationes ex iisdem constitutas; facilius enim est, communes istos locos & argumentorum fontes memoriâ retinere, quàm ipsas ex istis factas collectiones: cui illud quoqve addendum est, quod integra & completa argumentatio ad unam solummodò thesin ac quæstionem aut probandam aut improbandam faciat, ille verò qui communes hujusmodi propositiones & locos in promptu habet, ad plurimas quæstiones disputandas instructus & paratus sit. VII. Adsvescendum est, *ut unam propositionem aut unum argumentum in multa resolvere, aut dilatare argumenta ac multiplicare, vel ex unâ universali ratione & propositione multas singulares aut particulares efficere possimus*, idqve quàm fieri potest, *occultissimè*, & contradisputante minimè advertente; quod ita fiet, si qui interrogaturus vel oppositurus est, exerceat sese in eo, ut à cognatione & vicinitate earum rerum, de quibus in thesi oppugnandâ agitur, quàm maximè recedat & ab ipsâ thesi ad id, quod universalius est, dilabi possit, *accipiendo nempe propositiones & rationes maximè universales*, quia quò universaliores sunt propositiones, eò magis etiam receditur ab eâ re, de quâ in thesi agitur, & eò pluresres à propositâ disputationis materiâ alienæ & remotæ comprehenduntur: quæ universales rationes & propositiones posteà, *si resolvantur & in particulares dividantur,*

dantur, ingentem argumentorum copiam parabunt, quibus everti id, quod in theſi poſitum eſt, poterit. V.c. ſi quæſtio eſt, an homo ſit in loco? ad id probandum non eſt accipienda hæc propoſitio, omne animal eſt in loco, ſed hæc potius, omne corpus vel quod corpus habet eſt in loco, magis enim à vicinitate & affinitate hominis, de quo in quæſtione agitur, abit poſterior hæc propoſitio, quàm prior, complectitur enim & plantas ac arbores, & lapides, & metalla, & alia plura, quæ magis ab homine remota ſunt, quàm animalia, de quibus prior propoſitio agit; unde ſi poſterior & univerſalior propoſitio reſolvitur, plures aliæ inde oriuntur, nempe, plantas & arbores eſſe in loco, lapides eſſe in loco, metalla eſſe in loco &c. ex quibus ſingulis deinceps, hominem in loco eſſe, probari poteſt, cum omnia hæc ad hanc affectionem ſimiliter ſe habeant. VIII. Non ea tantùm argumenta, quibus nos ipſi adverſus alios utimur, dilatanda ſunt prædicto modo, verùm *idem quoq; faciendum eſt in argumentis iis, quæ nos ab aliis accipimus*, quæ quamvis fortè particularia ſint, ut univerſalia tamen à nobis tractanda ſunt, ac eapropter, quomodo id tectè & commodè fieri poſſit, privatim ſeſe exercere futurus Dialecticus debet; nam & ita ex unâ ratione multas conficere atqve ſuam etiam ad eaſdem reſponſionem dilatare ac multiplicare, imò etiam *facilius, quod argumento concluſum eſt, refellere licebit*, cum facilius univerſale quàm parti-

particulare everti & refutari poſſit, *lib. 7. Top. c. ult:* quod præceptum non hîc in Dialecticis tantùm, ſed & in arte Rhetoricâ in tractandis enthymematibus obſervandum eſſe Ariſt. monet. IX. Quam maximè verò, qui *reſpondentis* munere defungi cupit, privatim ſe exerceat & cavere diſcat, *ne diſputationem ſuam ab interrogante ad univerſalia & communia revocari permittat*, quia ſic facilius confutari poteſt; ipſe verò ad argumentationem alterius accuratè reſpiciat, an de univerſalibus, an de particularibus ſit inſtituta? ut &, an ex univerſalibus, an verò ex particularibus procedat? de quocunqve enim ſive univerſali ſive particulari tractet argumentatio ab alio facta, ſemper ex univerſalibus procedere debet, cum ſine univerſali nihil prorſus concludi aut ſyllogiſticè inferri poſſit. *lib. 1. Prior. c. 24. 33. & 41. lib. 1. Poſt. c. 26.* X. Cum *junioribus & rudioribus exercitia hæc dialectica inſtituantur per inductiones*, has enim, quia faciliores ſunt, rudiores illi felicius capiunt; *cum peritioribus & Doctioribus verò per ſyllogiſmos*, hi enim, quia efficaciores ſunt, Doctioribus magis ſatisfacere videntur: quâ de re ſuprà jam *lib. 1. Dial. c. 3. §. 6. & lib. 8. c. 1. part. 1. præcept. V.* dictum eſt. XI. Porrò in privatis hujusmodi exercitiis aut congreſſibus dialecticis quibuscunqve non ſedeamus, quaſi res ad nos non pertineat, ſed opera danda eſt, *ut ab iis quidem, quos argumentandi peritiâ & copiâ inſtructos eſſe deprehendimus, utiles aliquas pro-*

poſitio-

positiones syllogisticas discamus ac domum feramus, easqve aut memoriæ mandemus, aut iis, quos *lib. 1. Dial. c. 4. §. 2. num. 5.* descripsimus, *commentariis & locis communibus* inseramus; *ab iis verò, quos in tractandis inductionibus excellere videmus, pulchras aliquas comparationes, pluriumq; rerum similitudines colligamus*, atqve iisdem aut memoriam nostram aut antè dictos commentarios locupletemus: in quibus omnia, quæ didicimus, ad futurum usum asservari possunt. XII. Imò in universum laborare debet futurus dialecticus, ut *ex omni disputatione, sive ipse eam cum alio exercitii gratiâ habeat, sive ex aliis disputantibus eam audiat, utilitatem quandam capiat*, ut scilicet ex eâ discat, vel insignem aliquam *argumentationem*, vel *propositionem*, vel *solutionem*, vel *exceptionem ac instantiam*; animadvertat etiam *virtutes & vitia disputationum*, ac errores vel à se vel ab aliis commissos, ut ipse deinde virtutes feliciter sequi, vitia verò fugere ac errores evitare possit, cum in eo tota disputandi facultas, cujus gratiâ exercitatio suscepta est, consistat: ante omnia autem *maximam curam in colligendis propositionibus ac instantiis ponat*, cum in propositionibus vel in proponendo, & in instantiis vel in excipiendo tota Dialectici vis sita sit, in propositionibus enim vel proponendo ex multis singularibus fit unum universale, ex quo omnis argumentatio constat, *ut ex præced. præcept. IX.* manifestum est, in instantiis verò vel excipiendo

do contra fiunt multa ex uno, quando nempe disſolvitur & diſtinguitur univerſale iſtud, atqve quædam ſub univerſali iſto conceduntur, quædam verò negantur & evertuntur, in quo ſolutio argumentationis conſiſtit, ut ex cap. 1. hujus lib. part. 2. præcept. V. num. (1.) ac exemplo ibi poſito intelligi poteſt. XIII. Quoniam autem exercitationes hæ dialecticæ ac diſputationes, ſi cum aliquibus inſtituantur, iniquæ ac vitioſæ fieri ſolent, inde *futurus dialecticus non cum quolibet ſe exerceat, neq; quemvis in exercitationis ſuæ ſocietatem recipiat*; ſunt enim quidam adeò *protervi ac pertinaces*, ut alterius argumenta quocunqve modo eludere conentur, ut ſæpius evidentisſima negare non erubeſcant, & id tantummodò agant, ne victi videantur, quorum ars quidem contrariâ arte deludi, ac adverſus eos eodem, id eſt, ſophiſtico & contentioſo modo diſputari poteſt, at indecorum eſſe videtur, ſi quis cum hujusmodi litigatoribus & vanis ac turbulentis hominibus in arenam deſcendat, quia loco earum utilitatum, quas bona & cum bonis inſtituta exercitatio habet, *iracundia*, *contentiones*, *concertationes*, *contumeliæ*, *maledicta* &c. inde oriuntur: ad quos protervos diſputatores non incommodè quis eos etiam retulerit, qui *alios audire recuſant*, & nullam in ſermone moram interponentes, verba ſine quiete tanquam ex pharetrâ jaculantur, cum quibus non magis, quàm cum œſtro concitis diſputare licet, ut ap. *Plat. in Theæt. p. m. 130.* exſtat.

XIV.

XIV. Tandem exercitatio & meditatio nostra Dialectica eò præprimis dirigi debet, *ut in promptu & parata habeamus argumenta adversus hujusmodi theses & problemata, de quibus non multa argumenta suppetunt*, utqve ea, quæ adversus tales theses præmeditati sumus, argumenta, *ad multas alias theses etiam adhiberi valeant*, ita enim & in iis, de quibus alii propter paucitatem argumentorum disputare non possunt, prompti erimus, & de quavis etiam aliâ thesi argumentorum copiam paratam habebimus; talia autem argumenta, talesqve theses & problemata sunt *universalia*, hæc enim communitate suâ multas alias theses attingunt ac in iisdem usum præstant, & prætereà difficiliora sunt, quàm ut ex tempore & sine præmeditatione aut exercitatione disputari possint: de quibus universalibus problematibus seu thesibus, ut & argumentis, quid sint & quomodo se habeant, jam *supra* num. III, & V. dictum est, exemplis etiam ibidem adjunctis, ut eapropter *Alexander* hoc ultimum præceptum illorum priorum *repetitionem* esse putet. Atqve hæc de formâ disputationum Dialecticarum, ut & de Libro VIII. Topicorum sufficiant.

ALTE.

ALTERA DIALECTICÆ FACULTATIS PARS DE SOPHISTICIS ELENCHIS.

DE CONSTITUTIONE ET PRÆCOGNITIS QUIBUSDAM DOCTRINÆ DE SOPHISTICIS ELENCHIS.

§. I.

SOphiſtæ vocabulum an *ex primâ impoſitione virum honeſtæ conditionis*, bonarumqve artium Doctorem denotaverit, poſteà verò degeneraverit in ſignificationem priori illi planè adverſam, ut aliis quibusdam vocabulis accidisſe vulgò putatur, an verò *à primâ ſtatim impoſitione ſignificatio ejus mala fuerit*, & impoſtorem, qui ex fucatâ ſapientiâ quæſtum facit, indigitaverit? dubium nonnullis videtur; id tamen certum eſt, apud *Xenophontem*, *Platonem & Ariſtotelem*, vocabulum hoc nunquam in aliâ quàm malâ ſignificatione reperiri, & *talem denotare impoſtorem*, qui viro verè ſapienti, tanquam malus bono opponitur, & cum ſapientiam verè non habeat, eam tamen ſe habere ſimulat atqve mentitur, ut ita ex fucatâ hujusmodi & apparente ſapientiâ famam & gloriolam aliquam apud plebem imperitam conſequi, atqve inde multos diſcipulos comparare ſibi, eosqve pecuniâ emungere ac quæſtum facere poſſit: quales deceptores ex *Platone*, *Ariſtotele*, *Iſocrate* & aliis prolixè & vi-

vis coloribus depinximus alibi, *tract. de cauf. corrupt. philof. §. 16. & multis feqq.* ac eapropter plura hîc de iis dicere fuperfedemus. Reperiuntur autem *tales impoftores in omni difciplinarum genere*, & quotuplices funt σοφοὶ, totuplices quoqve funt σοφισαὶ, ac proinde, quemadmodum dantur verè fapientes, in Phyficis, Politicis, Rhetoricis, Dialecticis &c. ita quoqve fimiæ eorum & fophiftæ in omnibus his fcientiis deprehenduntur; quanquam qui *abfolutè Sophifta fine omni addito*, non fophifta phyficus aut Politicus, fed Sophifta fimpliciter appellatur, *foli Dialectico opponatur*: idqve ex eâ ratione, quia aliquis *fophifta phyficus vel politicus propter materiam tantùm*, in quâ occupatur, vocatur, at verò forma, ut ita dicam, & ratio, propter quam aliquis *fimpliciter fophifta dicitur, eft, quia facultate Dialecticâ abutitur*, atqve mediante hâc fucum fapientiæ, quæftus & lucri causâ, facit in omnibus difciplinis. Hoc ut plenius intelligatur, notandum eft, *Dialecticum & Sophiftam differre non facultate ac potentiâ, fed folo vitæ confilio & propofito, l. 1. Rhet. c. 1. & l. 4. Metaph. c. 2.* non aliter enim *ut medicus & veneficus*, uterqve quidem venena vel citò vel lento tractu abfumentia mifcere æqve novit & poteft, at medicus, qui boni viri nomen tuetur, ea nemini præbet, vitæ fuæ confilio ac propofito impeditus, veneficus autem præbet eadem, cum pudorem jam devoraverit, & aliud vitæ fuæ propofitum habeat; ita quoqve *Dialecticus & Sophifta*,

phista, uterqve quidem fallaciter agere æqve novit ac potest, at Dialecticus id non facit, sophista autem facit, quia utriusqve aliud vitæ consilium ac propositum existit. Unâ itaqve *eademq; facultate Dialecticus benè utitur, Sophista autem ad contemptum Doctorum malè abutitur*, ac in omnibus speciem boni viri mentitur, officiumqve veri Dialectici simulat & fictè sibi sumit; v. c. cum *Dialectici officium sit, ex iis, quæ verè* ἔνδοξα *sunt, verè concludere, Sophista è contrario ex iis*, quæ ἔνδοξα quidem esse videntur, reverà autem non sunt, concludit, aut si verè ἔνδοξα fuerint, concludere tantùm videtur, reverà autem nihil infert, uti omnia hæc prolixius *ex lib. I. Dial. c.3. §.7.* constant, atqve ita Dialecticum ac bonum virum imitatur quidem, seseqve talem esse simulat, at verò proæresin longè diversam habet, ac impostorem agit. Ita quoqve cum *Dialecticus aliquando tentando disputet cum alio*, qui scientiam aliquam profitetur, eoqve fine adhibeat propositiones ex istâ scientiâ desumptas, vel placita ac decreta Doctorum istius scientiæ, v. c. ex medicâ scientiâ, purgationes lunâ plenâ & novâ non esse instituendas, morbos utplurimùm mutari Lunâ ad quadraturam accedente, motum conservare sangvinem à putrefactione &c. ex Geometriâ, lineam tangere circulum in puncto, angulos cujusvis trianguli esse duobus rectis æquales &c. quibus ipse utitur non

tanquam principiis demonſtrativis & præciſè veris, ſed tanquam ἐνδόξοις propoſitionibus, vide *Lib. 1. Dial. pag. 95.* ut ſcilicet ex iis, tanquam datis & conceſſis, intelligat ac exploret, num ille, qui ſcientiam aliquam profitetur, eam etiam verè intelligat nec ne? rurſus *hoc imitatur ſophiſta, & propoſitionibus hujusmodi adverſus Doctores ſcientificos & bonos viros abutitur*, ut eos confundat ac apud imperitam plebem in eam dejiciat opinionem, quaſi ſcientiæ & artis, quàm profitentur, minimè gnari ſint, ipſe verò ſeſe ſcientiæ hujus, quam tamen reverà ignorat, peritiſſimum eſſe jactat & mentitur ac fucum facit, ut gloriolam inde ac lucrum conſequatur: unde etiam *non ex iis, quæ verè placita Doctorum ſunt, argumentatur*, ſed ex iis, quæ cum non talia ſed ἄδοξα ſint, eſſe tantùm videntur, aut ſi aliquando verè talia adhibet, non verè concludit, ſed concludere tantùm videtur, cum reverà nihil inde ſequatur, atqve ita non tantùm verè ſapienti opponitur, cujus ſcilicet ſcientiam ſe tenere ſimulat ac mentitur, ſed & præprimis Dialectico, qui nunquam ex ἀδόξοις concludit, neqve concludere tantùm videtur, ſed reverà aliquid colligit & infert. Vid. *ſupr. lib. I. Dial. pag. 101.* *& Ariſt. lib. Soph. Elench. c. 11.* Porrò quemadmodum, qui *verè ſapiens eſt*, non tantùm veritatem novit, ſed & *eos, qui falſa dicunt, monſtrat & confutat* ex iis, quæ ipſe novit, *Dialecticus* quoqve non tantùm ἔνδοξα

inferre

inferre novit, sed etiam *ἄδοξα monstrare & redarguere sæpè solet*; ita *sophista quoq; utriusq; & sapientis & Dialectici æmulus*, ἀντιλογικὸς est & contradicendi studio tenetur, ac eapropter cum nec verè sciat, nec verè redarguat, in id tamen incumbit, *ut videatur, quasi cum ratione contradicere ac falsitatis arguere possit eos, qui artem ac scientiam aliquam profitentur & verè docti sunt*, de qua apparente & fucatâ sophistarum redargutione, tractationem hanc non de sophistis absolutè, sed *de sophisticis elenchis vel redargutionibus aut reprehensionibus* inscribit: quorum vocabulorum primum, nempe sophista, quid significet, jam dictum est, secundum verò quid sibi velit, nunc explicandum erit.

§. 2. Est itaque *Elenchus nihil aliud, quàm syllogismus contradictionis, vel cum contradictione conclusionis, lib. Soph. Elench. c.1.5.6.8.& 9. l.2. Prior. c.20.* vel talis syllogismus, cujus conclusio adversus thesin aliquam directa & ordinata est, cui contradicit, quamqve redarguit, reprehendit ac refellit; unde *strictius quid est elenchus quàm syllogismus*, sub hoc enim tanquam genere elenchus ut species continetur, cum omnis elenchus sit syllogismus, non tamen contra omnis syllogismus sit elenchus, aut adversus thesin aliquam infringendam directus. Quemadmodum verò aliàs in rebus plerisqve *aliud verum est vel verè tale, aliud falsum*, quod tale quidem esse

 appa-

apparet aut videtur, reverà tamen non est, ut inter homines alius reverà bono corporis habitu præditus, alius verò tumore quodam inflatus est, ut sanus quidem esse videatur, minimè verò sit, non aliter ut olim victimæ apud Athenienses, cum obesæ satis non essent, apertâ cultello cute & spiritu per arundinem inflato, turgebant ac pingvedinem mentiebantur, vid. *Casaub. animadvers. in Athen. pag. 329. 330.* alius porrò suâ formâ & naturâ ac verè pulcher est, alius verò per fucum talis esse tantùm videtur, revera autem non est; ex inanimatis etiam aliud aurum vel argentum verè tale est, alia verò talia esse videntur, cum non sint, ut lythargyrina ac stannea videntur esse argentea, ac felle tincta aurea, cum tamen nihil minus existant: ad eundem quoqve modum *tam syllogismus, quàm elenchus, alius verè talis est, alius non est, sed propter imperitiam eorum, qui rectius judicare non possunt, esse tantummodò apparet aut videtur.* Syllogismus quinam verus sit, quinam falsus *lib. 1. Dial. c. 3. §. 7.* dictum jam est; *elenchus autem verus ille dicitur*, qui vel ex propriis & veris alicujus scientiæ principiis, vel ex communibus & ἐνδόξοις propositionibus conclusionem thesi alicui contradicentem verè infert & concludit: *apparens autem vel falsus elenchus vocatur*, qui vel ex principiis alicujus scientiæ falsis, vel ex propositionibus ἀδόξοις contradicentem conclusionem infert, aut ex veris scientiæ alicujus principiis vel

ἐνδό-

ἐνδόξοις propositionibus contradictoriam conclusionem inferre videtur, cum reverà nihil inferat vel concludat. Porro uterqve Elenchus, tam verus quam falsus, uti ex modò dictis intelligitur, duplex est, *alius didascalicus*, qui ex propriis scientiæ alicujus principiis redarguit, aut redarguere videtur thesin aliquam, quæ ad ipsam illam scientiam pertinet, qualis elenchus *in omni scientiarum genere* obtinet, & est vel geometricus, vel physicus, vel medicus &c. prout principia, ex quibus progreditur, & thesis, cui contradicit, modò ad hanc, modò ad aliam scientiam spectant, *lib. Soph. Elench. c. 9. l. 2. Prior. c. 20.* *alius verò dialecticus*, qui ex communibus & ἐνδόξοις, sive verè sive apparenter talibus, aliquid contra thesin quandam infert aut inferre videtur. Elenchus *didascalicus verus ille est*, qui ex principiis alicujus scientiæ propriis & veris ac rectè intellectis legitimè infert conclusionem aliquam thesi alicui falsæ in istâ scientiâ contradicentem; quali elencho non quilibet uti aut alterum redarguere potest, sed iste solùm, qui veram istius rei, de quâ in elencho agitur, scientiam habet, cum talis elenchus nihil aliud, quàm vera rei demonstratio sit: unde simul patet, *Sophistæ hujusmodi elenchum non convenire*, partim quia sophista nullius rei veram scientiam habet, sed simulat tantùm sese habere & fingit ac mentitur, ut ex §. *præced.* patet, partim quia demonstrativus hic elenchus verè & efficaciter redarguit adversarium, ut mens ejus victa sit,

ſit, quam vis fortè aliquando proterva lingva adhuc contradicat, *Plat. Theæt. pag. 119. l. 1. Poſt. c. 10. & l. 7. Eth. c. 3.* ſophiſta autem nón verè redarguit, ſed apparenter tantùm redarguere videtur. Huic Elencho *didaſcalico vero opponitur apparens vel falſus*, qui ex propriis quidem alicujus ſcientiæ principiis, at falſis & malè intellectis, concluſionem veræ theſi in iſtâ ſcientiâ contradicentem infert, & nihil aliud eſt, quàm falſa demonſtratio, ſeu ψευδογράφημα & paralogiſmus; quamobrem cùm hic elenchus ex principiis & viſceribus quaſi ſcientiæ alicujus ſit deſumptus, à nemine disſolvi vel reſponderi ad eam poterit, niſi qui ſcientiam iſtam, ad quam ille pertinet, probè tenet, quinimò neqve uti falſo hoc elencho valebit quilibet, ſed ille ſolùm, qui viſcera illa ſcientiarum perſcrutatus eſt: unde rurſus patet, *neq; hunc elenchum ſophiſtæ competere*, cum ille non ipſa ſcientiæ aut rei alicujus propria principia ac eſſentiam ſequatur, ſed in cortice quaſi & accidentibus ſolùm hæreat & circa communia verſetur ac ex iſtis elenchum efficiat aut efficere ſeſe fingat ac mentiatur. Vid. *l. Soph. Elench. c. 11. & l. 13. Metaph. c. 8.* Elenchus *verus Dialecticus*, non aliter ut ſuprà ſyllogiſmus dialecticus, *Lib. 1. Dial. pag. 99. duplex eſt*, alius *abſolutè & καθ' ἐξοχὴν talis*, alius *verò tentativus*, quorum uterqve ex propoſitionibus & principiis concludendi non huic vel illi ſcientiæ propriis, ſed communibus progreditur, *ille prior* quidem ex verè

ἐνδό-

ἐνδόξοις simpliciter & absolutè talibus, quæ omnibus tam doctis quam indoctis in hac aut aliâ scientiâ videntur & placent, ac locis topicis supra expositis continentur, legitimè & verè infert conclusionem thesi alicui contrariam; *hic posterior verò* iterum quidem ex verè ἐνδόξοις, at non absolutè & simpliciter talibus redarguit thesin aliquam, sed ex iis, quæ his aut illis ἔνδοξα sunt, aut quæ tantùm sapientibus in certo genere talibus vel artificibus videntur & placent, v. c. medicis, politicis &c. quæ & similes propositiones communibus & ἐνδόξοις propositionibus dialecticis supra *pag. 95.* adnumeratæ sunt: quamvis enim *hæc sapientum placita semper ex scientiâ aliquâ sint desumpta*, ut etiam §. *præced.* dictum est, *non tamen isti scientiæ ita propria statim sunt*, ut à nemine, nisi istius scientiæ perito, cognosci aut adhiberi possint, verùm sæpè indoctus etiam, qui nullius scientiæ & artis gnarus est, illa habet, & eapropter dialecticus tentativus etiam, quamvis scientiam non teneat, propositionibus tamen inde desumptis, non ut scientificis veris & indubitatis, quâ ratione soli scientiæ & scienti propriæ sunt, sed ut communibus & ἐνδόξοις placitis utitur ad scientiam alterius examinandam, cum ipsæ etiam artes & scientiæ communibus quibusdam concludendi principiis frequentissimè utantur, quæ omnia egregiè Arist. *lib. Soph. Elench. c. 11. §. 8.* exponit. Elencho Dialectico prioris ge-

neris & simpliciter dicto, opponitur *elenchus falsus & apparens*, qui dialecticus quidem esse videtur, reverà tamen non est, quando quis thesin aliquam redarguit aut contrariam illi conclusionem infert ex iis, quæ verè & absolutè ac simpliciter ἔνδοξα esse, omnibusq; placere videntur, cùm reverà talia non sint, aut quando quis verè ἔνδοξα simpliciter talia adhibet, ex iis vero redarguere thesin vel oppositam illi conclusionem inferre tantùm videtur, cum revera nihil inferat aut concludat, vel deniqve quando ex iis, quæ simpliciter ἔνδοξα esse videntur cum non sint, redarguere & concludere videtur, cum verè nihil inferat aut concludat; alteri verò scilicet *tentativo elencho opponitur ille apparens & falsus elenchus*, qui ex iis, quæ his aut illis sapientibus ἔνδοξα ac artificum placita esse videntur, cum non sint, redarguit thesin aliquam, & oppositam illi conclusionem infert, vel qui ex artificum decretis verè talibus redarguere thesin aliquam videtur, cum reverà non redarguat & nihil concludat, vel tandem, qui ex iis, quæ placita artificum esse videntur, nec tamen sunt, redarguere thesin videtur, nec tamen redarguit: quorum omnium Elenchorum tam didascalicorum quàm dialecticorum, tam verorum quàm apparentium & falsorum *exempla* & alia quædam huc pertinentia ex *lib. I. Dial. c. 3. §. 7.* desumi possunt. Atqve *ultimus hic Elenchus apparens & falsus, utriq; Elencho Dialectico vero oppo-*

oppositus, propriè sophisticus aut sophistarum proprius est, ut ex *§. praeced.* constat, quo impostores illi & sapientes apparenter tales, per omnes philosophiæ partes grassantur & fucum faciunt; quanquam hujusmodi Elenchus *absolutè Elenchus dici non mereatur*, cum apparens tantum & falsus sit, uti apparens aurum non est aurum & fucata pulchritudo non est pulchritudo: parum quoqve *Elenchus hic sophisticus à contentioso vel litigioso, nempè solo ferè fine differt*, contentiosus enim Elenchum suum falsum ad solam victoriæ opinionem dirigit, sophista autem in opinione victoriæ non acquiescit, sed ulterius tendit & ex fucatâ hac victoriâ opinionem sapientiæ atqve ex hac quæstum facit & lucrum quærit. *Lib. Soph. Elench. c. 11.* Ex quibus verò causis hujusmodi apparentes ac Sophistici Elenchi oriantur, & *quænam sint deceptionum ac fallaciarum sophisticarum principia aut fontes*, id quidem in inferioribus distinctè & accuratè exponendum erit, nunc autem quasi indice digito monstrasse sufficiat, sæpe oriri hujusmodi Elenchos & fallacias *ex homonymiâ*; cum enim ipsis in medium prolatis rebus institui non possit disputatio, sed vocibus nos uti oporteat pro rebus, tanquam notis & symbolis ipsarum rerum, inde fit, ut quia voces paucæ sunt, res autem infinitæ, sæpè uno eodemqve nomine & vocabulo plures easqve diversas res appellare opus habeamus: unde porrò facilè nascitur deceptio aut fallacia, quia si quis voce æquivoca in

hac

hac ſignificatione utatur, alter verò vim iſtius vocis ac diverſas ejus ſignificationes ignorans, in alio eam ſumat ſenſu, effugere iſte errorem non poterit, pariter ut ille, qui in pharmacopolio pyxidum ignarus quid pro quo accipit, turpiter errat, aut prout ille, qui in arithmeticis ac ſubducendis calculis rudis eſt, & quid ſuo quiqve loco valeant calculi, ignorat, ab iis, qui ſunt in eo genere periti & exercitati, facile circumveniri poteſt, cujus deceptionis & fallaciæ plura exempla inferius danda erunt.

§. 3. Atqve ita jam conſtat, cur præſens tractatio *de ſophiſticâ*, vel *doctrina de ſophiſticis Elenchis* ſit inſcripta, quidqve per Sophiſtam & *Elenchum ſophiſticum* ſit intelligendum, non alium ſcilicet intelligendum eſſe, quàm eum, qui ſophiſtis familiaris & proprius eſſe ſolet, quemqve ſyllogiſmo & Elencho dialectico vero opponi *§. præced.* dictum eſt; unde id ſimul quoqve intelligitur, *errare eos, qui quemlibet Elenchum hujus loci eſſe, vel Ariſtotelem hoc loco de omnibus cujusvis generis deceptionibus ac fallaciis, aut de omnibus falſis & apparentibus Elenchis egisſe putant*; quod enim Elenchus falſus didaſcalicus v. c. ψευδογράφημα ac paralogiſmus ad ſophiſtam ac proinde ad doctrinam de ſophiſtica quoqve non pertineat, id ex *præced.* §. manifeſtum eſt, quia ex domeſticis & propriis ſcientiæ principiis, quanquam falſis & malè intellectis deſumitur, & propterea nec à ſophiſtâ adhiberi, quippe qui ad propria ſcientiarum

non

non descendit, nec à Dialectico dissolvi potest: unde expressè Arist. *l. soph. Elench. c. 9.* docet, non de omnibus deceptionibus & falsis Elenchis hîc agendum esse, sed sophisticis tantùm, vel iis, qui dialecticis veris Elenchis opponuntur. Scilicet *paralogismi non sunt sophistici simpliciter & absolutè dicti*, sed tantùm cum addito tales, & qui paralogismo utitur & ex propriis vel physicæ, vel geometriæ, vel alius cujusdam scientiæ principiis malè intellectis & falsis demonstrare aut docere videtur, is non agit sophistam, nisi fortè cum addito talem, nempe sophistam physicum, geometram &c. simpliciter autem & absolutè dictus sophista ex communibus & talibus rationibus, quæ dialecticæ ac tentativæ esse videntur, cum non sint, non docere vel demonstrare, sed disputare & redarguere vel refellere conatur, atqve ita se omnibus opponit, ut ad modum sapientis omnia scire, omniumqve ignorantiam detegere posse videatur: unde etiam suos Elenchos ex iisdem locis, nempe à conjugatis, oppositis &c. fallaci tamen modo sumit, ex quibus Dialecticus suos syllogismos construere solet, quæ omnia *ex præced. §. 1. & 2.* satis constant. De solis itaqve Sophisticis & Dialectico Elencho oppositis fallaciis, minimè autem de paralogismis aut aliis hujusmodi deceptionibus hîc agitur, cum *longè aliter affectæ sint hæ Dialecticæ fallaciæ*, de quibus hîc in *Dialecticâ* tractatur, aliter verò se habeant fallaciæ in scientiis, vel paralogismi, de quibus eapropter

propter in *Analyticâ* tractari debet; neqve enim idem utriqve fallaciarum generi assignari potest communis fons & origo, sed quemadmodum pulchritudinis una communis idea dari nequit, cum alia viri, alia fœminæ, alia senis, alia adolescentis &c. pulchritudo sit, ita quoqve *una communis idea & origo omnium fallaciarum tam scientificarum quàm dialecticarum dari non potest*, cum aliter hîc aliter ibi decipiatur: unde etiam *aliter ad fallacias sophisticas & dialecticas respondendum* est, ut ex subsequentibus patebit, *aliter autem ad paralogismos*, uti ex *Analytica* constat, quippe quæ sola de paralogisticis deceptionibus & responsionibus ad easdem agit.

§. 4. Quod autem *tractatio hæc de Sophisticis Elenchis vel deceptionibus ac fallaciis Sophistarum ad Dialecticam verè pertineat & ejus pars sit*, intelligi ferè jam potest *ex sup. §. 1.* ubi ex *l. 1. Rhet. 1. & l. 4. Metaph. 2.* dictum est, *Dialecticum & Sophistam non differre facultate, sed vitæ tantùm proposito & consilio;* quod certè fieri non posset, si doctrina de Sophisticis Elenchis à Dialecticâ removeretur, eamqve Dialecticus ignoraret: ita enim non vitæ tantùm propositum, sed & facultas ac potentia alia esset, cum non posset id vel sciret Dialecticus, quod Sophista scit & potest. Porrò Arist. *l. 1. Rhet. c. 1.* docet, *ejusdem facultatis esse videre, quid sit verè & quid sit apparenter tale*, unde in Analyticâ non tantùm figuræ syllogisticæ verè tales & utiles, sed etiam apparenter

tales & inutiles, ut & demonstrationes non solum verè, sed & apparenter tales, nempe pseudographemata & paralogismi considerantur, in Ethicis non tantùm fortitudo vera, sed & apparens ac fucata, in Politicis non modò respublica verè talis & recta, sed & apparens & vitiosa tractatur &c. quod cum ita sit, in Dialecticâ quoq; non solum de ἐνδόξῳ verè, sed & apparenter tali, ut & non tantùm de Elencho Dialectico vero, sed & apparente ac falso, id est, sophistico agendum erit: quamobrem doctrinam de sophistica, quippe quæ nihil aliud est, quàm consideratio τῦ ἐνδόξου apparentis, & Elenchi Sophistici, ipsius Dialecticæ partem esse oportebit. Neqve quisquam hîc objiciat, *inutilem & supervacaneam esse hanc additionem hujus doctrinæ de Sophisticis Elenchis ad Dialecticam*, posseqve eam satis ex superioribus libris Topicorum cognosci, in quibus virtute continetur, cum & aliàs, qui quid rectum sit, benè didicit, eo ipso etiam quid curvum sit, intelligat, neqve peculiari hujus explicatione opus habeat; quamvis enim laudem mereatur tractandi brevitas, opera tamen danda est, *ut cum obscuritate conjuncta non sit*, & quamvis ex uno contrario, nempe recto, intelligatur etiam alterum, nempe curvum, *rudior tamen, indistincta ac confusa est ista cognitio, & non actu sed potentiâ talis*, *l. 2. Prior. c. 21.* ad distinctam verò & accuratam cognitionem alterius, non sufficit tractatio unius, unde medica non tantùm de sanitate, sed & morbis

bis eorundemqve ſpeciebus, Ethica non tantùm de virtute, ſed & vitio, geometria non tantùm de lineâ rectâ & perpendiculari, ſed & obliqua & curvâ, nempe circulari, ſpirali, ovali &c. tractat: quâ de causâ & hic in Dialecticis, non tantùm de ἐνδόξοις verè ſed & apparenter talibus, nec ſolùm de Elencho vero, ſed & falſo ac ſophiſtico ſeorſim & ſeparatim tractari debet. Rurſus *Sophiſtam refellere ejusq; fallacias ſolvere nullius niſi Dialectici officium eſt, neutiquam verò alius cujusdam ſapientis aut ſcientis*; cum enim ſophiſta ex communibus elenchos ſuos conficiat, nullus verò ſciens ad communia & ultra proprios ſcientiæ ſuæ fines progrediatur, aut ea, quæ communitate latitudinem ſcientiæ ſuæ excedunt, vel interroget vel ad ea reſpondeat, *lib. 1. Poſt. c. 12.* Dialecticus verò totus in communibus hiſce occupatus ſit, patet à nemine ſophiſtam refelli aut fraudes ejus detegi, niſi à ſolo Dialectico, poſſe: quod ipſum ut Dialecticus feliciter exſequatur, utiqve ſcire illum & probè cognitas ac ante inveſtigatas atqve in numerato quaſi habere oportet ſtrophas ſophiſtarum, non aliter ut medicus ſcire debet veneficia, ſi quidem iis occurrere feliciter voluerit, ac proinde doctrina hæc aliò quàm ad ipſam Dialecticam referenda non erit. Neqve enim alio fine Dialecticus de fallaciis hiſce tractat & modos decipiendi ſophiſticos deſcribit, niſi *ut nobis ab iisdem cavere, & ſi quà iisdem alii adverſus nos utantur, facilius & felicius diſſolvere eos, aut occurre-*

occurrere illis possimus, minimè verò, ut iisdem adversus alios temerè utamur, aut alios ipsi circumveniamus & decipiamus, quod *Alexander etiam ab initio Comment.* observat; non aliter ut in *gymnasticâ* omnes digladiatorum technæ & stratagemata discipulis deteguntur, non ut ipsi iis utantur, sed ut eadem ab aliis adversus sese adhibita feliciter & artificiosè eludere queant, quâ intentione in Dialectica quoqve sophismata non ad usum, sed ad defensionem & cautelam docentur: quanquam *interdum ipse quoq; Dialecticus & bonus vir, sine ullo famæ suæ periculo aut lucri cupiditatis suspicione, sophisticis & falsis hisce Elenchis uti possit*, quando nempe vel tentatorem agit, vel cum Sophistâ disputat, vel cum amico ipsi res est, vel aliis etiam in casibus, de quibus *supra lib. I. Dial. pag. 145. 146. & lib. VIII. Dial. pag. 440.* Tandem ipse quoqve Arist. doctrinam de Sophisticis Elenchis aliò quàm ad Dialecticam non refert, quod evidentissimum est, si quis *exordium vel initium lib. 1. Topic. & epilogum vel conclusionem libri de Sophisticis Elenchis* inspiciat; ibi enim proposuerat invenire methodum, quâ quis de omni quæstione possit disserere ex probabilibus & in disputando nullum repugnans vel absurdum dicat, quod ipsum se expedivisse concludit, non extremo *libri 8. Topic.* sed in fine demum *libri de Soph. Elench.* ubi eâ de re se satis dixisse, eamqve absolvisse *cap. 34. post. init.* dicit, apertissimè hoc ipso significans, *doctrinam de*

Sophisticâ cum Dialecticâ unum continuum opus esse: quod expressis etiam testatur verbis, quando *l. 2. Prior. c. 17.* librum de Sophisticis Elenchis *sub nomine & titulô librorum Topicorum* citat, dicens, se de modo imponendi alteri per non causam ut causam, egisse in Topicis, cum tamen eâ de re non *in libris 8. Topic.* sed *libro de Sophist. Elench. cap. 5. & 29.* actum sit. Vid. etiam *lib. Soph. Elench. c. 11. fin.*

§. 5. Ut verò distinctius innotescat, de quibus posteà sit agendum, notandum est ex *lib. Soph. Elench. c. 3. quinque modos atq; scopos esse, ad quos Sophista in disputando respicit,* & quorum adminiculo finem sibi propositum ac supra descriptum, nempe opinionem quandam sapientiæ & inde proveniens lucrum obtinere allaborat; scilicet (1.) adversarium suum ita aggreditur, *ut eum elencho, licet falso & sophistico,* suprà descripto, *convincat, vel convincere videatur,* sic ut ille sese errasse putet & fateatur: à quo Elencho totum hoc opus denominatur. (2.) cum autem sophista elencho suo semper id obtinere non possit, ut alterum redarguat aut erroris convincat, vel convincere videatur, propter peritiam ejus, quâ sophisticas fallacias detegit & solvit, tum operam dat, *ut alteri illi falsas quasdam propositiones ostendat,* quas vel concesserit imprudens, vel quibus usus fuerit, cum tamen ad rem nihil valeant, ex quibus tamen ipse sophista si potest, falsum aliquod infert. (3.) Si nec hoc possit

possit sophista, tum *absurditatem aliquam adversario suo affingit, aut ex iis, quæ ab ipso concessa sunt, elicit*, eumqve opinionem nimis παράδοξον & dudum explosam tueri clamitat, quam Sophista, si sapientibus convenit, apud vulgus traducit, si verò vulgo placet, apud sapientes: cum plerumqve vulgus & sapientes opinionibus suis diffidere soleant. (4.) Porrò *vocabula etiam captat sophista, & solœcismum contra disputanti impingit*, vel eò ipsum adigere conatur, ut solœcismum committat, vel barbare loquatur, ac adversus grammatica præcepta peccet. (5.) Deniqve ad id quoqve alium sophista deducere solet, *ut nugetur & garriat, vel tædiosâ quâdam tavtologiâ idem temerè ac frustra repetat, vel saltem id facere videatur.* Atqve hi sunt quinque illi modi, quibus Sophista aliis imponit, aut quinque illi scopi, quos intendit, vel ut verè eosdem tangat & assequatur, vel si id propter prudentiam contra disputantis fieri non possit, tangere & assequi saltem videatur, eo fine, ut sapiens esse videatur & ex simulatâ hac sapientiâ quæstum faciat; de quibus modis & scopis omnibus ita agendum erit, ut *in priori sectione hujus tractationis* omnium harum deceptionum Sophisticarum *genera & nexus, earumq; causæ & fontes, ut & præcepta κρύψεως vel occultationis Sophisticæ*, quibus Sophistæ fallacias suas proponere ac id, quod intendunt, occultare solent, aperiantur, &

ſtratagemata illorum omnia detegantur, *in poſteriori verò ſectione*, quomodo omnibus his occurrendum ſit, & *quomodo fallacias Sophiſtarum ſolvere, ac nos ab omnibus eorundem impoſturis tutos præſtare debeamus*, doceatur: ita enim non ea ſolum, quæ ad προαίρεσιν Dialectici pertinent, de quibus in ſuperioribus libb. 8. Topicorum actum eſt, ſed etiam omnia, quæ ad δύναμιν Dialecticam ſpectant, abſoluta erunt.

SECTIO PRIOR
DE
SOPHISTARUM SCOPIS
ET IMPONENDI MODIS.

CAP. I.
DE
ELENCHIS AC FALLACIIS IN DICTIONE CONSISTENTIBUS.

§. I.

Quoniam Elenchus ille, quo Sophiſta adverſarium ſuum primò aggreditur, uti paulò ante dictum eſt, *duo comprehendit (1.) voces (2.) res vocibus iſtis ſignificatas,* & ve-

& verò in utrisq; tam vocibus quàm rebus per voces illas significatis deceptiones fieri possunt, inde *duos apparentes vel fallaces redargutionum ac Elenchorum modos constituit* philosophus *lib. Soph. Elench. c. 4.* & fallacias ac Sophisticos Elenchos alios παρὰ τὴν λέξιν, *sive propter dictionem*, alios verò ἔξω τῆς λέξεως, sive *extra dictionem*, *in ipsis rebus*, esse docet. Fallaciæ *propter dictionem sunt*, *aut in dictione ac verbis consistunt*, *quando deceptio fit propter vocabula*, quæ in Elencho posita sunt, seu quando *vitium est in vocibus aut in oratione*, ut propterea, quia voces & vocabula eadem sunt, *ipsas quoq; res easdem esse falsò putemus*; quales fallaciæ oriuntur (1.) ex *homonymiâ* (2.) ex *amphiboliâ*, (3.) ex *compositione* (4.) ex *divisione* (5.) ex *prosodiâ* (6.) ex *figurâ dictionis*: tot enim *nec plures nec pauciores esse fallacias dictionum* partim *inductione* constat, quia nulla ex vocibus deceptio est, quæ ad aliquam earum, quæ dictæ sunt, referri non possit, ipsæ verò hæ, quæ adductæ sunt, ita se habent, ut altera ad alteram referri vel cum eâ coincidere non possit, partim etiam *ratione* evidens est, quia tot præcisè, quot enumerati sunt, dantur modi, quibus per easdem dictiones aut orationes, res non easdem significare possumus. Conf. *Galen.* qui hac de re integrum librum scripsit, inter *op. Isag. p. 13.*

§. 2. Ut itaqve singulas hasce fallacias dictionum paulò plenius & accuratius intelligamus, ordine easdem aggrediamur. I. Fallacia *æquivocatio-*

cationis vel homonymiæ ea eſt, quando *vox aut oratio multa ſignificat, propter æquivocationem*, quâ terminus aliquis in Elencho capitur multipliciter & diverſimodè, unde tota *oratio diverſum ac alienum accipit ſenſum*, atqve ita in errorem inducit; id quod Ariſt. exemplis illuſtrat, quorum aliqua ſatis *latinè verti non poſſunt*, ab ambiguitate vocabulorum græcorum τῦ δέοντος καὶ μανθάνειν deſumpta, in ſe autem adeò facilia ſunt, ut à quovis intelligi poſſint: quibus & alia addit, v. c. qui ſurgebat, ſtat, ſed ſedens ſurgebat, igitur ſedens ſtat, aut qui convaleſcebat, valet, ſed ægrotus convaleſcebat, ergò ægrotus valet, quæ eâ de causâ decipiunt & falſum inferunt, quia vocabula hæc, *ſedens*, *ægrotus*, duo ſignificant, (1.) eum, qui *fuit ſedens ac ægrotus*, quomodo aliàs quoqve vocabula ſumi ſolent, ut quando dicitur, homo eſt mortuus, domus eſt combuſta &c. ubi homo & domus ſumitur pro eo, quod homo & domus fuit, quo ſenſu & hîc in præmiſſis ſedens ſignificat eum, qui ante ſedebat, & ægrotus eum, qui antè ægrotabat, (2.) ſedens ac ægrotus ille dicitur, qui *in præſenti ſedet ac ægrotat*, in quâ ſignificatione vocabula hæc in concluſionibus ſumuntur, atqve ita ſenſum earum ineptum & falſum reddunt: ſecus enim ſi & concluſiones de præterito intelligantur, nulla hîc fallacia erit. Pariter ad fallaciam æquivocationis pertinet illud Dionyſii, aureum amiculum Jovi Olympio detrahentis & laneum ipſi pallium in-

jicien-

jicientis, quaſi aureum iſtud *corpori humano* tempore hyemis frigiditate ſuâ, tempore æſtatis verò gravitate ſuâ moleſtum eſſet, laneum verò utriqve tempori melius conveniret, cum tamen iſtud *de eo tantùm corpore humano, quod verè & propriè tale eſt*, valeat, minimè verè de ſtatuâ quadam lapideâ aut aliûs materiæ, quæ corpus humanum æquivocè dicitur, non magis quàm pictura hominis homo dici poteſt: quæ diverſæ hujus vocis ſignificationes cum in præmiſſis hujus collectionis confundantur, atqve vox unâ quidem vice in ſenſu proprio, alterâ verò in improprio accipiatur, ſophiſma æquivocationis inde oritur. Vid. *Cic. lib. 3. de Nat. Deor. ante fin.* Thraces quoqve cum à Bœotis victi eſſent, eodem ſophiſmatis genere his impoſuerunt, pactis enim cum Bœotis induciis aliquot dierum, noctu eos, ut qui pace factâ caſtra tuerentur negligentius, adorti ſunt & profligarunt, dicentes, hoc ipſo inducias violatas non eſſe, dierum enim tantùm inducias factas eſſe, de noctibus autem nullum fœdus interceſſiſſe; quâ fraudulentâ & malâ arte homonymiam vel multiplicem diei ſignificationem, quâ modò naturalem modò artificialem diem denotat, ad nefarium ſuum propoſitum detorquentes, fallaciam commiſerunt pœnâ potius, quam dialecticâ reſponſione coercendam. Vid. *Strab. l. 9. Geograph. p. 464. & Polyæn. lib. 7. de ſtratagem. ut & Plutarch. in apophtegm. Lacon.* qui eodem fraudis genere *Cleomenem con-*

tra Argivos usum fuisse refert. Sic etiam æquivocatio vocabuli *Phœnix* imposuit Doctissimis Viris *Erasmo* & *Xylandro*, qui cum verterent *libellum Plutarchi de tuendâ sanitate*, dixerunt, *Phœnicis avis cerebrum dulce esse, capitis tamen parere dolorem*; quam sententiam nemo certè nisi mente captus probare potest, cum unica hæc avis fingi soleat, ac eapropter aut nemo cerebrum ejus unquam gustaverit, aut totam simul speciem peremerit: quem errorem annotavit *Muretus lib.13. Variar. c. 12.* ejusq; causam aperuit, nempe æquivocationem hujus vocis, quæ non tantùm *avem istam* sed & *palmam arborem* significat, cujus medulla à græcis ἐγκέφαλον, à latinis cerebrum appellatur, quod ex *Theophrasto*, *Plinio*, *Xenophonte*, *Galeno* & *aliis l. c.* probat. Huc quoqve spectant sequentes fallaciæ, sanum vivit, urina est sana, ergò vivit, finis est bonum, mors est finis, ergò est bona, qui benè audit, habet bonam famam, quidam fur aut nebulo benè audit, itaqve habet bonam famam, &c. *sanum* enim aliter sumitur in unâ præmissarum pro eo, quod sanitatem propriè habet, aliter in alterâ, pro eo, quod sanitatem non habet, sed eam tantùm significat, *finis* modò sumitur pro eâ causâ, cujus gratiâ aliquid aut est aut fit, modo pro extremo & termino aut magnitudinis aut durationis, *lib. 2. phys. c. 2.* *benè audire* modò sumitur moraliter pro bonâ existimatione, modò physicè pro facili perceptione sonorum. Notandum porrò hîc est, *non statim*

tim committi fallaciam homonymiæ, ſi quà in ſyllogiſmo vox homonyma contineatur, ita enim pauci forent ſyllogiſmi ab hac deceptione immunes, ſed tum demum, *ſi vox æquivoca ponatur in æquivoco ſenſu*, ut aliud in hac aliud in alterâ ſignificet propoſitione; atqve tum fallacia æquivocationis committitur, cujuscunqve etiam generis ſit æquivocatio, *ſive caſu talis, ſive ex certo conſilio profecta*, ſive pluribus nota ſit, ſive paucis ſolùm perſpecta, ſive propter ſimilitudinem, ſive propter analogiam, ſive propter unum principium, à quo quædam proficiſcuntur, ſive propter unum principium, ad quod quædam tendunt, ſive propter ſolum loquendi uſum, ſive etiam aliâ de causâ vox aliqua multipliciter dicatur ac diverſa ſignificet: quæ æquivocationis genera ſupra *lib. I. Dial. p. 119. & ſeqq.* fuſius deſcripta ſunt, & probè cognita eſſe oportet, ut hujusmodi ſophiſtarum deceptiones evitari feliciter queant.

§. 3. Sequitur II. Fallacia *Amphiboliæ*, non rectè ab aliis *Amphibologiæ* ab ἀμφίβολος & λόγος appellata, cum ita non fallacia Amphibologiæ ſed amphibolologiæ, voce Græcis inauditâ, dicenda eſſet; quæ tunc committitur, *quando oratio aut propoſitio aliqua ambigua eſt ac multiplicem habet ſenſum, non quidem propter homonymiam vel æquivocationem alicujus in eâ poſitæ vocis*, ut in præcedente fallaciâ accidebat, *ſed propterea, quia diverſimodè conſtrui, & propter communem loquendi uſum multifariam accipi*, atqve ita in errorem nos

conjicere poteſt: cujus fallaciæ exemplum olim jam edidiſſe fertur Apollo, qui Pyrrho Regi Epirotarum de futuro belli contra Romanos eventu conſulenti, ita ambiguè reſpondit: *Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe*, ubi propter variam hujus propoſitionis conſtructionem & ſyntaxin incertum eſt, num Pyrrhus vincere poſſit Romanos, an Romani Pyrrhum? *Auguſt. lib. 3. de Civ. Dei c. 17. & Cic. l. 2. de divinat.* qui expreſsè amphiboliam vocat. Ita quoqve ex variâ conſtructione, anceps eſt lex iſta apud *Hermogen. de ſtatibus cap. ult. & l. 2. de Ideis vel formis ac characteribus ſtyli cap. ult.* his verbis concepta: *amica ſi auream torquem geſtaverit eſto publica;* quâ falla-ciâ & ancipiti ſenſu deceptus quidam, cum aliquam geſtare auream torquem deprehendisſet, ipſam illam perſonam publicam eſſe voluit, quæ tamen non ſeſe publicam eſſe oportere reſpondit, ſed torquem; cui non abſimile eſt teſtamentum illius, qui juſſit poni ſtatuam auream haſtam tenentem, ubi iterum anceps eſt conſtructio & ambiguum, num ipſa ſtatua haſtam tenens, an haſta ſolùm aurea eſſe debeat? ap. *Quintilian. lib. 7. c. 9.* quò plura alia referri poſſunt, v. g. Chremetem audivi percusſisſe Demeam, nos illos flentes invenimus, exiguum vidi leporem jugulare moloſſum &c. Eadem Amphibolias fallacia committitur in ſequentibus, quod quisque cognoſcit, illud ipſum cognoſcit, ſed lapidem cognoſcit, itaq; lapis cognoſcit, quod quis videt, illud ipſum videt,

atqve

atqve columnam videt, ergò columna videt, &c. multiplex enim ſenſus & deceptio hîc oritur exinde, quia hæ propoſitiones, quod quis cognoſcit aut videt, illud cognoſcit aut videt, variam admittunt conſtructionem, & vel ad rem cognoſcentem vel ad rem cognitam referri, ac vel ita explicari poſſunt, ut ſenſus ſit, quam rem quis cognoſcit aut videt, illam ipſam cognoſcit aut videt, quo ſenſu propoſitiones veræ ſunt, vel ita, ut ſenſus ſit, quam rem quis cognoſcit aut videt, illa ipſa res cognoſcit aut videt, quaſi nihil cognoſcatur aut videatur, niſi quod ipſum quoqve potentiam cognoſcendi aut videndi habet, qui ſenſus planè falſus eſt ac in errorem inducit. Porro Ariſt. has duas fallacias, *æquivocationis* nempe & *amphiboliæ*, quippe *admodum inter ſeſe cognatas & affines*, conjunctim conſiderat, earumqve *tria quaſi conſtituit capita* ac tres modos (1.) quando vox aut oratio propter vocem iſtam κυρίως ſeu *æq; primò & propriè plura ſignificat*, ut aquila & avem ſignificat & faſtigium ædificii, canis & animal pedeſtre & aquatile, & quidem æqualiter vel æqve propriè, nihil enim horum magis nihilqve minus, ſed omnia æqualiter à ſuis nominibus ſignificantur, ut in omnibus iis æquivocis, quæ caſu talia appellantur, accidit: ex quibus multiplicem in oratione aliquâ ſenſum atqve adeò fallaciam æquivocationis produci poſſe, tam certum eſt, ut vel exemplis vel prolixiori probatione minimè opus eſſe videatur. (2.) Sed & tunc oritur fallacia

æqui-

æquivocationis, quando *vox aut oratio propter vocem multa ſignificat, non æq; primò & propriè, ſed unum quidem primò, reliqua autem impropriè & ex communi loquendi uſu ac conſvetudine,* quomodo v.c. canis, quod exemplum *Alexandri* eſt, propriè ſignificat animal terreſtre, impropriè autem ſidus illud cœleſte, quod ex communi dicendi conſvetudine, propter ſimilitudinem vel figuræ vel qualitatum quarundam, quam cum animali illo terreſtri habet, hoc nomine vocari ſolet: ad quem æquivocationis modum omnia ea ſpectant, quæ aliàs æquivoca ex conſilio appellantur, ex quibus quod fallaciæ æquivocationis oriantur, *§. præcedente* jam dictum eſt, & ex exemplis ibidem poſitis evidenter patet. (3.) Aliquando deniqve contingit, *ut verba ſeparatim ac ſejunctim accepta ſimplicem atq; unicam ſolummodò habeant ſignificationem, conjuncta verò ac cum ſe invicem compoſita & conſtructa ambiguitatem contineant* ac multiplicis ſignificationis orationem pariant; ut v.c. ſcire literas, vocabula ſingula nihil ambiguitatis habent, conjuncta verò dubium reddunt ſenſum, cum incertum ſit, an ipſæ literæ ſcire dicantur, an verò tu literas ſcire dicaris? ita quoqve, volo me hoſtes capere, ſingula verba omni ambiguitate carent, conjuncta verò duplicem inferunt ſenſum, vel hunc, volo, ut ego hoſtes capiam, vel hunc, volo, ut me hoſtes capiant: ex quâ conjunctione vocum vel diversâ earum ſyntaxi & conſtructione

falla-

fallaciam amphiboliæ ortum ſumere ex initio *hujus* §. & exemplis ibi poſitis conſtat.

§. 4. Hanc excipit III. Fallacia *Compoſitionis*, quæ ita dicitur, (1.) quando *ex conjunctione eorum, quæ conjungenda non erant*, aut (2.) ex eo, *quod vox aliqua in oratione cum diverſis componitur ac conjungitur*, aut tandem (3.) ex eo, quod *voces orationis accipiuntur in ſenſu compoſito, cum aliter nempe in ſenſu diviſo accipiendæ eſſent*, oritur deceptio; ubi notandum ante omnia eſt, *ſenſum compoſitum vocari*, quando in oratione prædicatum tribuitur ſubjecto formaliter accepto & quà tali, ut v. c. homo eſt rationalis, quod prædicatum homini ineſt formaliter ſumpto & quatenus vel quia homo eſt: *diviſus verò dicitur ſenſus*, quando prædicatum tribuitur ſubjecto non quà tali aut formaliter, ſed materialiter ſumpto, ut v. g. homo eſt albus, non formaliter acceptus aut quatenus ac quia homo eſt, ſed in alio ſenſu & materialiter ſumptus pro corpore habente ſuperficiem, cui color aut albedo ineſt. *Primi generis fallacia eſt*, cum ita concluditur, ſi de modio tritici unum granum aufertur, nihilominus tamen modius adhuc manet, ita quoqve & alterum & tertium & reliquorum granorum quodvis ſeſe habet, ut eo ablato integer nihilominus maneat modius, ergò ſi omnia grana tollantur, adhuc tamen modius erit; cui non abſimile eſt ſophiſma, cujus *Ariſt. lib. 5. Polit. c. 8.* meminit, ubi Rerumpubl. adminiſtratores attentos

tos esse jubet, ne in legibus id, *quod parvum est*, negligatur, neve in re parvâ peccetur, decipi enim facilè posse mentem Sophisticâ hujusmodi & fallaci ratione, hoc adeò parvum esse, ut ejus neglectu nihil sentiat incommodi Respublica, ita quoqve se habere & alterum & tertium & reliquorum quodvis, ac proinde, etiamsi omnia hæc negligantur, non statim tamen perituram esse Rempublicam, utut enim singula hæc parva sint, conjuncta tamen magnum faciunt, quod toti Reip. interitum accelerare potest, non aliter, ut multi parvi sumptus ingentes rei familiaris facultates exhauriunt: quò etiam spectat hæc fallacia, hic potest unum hunc saccum frumento repletum ferre, potest ferre & alterum illum, & istum tertium &c. ergò omnes ferre potest, quod exemplum Arist. in præsente loco habet. *Secundi generis fallacia est*, cum ita infertur, quicunqve literas scit nunc, eas didicit, Plato literas scit, ergò nunc eas didicit, vocula *nunc* enim, quæ antè composita & conjuncta erat, cum his vocabulis, quicunqve scit literas, in conclusione malè componitur ac construitur cum aliis vocabulis, nempe eas didicit; aut cum ita concluditur, quicquid vivit semper, est immortale, eqvus vivit, ergò eqvus semper est immortalis, ubi iterum τὸ *semper* semel construitur cum eo, quod vivit, deinde autem vitiosè & malè componitur cum eo, quod est immortale. Tandem *tertii generis fallacia hæc est*, Socrates potest currere aut scribere, sed Socrates stat

aut

aut non ſcribit, ergò poteſt ſtans currere aut non ſcribens ſcribere, ubi in præmiſſis ſtare & currere, ut & ſcribere & non ſcribere diviſim accipiuntur, deinde verò vitiosè conjunguntur in concluſione, quæ in ſenſu compoſito accipitur, ac ſi ſtans, quatenus & dum ſtat, currere, aut non ſcribens, quatenus ac dum non ſcribit, ſcribere poſſit, cum ea in ſenſu diviſo ſolùm accipi debeat, ut ſignificet, eum qui jam ſtat aut ſcribit, poſteà, quando ſtare aut non ſcribere deſiit, currere aut ſcribere poſſe; cui abſimile non eſt, ſi quis de eo, qui bonus quidem ſit dialecticus & artem diſputandi apprimè calleat, cœtera verò quod mores concernit, malus ſit, ita velit inferre, hic eſt Dialecticus, hic eſt malus, ergò eſt malus dialecticus, decipit enim eadem de causâ, quia Dialecticum & malum, quæ in præmiſſis disjuncta erant, vitiosè componit in concluſione, eandemqve ſenſu compoſito accipit, quaſi Dialecticus ille, quatenus Dialecticus eſt, malus ſit, atqve ita in errorem inducit: quò etiam referri poteſt, ſi quis propoſitionem ex *Luc. 15. verſ. 7. & 10. angeli gaudent ſuper peccatore*, in ſenſu compoſito malè accipiat, quaſi angeli gaudeant ſuper peccatore, quatenus vel quia talis eſt, & ex eo inferat, angelos gaudere ſuper ipſo peccato, in diviſo enim ſenſu intelligendum hoc, cum non gaudeant angeli ſuper peccatore, quatenus aut quia peccator eſt, ſed quatenus & quia pœnitentiam agit, ut expreſſis literis textus ibidem addit.

§. 5.

§. 5. Succedit IV. quæ totidem etiam modis dicitur *Fallacia Divisionis*, quando (1.) ex *divisione eorum, quæ dividenda non erant*, aut (2.) ex eo, quod *vox aliqua in una propositione cum aliâ quadam voce conjungitur, in alterâ verò ab ea dividitur & separatur*, aut tandem (3.) ex eo, *quod voces orationis accipiuntur in sensu diviso, quæ in sensu composito accipiendæ erant*, error proficiscitur; cujus fallaciæ exempla propè admodum ad exempla prioris fallaciæ accedunt, cum *nec ipsæ hæ fallaciæ multum à se invicem differant, sed adeò connexæ ac affines sint*, ut à pluribus confundi ferè & simul tractari soleant. Ad *primum genus pertinet hæc deceptio*, duo & tria sunt paria ac imparia, quinque sunt duo & tria, ergò quinque sunt paria & imparia, quod falsum est, cum quinarius unus tantùm numerus & impar solummodo sit, deceptio autem fit ideò, quia *duo* & *tria* in quinario vitiosè separantur & disjunctim à sophistâ accipiuntur, cum tamen conjuncta in ipso sint, & unum constituant numerum; à quo sophismate nihil ferè abit *collectio Studiosi alicujus*, de quo *Beyerlinck in theatro vitæ humanæ* refert, qui cum Parisiis per aliquot annos logicæ operam dedisset, domum revocatus, ut sapientiam suam probaret, patri in mensâ assidens, cum *duo ova sorbilia* apponerentur, quid tribus opus est ovis, cum duo tantùm simus? exclamavit, mirante autem Patre, quomodo tria esse diceret, ita subintulit, annon *unum & duo sunt tria?* &c.

cui

cui facetè reſpondit Pater, ego, mi fili, quia ovis delector, duo iſto accipiam, tu tertio, ſi voles, fruere: ad quod genus hæc quoqve fallacia referri debet, omnes Græciæ ſapientes ſunt ſeptem, Thales & Bias ſunt Græciæ ſapientes, ergò ſunt ſeptem, Græciæ ſapientes enim, qui in primâ propoſitione ſumebantur conjunctim & omnes ſimul, malè ſeparantur ab invicem & dividuntur aut diviſim accipiuntur in ſubſumptione. *Secundi modi fallaciæ diviſionis exempla coincidunt planè cum exemplis ſecundi modi fallaciæ compoſitionis*, quibus alia quoqve addi poſſunt, quæ oriuntur ex hujusmodi propoſitionibus, v. g. ego te ſervum feci liberum, quinquaginta ubi erant centum occidit Achilles, porta patens eſto nulli claudaris honeſto, &c. quæ facilè decipere poſſunt, prout voces in iis poſitæ modò ita modò aliter componuntur aut dividuntur, in primâ enim propoſitione, ſi τὸ *feci* jungitur cum vocabulo, liberum, ſenſus eſt, ego te feci liberum, cum esſes ſervus, ſi verò dividitur ab hac voce & copulatur cum voce, ſervum, ſenſus eſt, ego te ſervum feci, cum eſſes liber, in alterâ propoſitione, ſi illa, *ubi erant*, junguntur cum centum, hæc eſt ſententia, Achilles occidit quinquaginta, ubi erant centum, ſi verò verba illa dividuntur à centum, & componuntur cum quinquaginta, ſententia hæc eſt, Achilles occidit centum, ubi erant quinquaginta, quod certè impoſſibile eſt, in ultima deniqve propoſitione, ſi vocabulum *nulli* copulatur τῷ honeſto, ſignificatio ejus

bona erit, hæc nempe, porta patens esto, nulli claudaris honesto, si verò dividitur vel divisim ab hoc nomine accipitur & cum verbo esto componitur, alia & prava erit significatio, hæc scilicet, porta patens esto nulli, claudaris honesto: ita quoqve *Joh. cap. 1. vers. 3. & 4.* hæc legitur propositio, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat &c.* quam malitiosi & divinitati Servatoris infesti sophistæ tali fallaci compositione & divisione vocum corrumpunt, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat &c.* ubi verba, *quod factum est*, cum ad præcedens orationis membrum verè pertineant, malitiosè ad posterius referuntur. Ad *tertium hujus fallaciæ genus* reduci hæc collectio potest, v. c. sedens non potest ambulare, Socrates sedet, ergò Socrates non potest ambulare, cum enim prior propositio accipienda & vera sit in sensu composito, & significet, sedentem quatenus ac quamdiu sedet, non posse ambulare, posterior pravâ utitur divisione, & in sensu diviso accipit ac separatim de Socrate enunciat, quod sedeat, ac exinde, quod non ambulet, vitiosè infert; cujus farinæ hæc quoqve deceptio est, Nullus artifex nascitur, quidam homo est artifex, ergò quidam homo non nascitur, ubi iterum major, quæ non nisi in sensu composito de artifice, quatenus artifex est, vera est, malè posteà dividitur vel in sensu diviso accipitur & intelligitur non de artifice quà

tali, ſed de eo homine v. c. Phidiâ vel Polycleto, qui artifex exiſtit.

§. 6. Porrò V. eſt *Fallacia Proſodiæ vel Accentûs*, quæ utut in ſcriptis occurrat frequentius, non rarò tamen in linguâ Latinâ *in vivâ etiam voce ac pronunciatione* locum habet; præterea quoqve latè admodum extenditur, & plures ſub ſeſe habet modos, nempe (1.) Fallacia accentûs eſt, *cum accentus in voce aliquâ variat ac confunditur*, quam in græcâ quidem linguâ rectè Ariſt. ferè in ſcriptis ſolùm, rarò autem in voce occurrere dicit, ideò, quia in ſermone ſtatim auditur accentus, atqve ita deceptio non tam facilis eſt, in ſcripto autem ubi collocandus ſit accentus, non adeò evidens eſt, cum antiqui ſine accentibus ſcripſerint, unde factum eſt, ut alii in hac vocis ſyllabâ, alii in aliâ, alii hunc accentum, alii alium apponerent atqve ita alios circumvenirent; cujus rei duo exempla Ariſt. ex Homero habet, in quorum priori ex particulâ ου fit deceptio, prout ea vel οὔ ſcribitur & ſignificat non, vel οὗ & ſignificat *cujus*, in poſteriori ex voce *διδομεν*, prout accentus vel in primâ ponitur ſyllabâ, ut vox ſignificet *damus* aut *concedimus*, vel in ſecundâ, ut ſignificet, *da* vel *concede*: quò etiam pertinet, ſi quis ita inferat, qui ἐκτὸς eſt, non eſt in ſenatorio, ſed hic Senator, qui præſens eſt, eſt ἕκτος, ergò hic præſens Senator non eſt in ſenatorio, aut, θεὰ eſt Dei filia aut uxor, ſed ludus obſcœnus & nefandus eſt

θεα, igitur ludus obſcœnus & nefarius eſt filia aut uxor Deorum. In latinâ linguâ ad hunc modum referendæ ſunt eæ fallaciæ, quæ *ex quantitate ſyllabarum* oriuntur, cum nempe vox modò eâdem ſyllabâ brevi, modò eadem longâ ponitur atqve ita decipit, ut v. g. quicquid edis in ventrem demittis, libros multos edis, ergò libros multos in ventrem demittis, *edo* enim primam ſyllabam in priori propoſitione brevem, in poſteriori longam habet & eapropter ibi comedere, hîc verò in publicum emittere aliquid, ſignificat; ita quoqve ſequentia ſophiſmata ſe habent, populus creſcit ex terrâ in ſylvis, civitas eſt populus, ergò civitas creſcit in ſylvis ex terrâ, qui ſectatur leporem, plura percurrit loca, ſed quidam domi ſedens cum amico colloquens ſectatur leporem, igitur domi ſedens plura percurrit loca &c. in primo enim vocabulum *populus* modò primâ productâ ſumitur pro arbore, modò correptâ pro cœtu hominum, in altero *leporem* modò penultimâ longâ pro gratiâ & vetuſtate ſermonis, modò brevi pro animali illo pavido & gulæ noto ſophiſtæ accipiunt: quali fallacia Nero quoqve uſus eſt, qui de Claudio anteceſſore ſuo contemptim dixit, *eum inter homines deſiisſe morari*, accipiens vocem *morari* non primâ correptâ, quaſi vivere deſiisſet Claudius, ſed productâ, quod deſierit Claudius morus eſſe, ejus enim decreta, tanquam inſipientis & deliri, Nero pro irritis habuit & contempſit. *Sveton. Tranquill. in Vit. Neron. num. 33.* (2.) commit-

mitti-

mittitur hæc fallacia, *quando in voce aliqua spiritus vel aspiratio variat* ac in elencho confunditur, v.c. qui parat abitum, gladium accipit & viaticum, sartor parat habitum, ergo gladium sumit ac viaticum, qui fugit ad aram, non est puniendus, prodigus confugit ad haram, igitur non est puniendus, hortus est viridis, Sol est ortus, igitur est viridis, &c. in græcâ linguâ iterum hujusmodi fallaciæ magis latent ac minus advertuntur, si vocabula, uti olim factum est, sine spiritibus scribantur, quod ex voce ορος patet, quæ cum aspiratione scripta terminum significat, sine aspiratione verò montem, ac proinde fallaciam accentus parit, si ita inferatur, ὅρος est indivisibilis, Atlas est ὄρος, igitur Atlas est indivisibilis, quod est absurdum. (3.) Committitur etiam fallacia hæc, *quando litera vocalis in diphthongum mutatur, aut contra*, v.c. si ita quis inferat, qui æqvum tenet justus est, auriga tenet eqvum, igitur auriga justus est, cujus fallaciæ exemplum continetur in eâ quoqve, quam Melanchton habet, historiâ de duobus JCTis, quorum unus omnia, etiam proprias privatorum facultates, Cæsaris esse affirmabat, alter negabat, electo judice ipso Imperatore Henrico, eoqve pacto, ut victor acciperet eqvum, cujus pretium victus solvere deberet, ubi cum Imperator pro priori pronunciaret, faceti homines, iniquam sententiam reprehendentes, dixerunt: *dixerat ille æqvum, sed tulit alter eqvum*: ad quod genus & hæc deceptio referri debet, qui dicit κενά, ille nugatur, sed

Paulus Athenienſibus dicebat *καινὰ*, *Act. cap. 17. verſ. 19. & 20.* ergò Paulus nugabatur. (4.) Oritur hæc fallacia tum quoqve, *quando literæ conſonantes, inter ſe quidem diverſæ, ſimilem tamen ſonum habentes, permutantur & confunduntur*, uti fit v. g. in his, λόχος eſt collectio multorum individuorum, Quoddam νόημα noſtri intellectus eſt λόγος, igitur νόημα eſt collectio multorum individuorum, ut &, Quod incipit à ſe, non incipit à proximo, Charitas incipit à ce, ergo &c. (5.) Ad Fallaciam Accentûs & eæ reducuntur deceptiones; *in quibus voces earumq; ſyllabæ modò conjunguntur, ut in unam vocem coaleſcant, modò divelluntur, ut plures inde fiant voces;* v.c. Incuria eſt reprehendenda, Senatores ſunt in Curiâ, igitur Senatores ſunt reprehendendi, quies eſt privatio motûs, tu es, qui Es, ergò tu es privatio motûs, nullus Studio Sus eſt urbanus, Quidam prudens eſt ſtudioſus, ergò quidam prudens non eſt urbanus, Quod Deus fecit invite, fecit coactus, ſed racemos in Vite fecit, igitur coactus fecit &c. cujus fallaciæ elegans exemplum in hiſtoriâ Alexandri M. habemus, qui cum Tyrum obſedisſet & de capiendâ urbe penè deſperaret, noctu per quietem videbatur ſibi tenere Satyrum, reluctantem quidem, poſteà tamen nihilominus in ſuam poteſtatem venientem, quod cum ſomniorum interpreti propoſitum eſſet, quid ſatyrus iſte ſignificaret, ille disſecto nomine Alexandro reſpondit, σὰ τύρος, id eſt,

eſt, *Tua eſt Tyrus*, apud *Plutarchum in Vitâ Alexand. p. m. 678.* cui non abſimile eſt illud *Stilponis*, quando ad *Cratetem* hyeme aduſtum dicebat, *O Crates, videris mihi* χρείαν ἔχειν ἱματίȣ καινȣ̃, *id eſt, indigere veſte novâ*, aut ſi καὶ νȣ̃ divellatur in duas voces, *veſte & mente*, quo poſteriori ſenſu etiam Crates rubore ſuffuſus accepit. Vid. *Diog. Laërt. in Vit. Stilpon. l. 2. p. 167.* Atqve tot ſunt modi, qui ad *pronunciationem vocum & fallaciam Accentûs* reduci poſſunt.

§. 7. Tandem VI. ſupereſt *Fallacia Figuræ Dictionis*, quæ tunc committitur, quando aut *ex notionum grammaticarum, vel generis, vel numeri, vel casûs, vel conjugationis & declinationis*, &c. aut etiam *ex dicendi figurarum, id eſt, ex categoriarum confuſione & permutatione*, deceptio oritur; quorum utrumqve duplici modo, aut *evidenter & explicitè*, aut *tectè ac implicitè* fieri poteſt: qui poſterior modus, cum obſcurior ſit & magis decipiat, frequentior etiam ſophiſtis eſſe ſolet. Quod itaqve I. *notiones grammaticas* concernit, (1.) *ex genere* quidem *explicitè ac apertè* oritur deceptio, quando quis *huic vocabulo hoc vel iſtud genus tribuit, ideò quia alii vocabulo, quod ſimilem terminationem habet, convenit*, ut ſi mens & frons maſculina eſſe dicantur, quia dens & mons maſculina ſunt, aut ſi quis inferat, vapulare activum eſſe, quia amare tale eſt, &c. *implicitè verò & tectè* hoc accidit, quando *quis vocabulo quodam modò in maſculino, modò in alio*

quodam utitur genere, quâ ratione mulier quædam bibacula & potionis avida judicem fefellit, quæ, quod maritum negligeret, accusata, coram judice per omnes Deos juravit, se nihil magis quàm πόσιν amare, intelligens τὴν πόσιν, id est, *potionem*, non τὸν πόσιν, id est, *maritum*. (2.) ex *numeri* confusione oritur deceptio *apertè & explicitè*, quando quis *duo aliqua vocabula ejusdem dicit esse numeri, quia ejusdem sunt terminationis*, v. c. scamna esse numeri singularis, quia aqua vel penna numeri singularis est, aut ædituum esse pluralis numeri, quia fructuum pluralis numeri est, &c. *obscurius autem & tectè idem* accidit, quando *unum idemq; vocabulum in unâ eademq; collectione modò in singulari accipitur, modò in plurali*, ut si quis ex eo, quod Apostolus dicit, *sive vivamus sive moriamur, Domini sumus*, voce *Domini* in singulari & casu genitivo acceptâ, nos semper Dominos esse, voce ad pluralem numerum & casum diversum reductâ, inferat ac concludat. (3.) ex *casuum commutatione* pariter deceptio oritur vel *apertè*, ut in his, Dominum vel fructum esse casus nominativi, quia scamnum ejus casus est, &c. vel *tectè*, ut si quis ita inferat, omnes episcopi sunt docti, quidam equi ac asini sunt episcopi, ergò quidam equi ac asini sunt docti, ubi vox *episcopi* modò in nominativo, modò in genitivo accipitur, illo plurali, hoc singulari: qui *postremi duo hujus fallaciæ modi coincidunt ferè*, quia frequentissimè, quando casus diversi inter-

se

ſe permutantur, etiam numerus pluralis & ſingularis confundi, & contra his permutatis, illi quoqve confundi ſolent. (4.) ex *conjugationum aut declinationum* confuſione oritur fallacia, ſi ita dicatur, abeo eſt quartæ conjugationis, ergò & habeo, menſa eſt primæ declinationis, ergò & poëma &c. quod & in aliis notionibus grammaticis pariter ſe habet, in quibus omnibus & apertè & tectè committi fallacia figuræ dictionis poteſt, ut ex exemplis hactenus adductis patet. II. Porrò quod ad *dicendi figuras vel categorias* ſpectat, ex harum confuſione oritur fallacia figuræ dictionis *explicitè & apertè*, quando *aliquid hujus aut illius categoriæ eſſe concluditur, quia aliud, quod cum ipſo ſimilem habet in dicendo terminationem, ejusdem categoriæ exiſtit*; v.c. quando ita infertur, juſtum pertinet ad qualitatem, vel ſignificat qualitatem, ergò & beatum ad qualitatem refertur, vel qualitatem ſignificat, cum tamen hoc poſterius non ad categoriam qualitatis ſed actionis potius pertineat, vel actionem ſignificet *lib.1.Eth. c.6.l.7.Pol.c.3.* aut docere ſignificat actionem, ergò & videre actionem ſignificat, quod pati potius ſignificat, & ad categoriam paſſionis refertur. *Implicitè verò & tectè* ex hujusmodi categoriarum confuſione fallacia hæc oritur, quando *ſub unâ propoſitione ad unam categoriam v.c. ſubſtantiæ reſpiciente, ſubſumitur propoſitio ad aliam categoriam, vel quantitatis, vel qualitatis &c. reſpiciens*, vel quando ſub ſigno ſubſtantiam ſignificante

ficante, v. c. quod, qui, quæ, quodcunqve &c. subsumitur aliquid non substantiam, sed aliud quid significans, vel quantitatem, ut tantus, quantuscunqve, magnus, parvus, aut toties, decies &c. vel qualitatem, ut talis, qualiscunqve, albus, niger, doctus, rudis &c. unde alia quàm falsa conclusio sequi non potest. Huc itaqve spectant sequentes deceptiones, quicquid in macello ad prandium emisti, id comedisti, sed carnem crudam emisti, ergò crudam comedisti, quod nix est, hoc non est grando, nix autem alba est, grando igitur alba non erit, quod exemplum *A. Gellius lib. 18. Noct. Att. c. 13.* habet, in illâ enim collectione prior propositio loquitur de substantiâ & eo, quod emptum est, posterior verò de aliquâ qualitate ejus quod emptum est, in hac prior propositio iterum loquitur de substantiâ nivis & grandinis, posterior autem de qualitate nempe albedine nivis, minimè verò de ipsâ substantiâ ejus: quibus & hæc conveniunt exempla, omnes electi sunt vocati, pauci sunt electi, ergò pauci sunt vocati, Quicquid est in hoc musæo, illud est in hac urbe, sed unica mensa est in hoc musæo, ergò unica mensa est in hac urbe, in prioribus enim harum collectionum propositionibus sermo est de substantiâ, vel eo quod est, in posterioribus autem non de eo quod est, sed de numero, quo est, qui numerus non ad substantiæ, sed quantitatis categoriam spectat. Huc quoqve referri potest talis collectio, qui te dicit esse animal, dicit verum, sed qui te dicit esse asinum

num

num, ille dicit te esse animal, ergò qui dicit te esse asinum, verum dicit; cum enim prior propositio loquatur de ipsâ substantiâ & animali simpliciter accepto, posterior non de animalis substantiâ vel animali simpliciter accepto, sed tali vel tali atqve adeò de quadam animalis qualitate loquitur, quia asinus non est animal simpliciter, sed cum certâ aliquâ substantiæ animalis qualitate, nempe animal tale, talibusqve affectionibus imbutum: quò & hoc spectat, qui te hominem esse dicit, is verum dicit, sed qui te dicit esse *Margitem*, de quo videantur *Arist. lib. de Art. Poët. c. 4. Suidas in Lexico, Dio Chrysost. Orat. 66. &c.* is te hominem esse dicit, ergò qui te Margitem esse dicit, is verum dicit, quod eadem ratione ac præcedens sophisma fallit. Sed id quoqve ex duobus his ultimis exemplis intelligi potest, non tunc solummodò committi fallaciam figuræ dictionis, quando generales illi dicendi modi vel categoriæ inter sese confunduntur, verùm tunc quoqve, *quando utraq; propositio ad unam eandemq; quidem pertinet categoriam, speciales tamen categoriæ istius prædicandi modi eorumq; affectiones, nempe genera cum speciebus, aut species cum speciebus, aut species cum individuis, &c. confunduntur*, quod in exemplis modò allatis perspicuum est; quamvis enim dictum sit paulò ante, confundi in iisdem categoriam substantiæ & qualitatis, de quarum illâ intelligendæ sint propositiones priori loco positæ, de hac verò eæ, quæ posteriorem occu-

pant

pant locum, non tamen eapropter ineptum erit, ſi utræqve illæ propoſitiones etiam ad eandem ſubſtantiæ categoriam referantur & dicatur, confundi in priori quidem collectione genus & ſpeciem, cum una propoſitio loquatur de animali in genere & ſimpliciter ſumpto, altera de aſino, qui non eſt animal ſimpliciter, ſed animal quoddam aut tale, vel ſpecies animalis, in poſteriori autem confundi ſpeciem cum individuo, cum una propoſitio loquatur de homine, qui ſpecies eſt, altera de Margite, qui non eſt homo ſimpliciter, ſed homo quidam, aut individuum iſtius ſpeciei. Manifeſtum hoc eſt in aliis etiam hujusmodi collectionibus, Quot digitos habuiſti infans, tot etiam habes nunc vir factus, ſed decem tantillos digitos habuiſti infans, ergò decem tantillos digitos habes nunc vir factus, ut &, Quod ego ſum, tu non es, ego ſum homo, ergò tu non es homo, quod exemplum iterum *A. Gellius lib. 17. Noct. Attic. c. 2. & lib. 18. c. 13.* habet; in priori enim collectione, quamvis utraqve propoſitio referenda ſit ad unam categoriam, nempe quantitatis, vitium tamen inde oritur, quia unius iſtius generis, quantitatis, diverſæ confuſæ ſunt ſpecies, cum altera propoſitio de quantitate diſcretâ, nempe numero, altera verò de quantitate continuâ, nempe magnitudine loquatur: in poſteriori iterum, ut ut utraqve propoſitio referri poſſit ad categoriam ſubſtantiæ, diverſi tamen confunduntur ſubſtantiæ modi, cum prima propoſitio vera ſit de ſubſtan-

ſtantiâ ſingulari, vel individuâ ac determinatâ, ſecunda autem de univerſali, nempe ſpecie humanâ ſit intelligenda. Porrò quantum ex dictis colligere licet, ad hanc fallaciam eæ quoqve ſpectare videntur collectiones, *in quibus una propoſitio excluſivè accipitur, altera verò non niſi ſine excluſione accipienda eſt*, cum & hæc aliqua figurarum & modorum dicendi confuſio ſit; v. c. Quicquid deliberandi ac numerandi potentiam habet, eſt animal, ſed ſolus homo habet potentiam deliberandi & numerandi, ergo ſolus homo eſt animal, Quoties ad me veniſti, toties fuiſti homo, ſed decies tantùm ad me veniſti, ergo decies tantùm fuiſti homo, Qui tantum eſt in cœlo, non eſt in terrâ, Chriſtus eſt in cœlo, *Actor. c. 3. v. 21.* ergò Chriſtus non eſt in terrâ &c. in quibus omnibus alteræ propoſitiones excluſivè accipiuntur, alteræ autem excluſivè accipi, ſalvâ ſcilicet veritate, nec posſunt nec debent, ac propterea poſitæ illæ collectiones fallunt. Hæc de fallaciis in dictione conſiſtentibus.

CAP. II. DE ELENCHIS AC FALLACIIS EXTRA DICTIONEM OCCURRENTIBUS.

§. I.

QUidnam ſit *fallacia extra dictionem*, intelligi

ligi ferè jam poteſt, ex §. *1. cap. præced.* tunc enim committitur, quando *deceptio fit non propter vocabula*, quæ omnia rectè ſe habent, *ſed propter ipſarum rerum per vocabula ſignificatarum malam acceptionem aut combinationem ac applicationem*, ſeu quando vitium non eſt in vocibus, verùm in ipſis rebus malè cohærentibus aut connexis, ut vel falſa, vel interdum etiam nulla, quæ ad propoſitum faciat, ſequatur concluſio: quas fallacias *Ariſt. lib. Sophiſt. Elench. c. 5. paralogiſmos* vocat, voce ſumptâ, non in eâ ſignificatione, de quâ ſupra pag. 98. & 552. dictum eſt, ſed in aliâ latiori, quâ paralogiſmus denotat, omnem falſum ac vitioſum ſyllogiſmum, in quâ ſignificatione hæc vox & in aliis Ariſtotelis locis & apud alios autores græcos reperitur. Oriuntur autem hujusmodi fallaciæ (1.) quando aliquid *vitiosè ſumitur*, v. c. α.) *accidens*, ubi id quod per ſe ineſt, ſumendum erat, unde *fallacia accidentis* originem ducit, aut β.) tanquam *cauſa alicujus concluſionis accipitur, quod ejus cauſa non eſt*, unde *fallacia à non cauſa ut causâ* oritur, aut γ.) id ſumitur, *quod in principio quæſitum fuit*, unde *fallacia petitionis τȣ̃ ἐν ἀρχῇ* proficiſcitur. (2.) quando aliquid *vitiosè concluditur ac infertur*, quod fit α.) *deceptione conſequentis*, β.) colligendo *ab eo, quod eſt ſecundum quid ad ſimpliciter tale*, γ.) *ignoratione elenchi*: unde *fallacia conſequentis*, *fallacia à dicto ſecundum quid ad*

dictum

dictum ſimpliciter, atqve tandem *fallacia ignorationis Elenchi* oriuntur. (3.) quando *multa vitiosè, tanquam unum ſint, interrogantur*, & una ſimplex reſponſio poſtulatur, quæ quomodocunqve comparata ſit, ſemper fallit, ut etiam *A. Gell. lib. 16. Noct. Att. c.* 2. docet. Patet itaqve partim ex *inductione*, partim ex modò dictâ *ratione*, *ſeptem nec plures nec pauciores* hujusmodi extra dictionem conſiſtentes fallacias eſſe (1.) fallaciam *Accidentis*, (2.) fallaciam *à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter* (3.) fallaciam *ignorationis Elenchi*, (4.) fallaciam *petitionis* τοῦ ἐν ἀρχῇ (5.) fallaciam *conſequentis* (6.) fallaciam *à non cauſâ ut cauſâ.* (7.) fallaciam *plurium interrogationum :* de quibus omnibus nunc ſeparatim & plenè, ordine quem Ariſt. ſervavit, agendum erit.

§. 2. Agmen ducat I. Fallacia *Accidentis*, quam *Ariſt. l. Soph. Elench. c. 5.* committi dicit, quando *ſubjecto & ejus accidenti eadem tribuuntur*, ſeu quando aliquid *tribuitur ſubjecto, quia convenit ejus accidenti, aut contrà tribuitur accidenti, quia convenit ejus ſubjecto*, & quidem ita, ut medium concludendi vel inferendi ſemper cum altero concluſionis termino per ſe, cum altero verò per accidens tantùm cohæreat. Per *accidens autem cohærere in genere* dicuntur ea, quæ (1.) ratione *ſubjecti* conjuncta ſunt, quomodo album per accidens dicitur eſſe muſicum, quia utrumqve eidem ſubjecto, nempe homini accidit aut ineſt, *lib. 4. Metaph. c. 4.* aut muſicus dicitur cauſa domûs vel ædi-

ædificasſe domum per accidens, quia architecto, qui causa per ſe domûs eſt, muſicum eſſe accidit ac proinde cum architecto idem ſubjectum conſtituit, aut bonus civis dicitur cauſa proditoris patriæ per accidens, quia filio, qui effectus ejus per ſe talis eſt, accidit eſſe proditorem patriæ tanquam ſubjecto, &c. (2.) quæ ratione *temporis* conjuncta ſunt, quo ſenſu ſi ingrediente aliquo muſæum, ſtudioſus ægrotare incipiat, ille ingrediens ægritudinis cauſa vel ægritudinem excitasſe per accidens dici ſolet, quia ingresſus ille & ægritudo eodem tempore contigerunt, aut ſi aliquo ambulante fulguraverit, ambulatio hæc fulguris cauſa vel fulgur produxisſe per accidens dicitur, quia eidem tempori accidit ambulatio & fulgur. *lib. 1. Poſt. Anal. c. 4.* (3.) quæ ratione *loci* conveniunt, ut ſi in præſentiâ novercæ filius à patre repulſam tulerit, noverca hujus rei cauſa eſſe per accidens dicitur, quia in eodem cum patre loco & præſens erat, cum filius aliquid peteret: ſecundum quos & alios plures accidentis modos fallaciæ accidentis fieri ſolent. Ut autem diſtinctius hæc fallacia intelligatur, notandum eſt, eam committi (1.) quando *ex duobus accidentibus aut attributis qualibuscunq; unum de altero concluditur, propterea, quia ambo uni alicui ſubjecto conveniunt, cum quo tamen idem non ſunt, nec per ſe ſed tantùm per accidens aut utrumq; eorum aut alterum ſaltem cohæret*; v. c. quando infertur, dulce eſſe objectum viſûs, quia utrumqve & dulce eſſe, & objectum viſûs

sûs esse, convenit uni subjecto, nempe albo, cum quo tamen dulce esse per accidens tantùm cohæret, quæ collectio talis foret, album est objectum visus, quoddam album est dulce, ergò quoddam dulce est objectum visûs: quâ nihilo meliores sunt sequentes consequentiæ, hic canis est pater, hic canis est tuus, ergò est tuus pater, David est adulter, David est sanctus, ergò adulter est sanctus, Johannes Baptista fuit sanctus, Johannes Baptista vestitus fuit pilis camelorum ac edit locustas, *Matth. 3. v. 4.* ergò qui pilis camelorum vestitus est ac locustas edit, sanctus est, mus rodit caseum, mus est syllaba, ergo syllaba rodit caseum, Vid. *Sen. epist. 48.* ubi certè accidit muri, dici tali nomine, quod syllaba sit vel monosyllabum, sicuti & in reliquis omnibus medium concludendi cum altero conclusionis termino per accidens tantùm cohæret. (2.) Committitur etiam fallacia accidentis, *quando ex duobus accidentibus vel attributis qualibuscunque unum tribuitur subjecto propterea, quia alterum ipsi competit, ita tamen, ut iterum alterum hoc accidens, quod concludendi medium est, vel cum subjecto, vel cum priori illo attributo neutiquam per se sed per accidens tantùm cohæreat*; unde α.) fallacia accidentis est, quando unum attributum, nempe abolendum, concludo de subjecto aliquo, nempe religione, aut religionem abolendam esse infero, quia ipsi aliud quoddam attributum, nempe rixas parere convenit, aut quia rixas parit, quod tamen ipsi non

per ſe ſed per accidens ſolùm, ſcilicet propter pravitatem hæreticorum ineſt, quæ collectio talis foret, quicquid rixas parit eſt abolendum, vera religio parit rixas, ergò vera religio eſt abolenda; cui ſimiles ſunt ſequentes, Quod homines reddit furioſos, eſt malum, vinum reddit homines furioſos, itaqve eſt malum, Quod homines decipit, non eſt tolerandum, Philoſophia homines decipit, ergò non eſt toleranda &c. quam fallaciam olim etiam Balearium incolæ commiſerunt, qui argenteis aureisqve nummis ac omnibus divitiis artificialibus uti vel eas poſſidere noluerunt, propterea, quia Hercules quondam Geryoni bellum intulit, quod ingentem auri ac argenti vim poſſideret, uti refert *Diodor. Sic. l. 5. c. 17.* qui de Ægyptiis quoqve habet, eos muſicam tanquam inutilem & noxiam non adhibuisſe, ideò quia virorum animos effœminet & ignavos reddat, *l. 1. c. 81.* quæ collectiones omnes in eo peccant, quod unum aliquod accidens aut attributum ſubjecto alicui ineſſe concludunt, quia ipſi ineſt aliud accidens, quod tamen ſubjecto iſti non ineſt per ſe, ſed per accidens tantùm cum ipſo cohæret. Pariter β.) fallacia accidentis committitur, *quando unum attributum ſubjecto ineſſe concludo per tale aliud attributum, quod cum priori illo attributo per accidens tantùm conjunctum eſt*, v. c. quando de ſubjecto quodam, ut Coriſco, concludo hoc attributum, quod ſit alius ab homine, quia ipſi convenit aliud attributum, nempe, quod ſit alius à Socrate, quod ta-

tamen cum priori illo per accidens solùm conjunctum est, quia accidit, ut qui à Socrate differt, differat ab homine, seu ut Arist. ait, accidit fortè, ut is, à quo diversus est Socrates, homo sit, cum Socrati accidat ἀνθρώπῳ εἶναι, *l. 1. Metaph. c. 1.* quæ collectio talis foret, quicquid aliud est à Socrate, id aliud est ab homine, Socrates enim est homo, atqui Coriscus alius est à Socrate, ergò Coriscus alius est ab homine; à quâ nullatenus abeunt sequentes, animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus, animal est trisyllabum, eqvus est animal, ergò eqvus est trisyllabum, tu non nosti illum, qui foris ostium pulsat, at ille est pater tuus, ergo tu non nosti patrem tuum, risibile est proprium hominis, sed homo ipse non est proprium hominis, ergò homo ipse non est risibilis &c. accidunt enim sibi invicem duo ista attributa, quorum unum in his exemplis subjecto tribuitur propter alterum, v. c. accidit animali esse genus, aut trisyllabum, vel dici nomine trisyllabo, accidit, eum qui pulsat fores, esse patrem, accidit risibili, esse proprium &c. (3.) Peculiaris *fallaciæ accidentis modus est*, qui tamen ratione formæ ad præcedentes etiam referri potest, ratione materiæ verò non incommodè seorsim consideratur, *quando prædicatum aliquod, quod subjecto alicui multa continenti aut diversimodè accepto & considerato secundum unum respectum convenit, secundùm alium verò de ipso concluditur, secundum quem ipsi non competit*, nam & tali

tali ratione medium concludendi cum altero conclusionis termino per accidens tantùm cohærere, ex sequentibus exemplis patet; v. c. cujus est deliberare, is dicitur ab habitu deliberativo, at justi est deliberare, igitur justus dicitur ab habitu deliberativo, album dicitur ab albedine, homo est albus, ergò homo dicitur ab albedine, in priori enim collectione, quia idem subjectum duo continet, nempe justitiam & prudentiam, quæ uti omnium virtutum, ita & justitiæ directrix est, vel duplici respectu sumi potest, quatenus nempe justum & quatenus prudens est, inde quod ipsi ut prudenti vel eo respectu, quo prudens est, competit, nempe dici ab habitu deliberativo, de alio ejus respectu vel de eo prout justum est, concluditur, ac cum prudens quis ab habitu deliberandi appelletur, justum inde appellari infertur, per manifestum fallaciam accidentis, quia medium, nempe deliberare, cum altero conclusionis termino, scilicet justo, per accidens tantùm cohæret, justus enim non per se & quà talis deliberat, sed per accidens, quia & quatenus prudens est, quæ duo semper in uno subjecto sunt, neqve separari à se invicem possunt: quod ipsum vitium in posteriori quoqve collectione hærere manifestum est. (4) Pariter peculiari, ratione materiæ, modo committitur fallacia accidentis, *quando prædicatum, quod de subjecto aliquo simpliciter ac in universum & tanquam toto dicitur, in conclusione tribuitur illi, quod tanquam pars aut particulare sub*

illo

illo ſubjecto continetur; v. c. cum ita infertur, animal aliud eſt terreſtre, aliud aquatile, aliud ἀμφωτερίζον, homo eſt animal, igitur homo alius eſt terreſtris, alius aquatilis, alius ἀμφωτερίζων, hîc enim idem prædicatum, quod in primâ præmiſſarum dicitur de animali ſimpliciter accepto, quod genus & totum quoddam eſt, in concluſione tribuitur homini, qui non eſt animal ſimpliciter ſumptum, aut genus vel totum animal, ſed animal quoddam, tale vel tale, id eſt pars aut ſpecies animalis, quæ ſub animali tanquam genere & toto continetur, ac eapropter evidens hîc eſt fallacia accidentis, cum medium concludendi, nempe animal cum altero concluſionis termino, ſcilicet homine, per accidens tantum cohæreat, homini enim hoc modo animal eſſe, vel eſſe animal ſimpliciter ac univerſale, accidit, quemadmodum & aliàs univerſalia, quatenus talia ſunt & communem plurium ſimilitudinem ſignificant, inferioribus ſuis accidunt & qualitatem ſignificant, ut Socrati τῷ εἶναι ἀνθρώπῳ, *l. 1. Met. c. 1.* & triangulo æquilatero τῷ τριγώνῳ εἶναι accidit, *l. 2. Top. c. 3. l. Categ. c. 5. l. Soph. Elench. c. 22. l. 3. Metaph. c. 6. l. 7. c. 13. &c.* Pertinent huc quoqve ſequentes collectiones, conſideratio entis eſt philoſophiæ primæ propria, corpus naturale eſt ens, igitur ejus conſideratio eſt philoſophiæ primæ propria, habitus eſt aut bonus aut malus, virtus moralis eſt habitus, ergò virtus moralis vel bona eſt

eſt vel mala, figura aut eſt rotunda, aut trilatera, aut quadrilatera &c. pentagonum eſt figura, ergò pentagonum aut rotundum eſt, aut trilaterum, aut quadrilaterum, &c.

§. 3. Sequitur II. Fallacia *ex eo, quod eſt ſimpliciter, & ex eo, quod eſt ſecundùm quid, vel cum addito tale*, quæ ut rectè intelligatur, notandum eſt, addita iſta, *vel vocabula, quæ addi alicui rei ſolent & poſſunt, non eſſe uniusmodi, l. de interpret. c. 11.* verùm alia quidem vocari vulgo *ponentia*, quæ ſignificant, iſtud, cui adduntur, in propriâ ſignificatione accipiendum eſſe, ut cum dicitur, aurum verum, virgo illibata &c. alia verò appellari *addentia*, quæ iſtud, cui adduntur, in nativâ quidem & propriâ relinqvunt ſignificatione, aliquid tamen illi ſuperaddunt, ut quando dicitur, virgo dives, virgo pulchra, ſyllogiſmus demonſtrativus &c. alia porrò *minuentia*, quæ ſignificationem ejus, cui adduntur, non nihil imminuunt, ut quodammodo doctus, quadantenus diligens, ex parte pulcher, juſtus, albus &c. alia tandem *alienantia* ſive *tollentia*, quæ propriam ſignificationem ejus, cui adduntur, planè tollunt, ut cum dicitur, virgo vitiata, homo pictus, domus combuſta, oculus lapideus, &c. ex quibus vocabulis additis *duo poſtrema tantùm, diminuentia ſcilicet & tollentia, huc ſpectant*, quippe in quibus ſolis fallacia ex eo, quod eſt ſecundum quid vel cum addito tale, verſatur. Hinc triplici modo committi hæc fallacia poteſt (1.) quando argumen-

gumentatio fit *à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*, aut quando quis ab eo, quod cum vocabulo aliquo addito, diminuente nempe aut tollente, ita dicitur, progreditur ad id, quod eſt ſimpliciter & ſine omni addito tale, atqve hoc ex illo concludit, aut quando id, quod ſecundùm quid verum eſt, accipitur & infertur, tanquam ſimpliciter & ſine addito verum exiſtat; ubi quidem, *ſi additum vocabulum ſit alienans ac planè tollens propriam vocis ſignificationem*, evidentisſima eſt deceptio, cum nemo ſit, qui non ſtatim videat vitium in his collectionibus, cadaver eſt homo mortuus, ergò eſt homo, imago eſt homo pictus, ergò imago eſt homo, Lais eſt virgo vitiata, ergò Lais eſt virgo, &c. at verò *ſi vocabulum additum non ſit prorſus tollens, ſed tantùm diminuens*, adeò evidens & craſſa hæc fallacia non eſt, ſed paulò obſcurior, ut facilè alicui imponere poſſit, quod ex variis ſpeciebus, quibus ſecundùm primum hunc modum fallacia hæc committi poteſt, patebit. Nam α.) ſecundum primum hunc modum fallacia hæc oritur, quando quis, *quod ex parte vel parti tantùm ineſt, ſimpliciter & de toto concludit*; v. c. Æthiops eſt ſecundùm dentes albus, ergò Æthiops ſimpliciter eſt albus, homo ſecundum animam eſt immortalis, ergò homo ſimpliciter eſt immortalis &c. quam fallaciæ hujus ſpeciem *Rhetores* frequentisſime committunt *in laudando vel vituperando aliquo populo*, cui toti ſæpè adſcribunt, quæ parti tantùm ejus aut huic

huic & illi ex populo conveniunt, ut quando græcos dicunt esse leves, Cretenses mendaces, Germanos candidos & aperti pectoris, &c. ubi quod de parte populi tantùm verum est, de toto populo simpliciter verum esse judicatur. β.) quando *quod certo aliquo loco tantùm valet, ac si simpliciter valeat, infertur*, v. c. apud indos honestum est, si quis nudus incedat, ergo simpliciter honestum est nudo incedere corpore, apud Triballos honestum est & laudabile, immolare Patrem, *l. 2. Top. c. 11.* ergò simpliciter patrem immolare honestum est, &c. γ.) cum id, *quod de certo aliquo tempore verum est, simpliciter verum esse concluditur*, v. c. polygamia in veteri testamento licita erat, ergò simpliciter licita est, monachi casti sunt, quando horas celebrant, ergò simpliciter casti sunt, &c. δ.) quando id, *quod certo aliquo modo verum est, simpliciter tale esse infertur*, v. c. ovum est pullus potentiâ, ergò ovum est pullus, rosa semper est planta, ergò rosa semper est, non Ens est opinabile, ergò non Ens est, infans est potentiâ philosophus, ergò infans est philosophus &c. aut qui mundum reliquit, non est amplius in mundo, Christus mundum reliquit, *Joh. 16. v. 28.* ergò Christus in mundo non est, quod contra *Matth. 28. v. ult.* infertur, malè, quia Christum reliquisse mundum, accipitur simpliciter, cum tantùm de certo quodam modo dictum sit, nempe de visibili & corporali conversatione &c. ε.) cum id, *quod respe-*

reſpectu hujus aut illius ſubjecti tale eſt, ſimpliciter tale eſſe concluditur, v. c. divitiæ vitioſis & imprudentibus ſunt noxiæ, ergò divitiæ ſunt noxiæ & ſimpliciter rejiciendæ, infantes ſunt innocentes, ſcilicet reſpectu adultorum, quorum peccatis polluti nondum ſunt, ergò ſimpliciter tales ſunt & propterea baptiſmo opus non habent, &c. ζ.) quando *quod cum conditione dictum eſt, ſimpliciter ac abſolutè accipitur*, v. c. qui alteri plurima bona promittit, at reverà non præſtat, ille verax dici non poteſt, at Deus hominibus plurima bona promiſit, quæ reverà largitus non eſt, ergò Deus verax dici non poteſt, fallitur hîc, quia promiſſio iſta Dei neutiquam abſoluta ſed conditionata fuit, ſi ſcilicet homines voluntati Divinæ reſponderent ac imperata fideliter facerent, in argumentatione verò non cum conditione hac, ſed ſimpliciter accipitur, unde cum ea, quæ ſub conditione promiſſa ſunt, citra jacturam veracitatis denegari poſſint, quamdiu conditio iſta adimpleta non eſt, patet, in poſitâ collectione non benè concludi: quâ fallaciâ ſeipſum quoqve decepit aurifaber quidam, & Senator Caſſellanus, Nicolaus Harniſius, uti eum Otho Melander jocoſer. num. 515. vocat, ad quem cum ruſticus aliquis conditionatè diceret; *quanti quæſo æſtimares auri maſſam caput bovis æquantem, ſi fortè ego talem reperiſſem?* ipſe hoc ſimpliciter accipiens & aurum inventum jam eſſe putans, ruſticum cibo ac potu refertum reddidit, atqve cum demum ab ebrio the-

ſaurum minimo pretio redimi poſſe exiſtimaret, quæſivit, ubinam ruſticus aurum, de quo antè dixerat, haberet? cui ruſticus reſpondit, ſe non dixiſſe, quod aurum jam invenerit, ſed quæſiviſſe ſolùm, quid dare pro auro vellet, ſi fortè aliquando inventurus eſſet, atqve ita deluſus eſt aurifaber non ſine ſuo detrimento. (2.) Committitur quoqve hæc fallacia modo priori planè contrario, quando *argumentatio fit à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid*, vel quando id, *quod rei competit ſimpliciter ſumptæ, tribuitur illi cum addito aliquo acceptæ*, id quod ſecundùm omnes in præcedente modo recitatas fallaciæ hujus ſpecies fieri poteſt; ſcilicet α.) aliquando *quod toti ſimpliciter competit, malè tribuitur ejus parti*, v. c. homo ſimpliciter loquendo & ut totus conſideratus, mortalis eſt, ergo & anima ejus mortalis eſt, homo totus & ſimpliciter ambulat, ergo & digitus ambulat &c. β.) quod *ſimpliciter & omni loco valet, quaſi hoc etiam loco valeat*, malè infertur, v. c. ſimpliciter & omni loco inhoneſtum eſt, immolare patrem, ergò & apud Triballos inhoneſtum erit, in omni loco & ſimpliciter turpe eſt palàm cum muliere coire, ergò & apud Cauſari habitatores hoc turpe eſt, quod tamen falſum eſſe *Strab. l. 15. Geogr. p. 813.* teſtatur. γ.) oritur quoqve fallacia hæc, quando *quod ſimpliciter & omni tempore verum eſt, hoc etiam tempore tale eſſe* concluditur, v. c. nullo tempore, ſimpliciter loquen-

loquendo, aut manus aut pes aut aliā corporis pars eſt abſcindenda, ergò neqve tunc id fieri oportebit, quando corruptio reliquarum partium metuenda eſt. δ.) pariter deceptio oritur, quando *quod rei ſimpliciter convenit*, *illi cum addito & certo modo ſumptæ convenire* concluditur; v. c. filius Dei ſimpliciter non eſt factus, ergò neq; factus erit homo, contra ac *Joh.1.* docetur, infans ſimpliciter philoſophus non eſt, ergò neqve potentiâ philoſophus eſt. ε.) idem fit, *cum quod abſolutè tale eſt, etiam reſpectu hujus aut illius ſubjecti tale eſſe*, infertur, v.c. arma depoſita ſimpliciter ſunt reſtituenda, ergò etiam reſtituenda erunt furioſo, philoſophari eſt res ſimpliciter & maximè expetenda, ergò etiam fabro aut illi, qui neceſſariis vitæ deſtituitur, expetenda erit, vid. *l.3. Top.c.2.* ζ.) tandem fallacia hæc fit, quando *quod ſimpliciter dictum eſt, accipitur cum conditione*, v. c. abſolutè præcipit Deus, ut bonis & reditibus noſtris juvemus egenos & pauperes, hoc multi triparci cum conditione accipiunt & dicunt, præcepiſſe Deum ut juvemus pauperes, ſi divites fuerimus & bonorum abundantiam habuerimus, ac eapropter ſe hoc præcepto obligari inficiantur. (3.) Sed & tunc hæc fallacia committitur, quando *argumentatio fit à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſecundum quid*, vel quando id, *quod rei alicui cum addito hoc ſumptæ competit, tribuitur illi cum alio quodam addito acceptæ*; v.c. homo ſecundum animam immortalis eſt, ergò & ſecundùm

cundùm corpus, monachi in choro casti sunt, ergò etiam in lecto, divitiæ sunt noxiæ vitiosis, ergò & virtuosis &c. ad quem hujus fallaciæ modum omnes istæ deceptionum species, quæ in præcedentibus duobus modis enarratæ sunt, reduci possunt, quibus convenientia invenire exempla, ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile erit. Hi itaqve & alii fortè plures hujus fallaciæ modi, horumqve modorum species sunt, quæ omnes falsâ hac nituntur hypothesi, *quasi ab eo quod certo modo limitatum & restrictum est, ad id quod simpliciter ita dicitur*, aut contra, *ab eo quod simpliciter dicitur, ad id quod cum certa limitatione ac adjectione dicitur*, aut tandem, *ab eo, quod cum hac adjectione dicitur, ad id, quod cum aliâ adjectione dicitur, valeat consequentia*, quod tamen ita sese non habere, sed aliter in adjectionibus diminuentibus ac alienantibus comparatum esse, ex *sup. pag. 194.* constat.

§. 4. Porro III. succedit *Fallacia Ignorationis Elenchi*, quæ ideò ita dicitur, quod tunc eam committat sophista, quando respondens, adversus quem ille disputat, *non rectè constitutum habet, quid sit Syllogismus ac Elenchus*, aut quando *aliquam partem definitionis Elenchi ignorat*, ac Elenchum verum, seseqve eo constrictum esse putat, cum nec Elenchus verus, nec ipse convictus sit; quæ definitionis ignoratio si in respondente non est, neq; locum hæc fallacia invenit, sed facilè à docto respondente, qui omnes definitionis Elen-

chi

chi particulas rectè novit, refelli poteſt: ubi tamen notandum eſt, *fallaciam hanc naſci non ex ignoratione cujusvis partis definitionis Elenchi*, ita enim omnes fallacias comprehenderet, ut inferius dicetur, ſed tantùm ex omisſione ac *ignoratione ejus definitionis partis, quâ ad Elenchum requiritur, ut illi theſi, cui opponitur & quam reprehendit, verè contradicat.* Scilicet, uti ex *ſup. pag.* 549. conſtat, *Elenchus eſt Syllogiſmus cum contradictione*, & eapropter ad verum Elenchum requiritur, primò quidem, *ut ſit Syllogiſmus* ac omnia veri ſyllogiſmi requiſita contineat, deinde autem, ut *contradicat theſi alicui* & ut omnes veræ contradictionis conditiones comprehendat; quod ut evidentius fiat, *Ariſt. lib. Soph. Elench. c* 5. omnia *Elenchi requiſita ac conditiones* colligit, & Elenchum eſſe dicit condictionem (1.) unius & ejusdem (2.) non nominis, ſed rei & nominis (3.) nominis non idem ſignificantis, ſed voce ejusdem (4.) ex poſitis & concesſis (5.) quæ necesſariò ſequatur (6.) ſine petitione τοῦ ἐν ἀρχῇ, vel ut in ſumptionibus non ſit acceptum illud, de quo inſtituta eſt diſputatio (7.) in comparatione ad idem, vel eodem reſpectu (8.) ſecundum idem (9.) de eodem modo (10.) de eodem tempore: ex quibus conditionibus quædam ad eam Elenchi definitionis partem pertinent, quâ dicitur eſſe ſyllogiſmus, uti eſt conditio quarta, quinta & ſexta, hæ enim in ipsâ ſyllogiſmi definitione includuntur, reliquæ verò conditiones omnes ad eam defi-

nitio-

nitionis Elenchi partem ſpectant, quâ dicitur eſſe cum contradictione, & eapropter *propriè hujus loci ſunt*, ſecundum quas, ſi aliqua earum neglecta & omisſa fuerit, fallacia Ignorationis Elenchi committi ſolet. Hoc cum ita ſit, jam patet, *quot ſint modi hujus fallaciæ*, (1.) enim quia ad id, ut Elenchus theſi alicui verè contradicat, requiritur, ut ſit *unius & ejusdem*, *ſubjecti ſcilicet & prædicati*, id eſt, ut in concluſione ſua habeat unum atqve idem ſubjectum ac prædicatum, quod ipſa theſis habet, cum in omni contradictione oporteat unum & idem prædicatum de uno eodemqve ſubjecto affirmari & negari, *lib. de Interpret. c. 6.* inde ſi hanc definitionis Elenchi partem negligat aut ignoret reſpondens, incidere in hunc deceptionis modum poterit, ſeſeqve convictum, cum reverà non ſit, eſſe putabit; v. c. ſit hæc reſpondentis theſis, Galatæ ſunt ſeducti à falſis Apoſtolis, aut Virgilius eſt optimus Poëtarum, Sophiſta verò contra has theſes diſputans Elencho ſuo inferat, Theſſalonicenſes non ſunt ſeducti à falſis Apoſtolis, aut Virgilius non deſcripſit excidium Trojanum, hîc nulla in Elencho facta eſt contradictio, ſed deficit hæc ejus conditio, quâ requirebatur, ut ſit unius & ejusdem, in priori enim theſi & ei oppoſitâ Elenchi concluſione non eſt idem ſubjectum, in poſteriori autem non eſt idem prædicatum, quam conditionem ſi reſpondens ignorat & Elenchum ſuæ theſi verè contradicere putat, fallaciâ ignorationis Elenchi ipſum ſophi-

ſta decepit. (2.) Requiritur ad Elenchum & contradictionem, ut ſit unius & ejusdem, *non nominis tantùm, ſed & unius ejusdemq; rei per nomen iſtud ſignificatæ*, id eſt, ut utrobiqve tam in concluſione Elenchi quam in propoſitâ theſi, & ſubjectum cum ſubjecto, & prædicatum cum prædicato idem ſit, *tum quoad nomen, tum quoad rem ſignificatam*; ſecus enim iterum vera contradictio non erit, ut inter has propoſitiones, canis eſt ſidus cœleſte, canis non eſt ſidus cœleſte, nomen canis enim quamvis ſit unum & idem, æquivocè tamen & in diversâ accipitur ſignificatione, atqve ita ſimpliciter unum ac idem non eſt: quare *cit. l. de interpret. c. 6.* etiam dicitur, contradictionem unius ejusdemqve μὴ ὁμωνύμως eſſe debere. V.c. ſit theſis reſpondentis, Marcellus cepit Syracuſas, aut Anchiſes à filio Æneâ eſt ſublatus, ſophiſta verò Elencho ſuo contra primam theſin ita concludat, qui alio planè vixit tempore, quàm quo captæ ſunt Syracuſæ, ille Syracuſas non cepit, atqve Marcellus alio planè vixit tempore &c. ergò Marcellus Syracuſas non cepit, contra ſecundam verò ita inferat, qui ab alio ſublatus eſt, is ab eo eſt interfectus, ſed Anchiſes à filio Æneâ non eſt interfectus, ergò Anchiſes à filio Æneâ non eſt ſublatus, &c. nulla vera eſt contradictio, quia non ipſius rei ſed nominis tantùm eſt, in primâ enim theſi & primi Elenchi concluſione, nomen quidem unum eſt, nempe Marcellus, at res eo nomine ſignificata alia atqve alia, cum vox hæc æ-

qui-

quivoca ſit & duos, qui ejus nominis fuerunt, ſignificet, alterum, qui tempore ſecundi belli Punici vixit, de quo theſis loquitur & verè dicit, quod Syracuſas ceperit, alterum, qui Ciceronis tempore vixit, pro quo reſtituto Cicero in Senatu Cæſari gratias agit, de quo intelligenda eſt concluſio Elenchi, quiqve Syracuſas non cepit, in ſecundâ verò theſi & ei oppoſitâ concluſione vox *ſublatus* æquivoca eſt, quia & ille ſublatus dicitur, qui ab alio in altum tollitur, in quâ ſignificatione intelligenda eſt theſis, & ille, qui interficitur ab alio, in quâ ſignificatione intelligenda eſt concluſio Elenchi, quarum utraqve igitur vera eſt, atqve adeò nullam continet contradictionem. Ita quoqve ſi hæc reſpondentis theſis fuerit, Quoddam animal reſpirat, alius autem Elencho ſuo contra theſin iſtam ita inferat, Quoddam animal non reſpirat, rurſus vera contradictio non eſt, ſed contra hanc ejus conditionem peccatur, quod utrobiqve non de unâ eademqve re ſermo fiat; quamvis enim vox iſta, animal, non æquivocè hîc accipiatur, *aliâ tamen ratione multa ſignificat*, modò piſcem, qui non reſpirat, modò eqvum & leonem, qui reſpirant, atqve ita hîc nihilominus *nomen ſolùm unum idemq;, res autem per iſtud ſignificata, alia eſt atq; alia*, ac per conſequens non minus in hoc quàm in præcedentibus exemplis & vocibus æquivocis vitium hæret: quam ob rem iterum, ſive hoc ſive illo modo peccetur, ſi hanc Elenchi & contradictio-

nis

nis conditionem respondens ignorat, eundem sophista hac fallaciâ circumvenire potest. (3.) Ad Elenchum necessarium est, ut in conclusione suâ thesi alicui oppositâ habeat nomen, cum eo, quod in ipsâ thesi exstat, *non tantùm significatione, sed & voce unum idemq;*, seu ut Arist. ait, requiritur, *ut nomen non tantùm sit idem significans vel synonynum*, scilicet grammaticum aut polyonymum, *sed etiam, ut quoad literas unum idemq; existat*, quod si respondens non rectè observat, rursus fallacia hæc à sophistâ adhiberi poterit; unde committi hæc fallacia potest, quando v. c. thesis à respondente posita hæc est, ensis est ad defensionem, aut omne animal movetur, elenchi conclusio verò hæc est, gladius non est ad defensionem, aut, non omne animal mutatur, contradictio enim non est, quia utrobiqve non est idem, quoad literas, nomen, in priori enim exemplo differt subjectum, in posteriori prædicatum, quamvis eadem res utroqve significetur: in quibus & similibus admodum cautum & circumspectum esse oportet respondentem, ne decipiatur, cum *sæpè fieri possit, ut vocabula quædam videantur esse synonyma grammatica & idem significare, quæ tamen talia non sunt*, ut animal & animatum &c. quibus capi quis facilè potest, si alterum horum in alterius locum substitui patiatur, cui & alia adhuc addi possunt, quæ talem nominum commutationem prohibent, & ut iisdem verbis utatur Elenchus, quibus utitur proposita

thesis, requirunt, quæ *Pacius in comment.* habet. (4.) Porrò ad veram contradictionem necesse est, ut prædicatum utrinq; & in conclusione Elenchi & in propositâ thesi, *ad idem vel eodem respectu conveniat subjecto*, quam conditionem eapropter si Sophista callidè & occultè, respondente idipsum ignorante vel non advertente, dissimulare potest, iterum eundem hâc fallaciâ fefellit; v. c. sit thesis, decem esse duplum, opponens autem Elencho concludat, decem non esse duplum, quia scil. septenarium non continet bis, duplum verò id vocatur, quod alium numerum bis continet, nulla vera est contradictio, quia non ad idem vel eodem habito respectu thesis & ipsi opposita conclusio intelligitur, illa enim dicit, decem esse duplum ad quinqve vel respectu quinarii, hæc verò infert, decem non esse duplum in comparatione ad septem vel respectu septenarii, quorum utrumqve verum est, & propterea contradictionem non sapit: ita quoqve in his nulla est contradictio, quando thesis dicit, aërem esse gravem, scilicet in comparatione ad ignem, conclusio Elenchi verò infert, aërem non esse gravem, nempe respectu aquæ aut terræ &c. Sic ponat aliquis thesin Davidis ex *Psal. 7. v. 4.* in manibus meis nulla iniquitas, Sophista autem in contrarium afferat sententiam ex *Psal. 143. v. 2.* non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, aut ex *Psal. 14. v. 2. & 4.* non est, qui faciat bonum, non est usqve ad unum, hîc impingit Sophista in hanc Elenchi conditio-

ditionem, neqve verè contradicit, quia in primâ sententiâ David dicit, in manibus suis iniquitatem non esse, respectu inimicorum suorum, quos nullatenus offenderat, in secundo verò & tertio loco de suis & aliorum peccatis conqueritur, respectu habito ad Deum, quem omnes peccatis nostris offendimus: quem diversum respectum si non observat respondens, sibiqve verè contradictum esse putat, hac Ignorationis Elenchi fallaciâ deceptus est. (5.) Rursus cum contradictio debeat esse ejusdem *secundùm idem*, id est, ita ut idem prædicatum de eodem subjecto affirmetur ac negetur *secundum eandem partem*, *vel secundùm eandem proprietatem acqualitatem*, *vel eandem naturam* &c. inde si hanc conditionem, ignorante id respondente, negligit Sophista, fallaciam hanc denuò committit; v. c. sit thesis, elementum est sensibile, secundùm formam & actum, huic Sophista contradicat tali conclusione, elementum non est sensibile, nempe secundum materiam, contradictio vera non est, quia non secundùm eandem partem subjecto prædicatum utrobiqve inesse dicitur: ita quoqve si thesis fuerit, Christus fuit ante Abrahamum, *Joh. c. 8. v. 58.* scilicet secundùm divinam suam naturam, alius verò contra eam ita inferat, qui diu post Abrahamum natus aut naturam humanam adeptus est, is ante Abrahamum esse non potuit, sed Christus diu post Abrahamum natus est, ergò ante eum non fuit, hîc si respondens se convictum esse suæ-

qve thesi verè contradici hoc Elencho putat, fallaciâ ignorationis Elenchi decipitur, quia Elenchus thesi verè non contradicit, sed secundùm divinam Christi naturam thesis, secundùm humanam verò conclusio Elenchi intelligenda est, atqve adeò præcipua aliqua contradictionis conditio deest, quâ requiritur, ut unius & ejusdem *secundùm idem* existat. (6.) Ut Elenchi conclusio thesi alicui verè contradicat, utraqve *similiter & de eodem modo* exponenda est, secus enim iterum nulla erit contradictio, sed si respondens hoc ignoraverit, fallacia hæc locum inveniet; v. c. sit thesis, elementa non esse in mixtis actu, adversus eam alius ita concludat, ex quibus aliquid constat, ea in ipso sunt, saltem potentiâ, at ex elementis mixta constant, ergò elementa in mixtis sunt potentiâ, nulla est contradictio, quia modus utrobiqve idem non est, quo alterum alteri inesse dicitur, thesis enim de eo loquitur, quod actu est in alio, conclusio Elenchi verò de eo, quod est in alio potentiâ, ac proinde Elenchus non rectè se habet. (7.) Tandem quando idem de eodem affirmatur & negatur, ut vera inde nascatur contradictio, necesse est, ut *de uno etiam eodemq́; tempore* sermo fiat, aliàs enim vera contradictio non est, cum uni eidemqve rei diverso tempore non eadem vel diversa inesse possint, ut qui hoc tempore probus est, alio est improbus, qui hoc sanus est, alio æger est, &c. v. c. si thesis fuerit, solem esse in signo cancri, intellige tempore solstitii æstivi, alius autem contra concludat,

cludat, ſolem non eſſe in ſigno cancri, ſcilicet tempore ſolſtitii hyberni, aut ſi theſis fuerit, hominem eſſe imberbem, intellige tempore adoleſcentiæ, alter verò contra inferat, hominem eſſe barbatum, ſcilicet ætatis virilis tempore, nulla prorſus eſt contradictio, quia de diverſo oppoſitæ illæ enunciationes loqvuntur tempore: quod probè reſpondenti obſervandum eſt, aliàs enim ex ignoratione illius conditionis facilè fallaciâ hâc circumveniri poteſt. Tot itaqve ſunt modi, quibus aliqua ex conditionibus Elenchi negligi aut omitti atqve adeò aliqua definitionis Elenchi pars ignorari ac proinde hæc fallacia committi poteſt; quotiescunqve enim Sophiſta aliquam ex his conditionibus contradictionis callide negligit, reſpondens autem inſcitiâ aut oſcitantiâ quâdam id non advertit, ſed Elencho iſto ſuæ theſi verè contradici, ſeq; convinci putat, tum ex non animadverſis hiſce inſidiis oritur fallacia hæc, quæ vulgò fallacia Ignorationis Elenchi vocatur, uti ex dictis abunde conſtat.

§. 5. Sequitur IV. Fallacia petitionis τοῦ ἐν ἀρχῇ, vel *ejus, quod ab initio quæſitum aut ad diſputandum propoſitum eſt*, quæ uti prior illa ex ignoratione alicujus conditionis Elenchi, ita *hæc ex ignoratione ejusdem & diverſi* oritur, atqve tunc committitur, quando *Sophiſta à reſpondente concedi ſibi poſtulat illud ipſum, quod probare debebat, vel quod ante quæſitum erat*, quod ſi reſpondens non advertat & imprudentius id, quod cum probandâ

bandâ conclusione idem est, concedat, vel planè etiam nesciat discernere, quid cum eâ idem, quid ab eâ diversum sit, locum concedit Sophistæ ejusqve fallaciæ, qui quando id, quod cum intentâ suâ conclusione idem est, obtinuit, facilè deinceps ipsam conclusionem inferre atqve ita respondentem decipere potest; v. c. velit aliquis hanc inferre conclusionem, pisces respirare, & eo fine à respondente sibi concedi petat hanc propositionem, pisces habere pulmones, aut velit probare, monarchiam esse Reipubl. formam optimam, & eo fine concedi postulet hanc propositionem, eam Rempubl. in quâ unus & solus imperat, esse optimam, &c. hîc idem quod probandum est, petitur, ac propterea si respondens has propositiones cum inferendis conclusionibus idem esse non advertit aut ignorat, ac easdem concedit, Sophista eundem fallaciâ hac petitionis τοῦ ἐν ἀρχῇ decepit. Tot autem sunt *modi hujus fallaciæ*, *quot sunt modi petendi* τὸ ἐν ἀρχῇ, quos *supra pag. 528. & seqq.* enarravimus ac definivimus, ubi etiam exempla addita sunt, quæ inde repeti & ad illustrandam hanc fallaciam abundè sufficere possunt; quibus modis tamen aliquando τὸ ἐν ἀρχῇ *adeò evidenter petitur, ut ridiculus esse videatur, qui alium decipere iisdem velit*, ut v.c. si quis conclusionem probandam iisdem planè verbis sibi concedi postulet, aut si id faciat verbis quidem aliis, at evidentissimè eandem rem significantibus, nempe si probandum sit, gladium esse acutum, concedi petat,

petat, ensem esse acutum, quo petendi τὸ ἐν ἀρχῇ modo, nemo tam indoctus aut stupidus est, ut sese decipi patiatur: aliquando verò *ratio petendi τὸ ἐν ἀρχῇ occultior est*, quàm ut primo statim intuitu sentire eam quilibet possit, quæ eapropter Sophistis frequentior est, ut non raró Docti quoqve eâdem decipiantur. Id verò quàm maximè observandum est, omnes supra dictos petendi τὸ ἐν ἀρχῇ modos tum demum vitia disputationis esse, vel omnibus supra dictis petendi τὸ ἐν ἀρχῇ modis *tum demum committi fallaciam hanc, quando propositio, quæ ad inferendam conclusionem, cum quâ idem significat, interrogatur, æquè dubia, incerta, obscura ac ignota, quàm ipsa illa conclusio inferenda, aut etiam eâdem obscurior & ignotior existit*, ita enim verè, quod petitur, & quod probandum erat, idem sunt, cum utrumqve sit obscurum & ignotum; unde *secundum primum modum*, quando quis ad inferendam hanc conclusionem, omnis scientia est contemplativa, concedi sibi postulat hanc propositionem, omnis scientia pro fine habet contemplationem, is idem, quod probandum est, petit, vel probare vult idem per idem, habere enim contemplationem pro fine, & esse contemplativum, idem sunt, quia illud hujus definitio est & eapropter non res ipsa sed vocabula solùm variant, *fallaciam verò hac petitione τοῦ ἐν ἀρχῇ ideò committit, quia propositio ista interrogata æq; obscura ac dubia est,*

quàm inferenda conclusio, ac proinde in eo peccat, quod propositionem dubiam & controversam tanquam certam sumit; quâ ratione *secundùm ultimùm quoq; modum*, qui ad hanc conclusionem inferendam, omnis voluptas est bona, hanc petit propositionem, omnis voluptas est expetenda, non tantùm petit τὸ ἐν ἀρχῇ, quia bonum & expetendum esse, sese mutuò & necessàriò consequuntur, sed & *hac suâ petitione fallaciam hanc committit, ideò, quia dubium & obscurum per æq; dubium & obscurum probare vult*, seu quia propositio interrogata æq; dubia & obscura est, quam conclusio, quæ inferri debet. At verò quando propositio, juxta superius explicatos petendi τὸ ἐν ἀρχῇ modos interrogata *notior ac evidentior est, quàm inferenda conclusio, tantùm abest, ut tali petitione τοῦ ἐν ἀρχῇ fallacia hæc committatur*, aut vitium aliquod disputationis nascatur, ut contra potius frequentissimum sit in disputationibus verè dialecticis ac ab omni fraude & imposturâ alienis, hujusmodi collectionibus uti; v.c. *à definitione ad definitum*, quamvis verba tantùm alia sint, res verò eadem existat, rectè argumentamur, & ad inferendam hanc conclusionem, animal appetitu præditum est, rectè hanc propositionem concedi petimus, quicquid vivit sentit ac movetur, id appetitu præditum est, utut vivere sentire & moveri sit definitio animalis & nihil aliud, quàm ipsum animal significet, quia hæc posterior propositio longè notior

tior est ac evidentior, quàm prior illa inferenda conclusio, aut quia longè notius ac clarius est, affectionem hanc, nempe appetitum habere, in definitione istâ, quàm in definito comprehendi: unde etiam in Dialecticis expresè *locus à definitione* habetur, uti ex *loco 3. & 12. lib. 2. Top.* ac exemplis ibi positis sufficienter constat. Ita quoqve quando duo aliqua sese mutuò & necessariò conseqvuntur, tum iterum *ad probandum unum eorum, rectè petitur alterum, si scilicet hoc alterum notius fuerit*, v.c. ad inferendam hanc conclusionem, Vir fortis est magni animi, rectè concedi mihi peto hanc propositionem, quod Vir fortis despiciat pericula, quia hæc notior est, quamvis ex eâ thesis necessariò consequatur, ut & ad hanc conclusionem inferendam, virtus consistit in mediocritate, rectè postulo hanc propositionem, vitia consistunt in excessu vel defectu, hæc enim evidentior est, quàm inferenda conclusio, cum vitia hominibus ut frequentiora, sic & notiora sint, virtutis autem ratio rarior ac proinde ignotior esse videatur, unde ipse etiam Arist. sæpè, quid virtus sit, ex vitiis declarat ac docet; quâ de causâ inter ipsos locos dialecticos *supr. pag. 165. 173. & seqq.* locos *ab antecedente & consequente, à consecutione* &c. numeramus, quos omnes citra ullam fallaciam petitionis τοῦ ἐν ἀρχῇ rectè in disputando adhibemus: ex quibus omnibus patet, rectè peti vel sumi aut alterum ex iis, quæ sese conseqvuntur, aut definitionem, aut aliud tale, juxta

modos petendi τὸ ἐν ἀρχῇ, *non quia aut quatenus idem est cum eo, quod concludi debet, sed ideò vel eatenus, quatenus notius est eo, quod concludi debet*, ac per consequens, fallaciam petitionis τοῦ ἐν ἀρχῇ juxta modos supra dictos, non committi, nisi tunc solùm, quando id quod petitur ac sumitur tanquam certum & indubium, æqve incertum, dubium ac obscurum est, quàm ipsum illud, quod ex eo inferri & concludi debet, ut ex exemplis supra positis manifestum est. Hîc tamen & illud notandum est, *non statim peti τὸ ἐν ἀρχῇ, vel committi hanc fallaciam, si quis ad inferendam aliquam conclusionem concedi sibi petat aut sumat talem propositionem, quæ aliis quidem approbata & vel inductione vel ratione manifesta est, ab eo verò, adversus quem disputatur, in dubium & controversiam vocatur*; ita enim vix ulla argumentatio foret, quæ petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ dici non posset, cum nulla ferè sit propositio, quæ quamvis manifesta sit, in dubium vocari non possit ab eo, qui aliter falsam suam thesin tueri non valet, quod vel ex *Zenone* patet, qui, ut placita sua defenderet, motum dari negabat & omnia immobilia esse asserebat, contra sensum, *lib. 8. Top. c. 8. & lib. 6. Phys. c. 14.* unde qui argumentatur ex his & similibus propositionibus, *principia generabilium sunt contraria, non quodlibet fit ex quovis, omnis motus fit in tempore &c.* non committit fallaciam petitionis τοῦ ἐν ἀρχῇ, quia hæ

pro-

propositiones in se certæ & indubiæ ac evidentes sunt, quamvis fortè ab hoc aut illo, irrito planè conatu, in dubium & controversiam vocari possint.

§. 6. Porrò V. Fallacia *consequentis* explicanda est, quæ quasi *pars & species aliqua est fallaciæ accidentis*, uti *Arist. lib. Soph. Elench. c. 6.* docet, idqve eâ de causâ, quia consequentia pars aliqua aut species sunt accidentium aut eorum, quæ alteri attribuuntur aut quomodocunqve insunt; *differentia tamen hæc est*, quod fallacia accidentis *in uno solo*, fallacia consequentis autem semper *in pluribus* accipiatur, id est, uti apud *Alexandr.* exponitur, quod *fallacia accidentis simpliciter & sine conversione fiat*, v.c. quicquid parit rixas est abolendum, religio parit rixas, ergò est abolenda, *fallacia consequentis autem semper in pluribus & cum conversione fiat, ac in eâ omnem suam vim sitam habeat*, ut si fur noctu plateis oberrat, etiam qui noctu plateis oberrat, fur erit, ac proinde quia Socrates noctu plateis oberrat, fur erit, aut si iste, qui tyrannidem aggressurus est, arma parat, etiam qui arma parat, tyrannidem aggressurus est, ac propterea, quia Pericles arma parat, tyrannidem aggressurus est, &c. quia enim noctu vagari & furem esse *cum uno aliquo idem sunt vel uni conveniunt*, nempe Lydo alicui aut Argivo, hi enim furacitate suâ infames sunt, ut & quia arma parare & tyrannidem invadere cum uno aliquo idem sunt, vel uni conve-

niunt,

niunt, nempe Dionysio Siculo, Patri, *inde hæc inter se quoq; eadem vel æquipollentia aut reciproca ac convertibilia esse putantur*, & propterea cui unum eorum competit, illi alterum etiam competere concluditur v. c. quia Socrates noctu vagatur, infertur etiam de eo alterum, quod fur sit, & quia Pericles arma parat, etiam alterum de ipso concluditur, quod tyrannidem affectet, atqve ita committitur ea, quæ nunc fallacia consequentis dicta est. In genere itaqve fallacia consequentis est, quando *consecutionem retrò verti existimamus, quæ minimè retrò commeat*, seu quando *existimamus, uti hoc, nempe consequens, sequitur ex illo, scilicet antecedente, ita contra quoq; illud antecedens sequi ex hoc consequente*, vel etiam, quando uti ex affirmatione antecedentis rectè infertur affirmatio consequentis, ita quoqve contra *ex affirmatione consequentis rectè inferri putamus affirmationem antecedentis*, *aut* rursus, quando uti ex negatione consequentis rectè infertur negatio antecedentis, ita quoqve contrà *rectè putamus inferri ex negatione antecedentis, negationem consequentis*; vocabulis antecedentis & consequentis verò hîc utimur in eâ significatione, quam *supr. pag. 165.* determinavimus, quâ *antecedens id vocatur*, quo posito alterum ponitur, *consequens autem*, quo negato alterum negatur, quâ ratione fortitudo antecedens est, virtus autem consequens, positâ enim fortitudine ponitur virtus, at negatâ virtute etiam fortitudo negatur. Hinc committi-

mittitur fallacia conſequentis, ſi quis ita conclu-
dat, monſtrum eſt ἀναπηρία vel mutilatio ac oblæ-
ſio vel aberratio quædam à perfectisſimo animali, *lib. 4. de gen. anim. c. 3.* ſed fœmina eſt ἀναπηρία quædam aut aberratio à perfectisſimo, nempe mare, *lib. 2. de Gen. Anim. c. 3. & l. 4. c. 6.* ergò fœmina eſt monſtrum, ubi deceptio oritur, quia uti hæc valet, omne monſtrum eſt læſio aliqua, ita reciprocè & per converſionem ſimplicem valere putatur & hæc, omnis læſio eſt monſtrum, ac propterea cui unum horum competit, de eo malè infertur etiam alterum, utpote, quia fœminæ competit, eſſe læſionem vel rem quadantenus læſam, inde ei ex præſuppoſitâ pravâ hac converſione malè tribuitur & alterum, eſſe monſtrum; vel quod idem eſt, error ex eo naſcitur, quia antecedens hîc eſt monſtrum, conſequens autem læſio quædam, atqve inde ſicuti bona eſt collectio ab affirmatione antecedentis ad affirmationem conſequentis, conſequens enim ad antecedens vel ex antecedente ſequitur, ita malè putatur etiam per converſionem & reciprocè ſequi ex conſequente antecedens, vel ex affirmatione conſequentis, nempe læſionis, affirmationem antecedentis, nempè monſtri, de fœminâ inferri ac concludi posſe: nunquam enim ex conſequente rectè infertur antecedens, aut antecedens alicui competere benè concluditur, ex eâ ratione, quia ipſi conſequens competit, ſed ſemper hoc modo fallacia conſequentis oritur, uti non modò ex poſito ſed & ſubſequen-

ſequentibus exemplis patet. V. c. pari deceptione alicui malè antecedens convenire concluditur, quia ipſi competit conſequens in his: puellæ, quæ tempore pubertatis laſciviæ dedita eſt, vox mutatur in graviorem *l. 7. Hiſt. Anim. 1.* ſed hujus puellæ caſtisſimæ vox circa pubertatis annos mutatur in graviorem, ergò hæc caſtisſima puella laſciviæ dedita eſt, Locus continet rem locatam, ſed forma rei locatæ continet rem locatam, ergò forma rei locatæ eſt locus ejus, vid. *l. 4. Phyſ. c. 6.* Adulteri compti ſunt & noctu vagantur, Clodius comptus eſt & noctu vagatur, ergò Clodius eſt adulter. Grammatica conſiſtit in dicendo & verbis ſuum opus peragit, ſed Rhetorica conſiſtit in dicendo & verbis opus ſuum peragit, ergò Rhetorica eſt Grammatica, vid. *Plat. in Gorg. p. m. 282.* Ex rerum intelligentiâ effloreſcit oratio, ut *Cicero* ait, ergò qui copiosè de re aliqua loquitur, ille rectè eam intelligit, Doctus habet inſtructam Bibliothecam, hic aut ille ignavus homo habet inſtructam Bibliothecam, ergò eſt doctus, ſi homo currit, animal currit, atqve animal currit, ergò homo currit, quod præcisè verum non eſt, cum canis aut aliud aliquod animal nunc currere poſſit, non autem homo &c. in quibus omnibus ex affirmatione conſequentis affirmatio antecedentis malè infertur. Rurſus, quia ex negatione conſequentis rectè infertur negatio antecedentis, inde ſi quis hoc & *reciproco ordine valere aut collectionem converti & retrò commeare, atq; ex negatione antecedentis*

ad

ad negationem consequentis rectè concludi posse existimat, eundem pari ratione fallaciam consequentis committere paulò ante dictum est, ad quem hujus fallaciæ modum *Melissi argumentatio* spectat, quâ Ens infinitum esse, aut principium non habere, ita probabat, omne genitum habet principium, Ens non est genitum, ergò non habet principium ac proinde est infinitum, *lib. 1. Phys. c. 4.* hîc enim à negatione antecedentis, nempe geniti, concluditur ad negationem consequentis, quod est habere principia, seu quia ens non est genitum, nec principia habere infertur, cum tamen conversio hæc consecutionis vel reciproca collectio à negatione antecedentis ad negationem consequentis non valeat, uti quidem à negatione consequentis ad negationem antecedentis valet: ad quam Melissi fallaciam propè accedunt sequentes, omnis homo est animal, eqvus non est homo, ergò eqvus non est animal, si homo currit, animal currit, sed nullus homo currit, ergò nullum animal currit omnis fortitudo est laudabilis, justitia non est fortitudo, ergò justitia non est laudabilis &c. in quibus omnibus à negatione antecedentis fit collectio ad negationem consequentis. Perinde autem est, *sive negatio ista antecedentis fiat explicitè & evidenter, sive virtualiter tantùm & tectè*, qualis negatio in exclusivis & aliis hujusmodi propositionibus esse solet, in neutro enim casu, sive tectè sive aperte antecedens negetur, ab ejus negatione ad negationem consequentis rectè concluditur, &

ea-

eapropter æqvè, ut in ſuperioribus exemplis, in quibus aperta erat negatio, ita & in ſequentibus, in quibus negatio virtualis & tecta eſt, deceptio latet, v. c. omnis homo ſentit, ſolum animal rationale eſt homo, ergò ſolum animal rationale ſentit, omnis homo ex terrâ creatus eſt animal, ſed unus ſolùm homo ex terrâ creatus eſt, ergò unus ſolùm homo animal eſt, omnis habitus circa guſtum & tactum mediocritatem ſervans eſt virtus, ſed ſola temperantia eſt talis habitus, ergò ſola temperantia eſt virtus, Quicquid eſt in hac urbe, eſt in mundo, ſed tres tantum fontes ſunt in hac urbe, ergò tres tantùm fontes ſunt in mundo, &c. In ſpecie autem *oritur fallacia conſequentis aliquando ex ſenſuum perceptione*, v. c. quia auri conſequens eſt flavus color, aut ſangvinis conſequens eſt rubicundus color, inde fit, ut quicquid flavum vel rubicundum eſt, aurum aut ſangvinem eſſe exiſtimemus ac ita colligamus, omne aurum eſt flavum, hoc quod arte chymicâ productum eſt, eſt flavum, ergò eſt aurum, omnis ſangvis eſt rubicundus, aqua in hac foſsâ eſt rubicunda, ergò eſt ſangvis &c. cujus fallaciæ & *deceptionis circa ſenſûs cauſa* hæc eſt, quod quando res quædam ſenſibilis plurium ſenſuum judicio diſcerni debet, eam dijudicandam unus ſibi ſenſus ſumit, v. c. an ſaccharum ſit hoc aut illud, non ſoliûs viſus eſt diſcernere, ſed & guſtus, ac eapropter ſi ſolus viſus judicium ſibi arrogat, facilè deceptio oriri poteſt, quod fit, ſi quis, quia ſaccharum album eſſe videt,

ſtatim

ſtatim id, quod album eſt, ſaccharum eſſe putat & concludit, aut quia quando pluit, terra madeſit, inde cum alio tempore terram madefactam eſſe videt, pluiſſe putat ac malè infert. Porrò frequens etiam eſt hæc fallacia, præprimis in Enthymematibus Rhetoricis, quando ex *ſignis argumentamur*, hæc enim non omnia unius generis vel æqve certa ac firma, ſed multa dubia ſunt, incerta ac fallacia, ut ſi quis ex iis de re aliquâ judicare velit, abripi facile in errorem poſſit; v. c. cum adulteri ad furtivos ſuos amores tenebris uti & noctu vagari ſoleant, aut cum ii, qui febri laborant, frequenter anhelare, aut ii, qui diligenter ſtudent, pallere ſoleant, &c. inde ſi ex his tanquam ſignis argumentari & ideò, quia aliquem noctu vagari, aut frequenter anhelare, aut pallere videmus, eundem vel adulterum eſſe, vel febri laborare, vel diligenter ſtudere, ſtatim colligere velimus, fallaciam hanc committimus atqve erramus, cum ſæpè alia cauſa ſubſit, cur quis noctu vagetur, nempe, ut inviſat ægrotos, aut cur frequenter anhelet, nempe quia ulcus habet in pulmonibus, aut cur palleat, nempè quia multùm dormit, aut amat &c. Vid. *lib. 1. Rhet. c. 2. & l. 2. Prior. c. 27.* Pariter eadem hæc fallacia committitur in quam plurimis collectionibus ex *Chiromantiâ & Aſtrologiâ divinatoriâ* deſumptis, quando v. c. inferri ita vulgò ſolet, ille, qui fur fuit & patibulo ſuſpenſus eſt, tales vel tales in manu habuit lineas, at vero hic ſimiles ac easdem in manu habet lineas, ergò & hic fur eſt

ac ſuſpendetur, ut &, ille, qui homicida erat, talem tempore nativitatis ſuæ habuit domorum cæleſtium conſtitutionem, hic autem eandem conſtitutionem ſuæ nativitatis tempore habuit, ergò & hic homicida erit: in quibus & hujusmodi aliis illationibus fallaciam conſequentis contineri, ex ſuperioribus evidentisſimè patet.

§. 7. Succedit VI. Fallacia *à non causâ ut causâ*, quæ vulgò ea eſſe definitur, quando *falſa alicujus rei cauſa adfertur pro verâ*, ut quando quis vinum in bonam rempublicam importandum non eſſe concludit, exinde, quia cauſa eſt ebrietatis, cum tamen ebrietatis vera cauſa non vinum ſit, ſed intemperantia hominum, ubi quia id, quod cauſa non eſt, tanquam cauſa allatum eſt, fallaciam hanc commisſam eſſe, vulgò asſerunt; at verò utut negari non poſſit, & ita peccari, quando falſa rei cauſa pro verâ adducitur, hîc tamen *ad cauſam rei aut Ariſtotelem reſpexiſſe aut reſpici etiam poſſe, minimè videtur*, quia dialectica cauſas rerum planè non cognoſcit, ut ex *ſup. pag. 79.* conſtat, ac propterea inter veram & falſam rei cauſam diſcernere nequit: hîc quoqve non de omnibus fallaciis aut ſophiſmatibus agitur, uti ex *ſup. pag. 556. & ſeqq.* patet, ſed de iis tantùm, quæ ad Dialecticam pertinent, Dialecticæ verò collectiones in eo ab analyticis & demonſtrativis differunt, quod *nunquam ipſius rei, ſed concluſionis tantùm cauſam* comprehendant. conf. *Piccart. in Phil. Alt. p. 98.* Rectius itaqve ab aliis fallacia hæc com-

committi dicitur, *non quando falsa alicujus rei sed quando falsa alicujus conclusionis causa pro verâ adfertur*, vel quando *Sophista absurdum aut falsum aliquod ex meâ sententiâ aut propositione infert ac sequi dicit, cum tamen istud non ex meâ propositione sequatur, sed ex eâ, quam ipse addidit aut interposuit*, unde etiam hæc fallacia παρὰ τὸ προστιθέναι τι, id est, *fallacia propter aliquid superadditum*, *lib. Soph. Elench. c. 29.* & *lib. 2. Prior. c. 17.* μὴ παρὰ τοῦτο, id est, fallacia *non propter hoc*, vocatur, quia absurdum, non propter hoc, quod ego dixi, aut propter meam propositionem sequitur, sed propter id, quod additum est à Sophistâ: quod in syllogismis *ad incommodum ducentibus* accidit, de quibus, quid sint, quomodo iisdem dialecticus uti debeat & non debeat, ex *sup. p. 466. 467. 468. & 481.* patet. V. c. sit hæc respondentis sententia aut propositio, cœlum esse solidum, hanc ut confutet vel confutare saltem videatur Sophista, accipit ipsam tanquam præmissam aliquam, prout in Syllogismis ad impossibile ducentibus fieri *ll. cc.* dictum est, & cum eâ jungit aliam, nempe, Nullum solidum est pellucidum, atqve inde hoc modo colligit, Nullum solidum est pellucidum, cœlum est solidum, ergò cœlum non est pellucidum, quæ conclusio cum sit apertè falsa & absurda, pergit Sophista & dicit, eapropter etiam propositionem, ex quâ sequitur falsa & absurda hæc conclusio, æquè absurdam esse oportere, ac proinde cum sequatur ex hac re-

ſpondentis propoſitione, Cœlum eſt ſolidum, falſam eam & abſurdam eſſe infert: quo ipſo hanc fallaciam evidenter committit, cum inter præmiſſas, ex quibus falſam & abſurdam concluſionem elicit, aliam quandam interponat, nempe hanc, nullum ſolidum eſt pellucidum, quæ ſola, minimè autem reſpondentis propoſitio, cauſa eſt falſæ hujus illatæ concluſionis, ſecus quàm ipſe ſophiſta malitiosè pervertit, qui eam propoſitionem hujus falſæ concluſionis cauſam eſſe dicit, quæ reverà ejus cauſa non eſt. Pariter ſtatuat reſpondens vitam & animam idem eſſe, Sophiſta verò dicat, ex hac theſi ſequi ingens abſurdum, nempe, vivere nihil aliud eſſe, quàm naſci, aut vitam nihil aliud eſſe, quàm ortum aut generationem, quod abſurdum eſſe inde patet, quia qui vivit, non naſcitur, ſed ante jam natus eſt; ſequi verò iſtud abſurdum, ita Sophiſta probet, omnis corruptio contrariatur alicui generationi, mors eſt corruptio, ergò mors contrariatur alicui generationi, nulli autem contrariatur niſi vitæ, ergò vita generatio erit, quod cum abſurdum ſit, inferat Sophiſta, etiam reſpondentis theſin, ex quâ hæc concluſio abſurda ſecuta ſit, abſurdam eſſe; hîc falſæ hujus concluſionis apertè talis adfertur cauſa, quæ ejus vera cauſa non eſt, non enim ſequitur ex poſitâ illâ reſpondentis propoſitione vel theſi, ſed ex iis propoſitionibus quas addidit ipſi Sophiſta: quò etiam pertinet, ſi quis ſtatuat, Deum omnia, etiam peccata, præſcire, Sophiſta autem abſurdum inde

ſequi probet, ita, quicunqve aliquid præſcit & non impedit, is illud approbat, Deus peccata præſcit & non impedit, ergò Deus peccata approbat, quod cum ſit abſurdum, dicat Sophiſta, etiam propoſitionem hanc, Deus peccata præſcit, eſſe abſurdam, quia ex eadem abſurda concluſio ſequatur, hîc enim iterum, falſa hujus concluſionis cauſa pro verâ adfertur, cum hæc concluſio non ex poſitâ ante propoſitione, ſed ex eâ, quam Sophiſta malitiosè addidit, ſequatur. Ita ſint theſes, ſtellæ moventur per orbes, piſces non reſpirant, monarchia eſt bona Reipubl. forma &c. Sophiſta ſequentia inferat abſurda, Quodcunqve movetur per orbes, motu ſuo ſonum reddit, ſed ſtellæ moventur per orbes, ergò motu ſuo ſonum reddunt, Quicquid non reſpirat, id neqve aquam per nares & os attrahit, piſces non reſpirant, ergò neqve aquam attrahunt, Quod bonum eſt, id apud omnes populos valet, monarchia bona eſt, ergò apud omnes valet &c. quæ concluſiones cum ſint abſurdæ, Sophiſta earundem cauſas eſſe dicat ante poſitas theſes & eapropter & ipſas tales eſſe concludat; ſed rurſus falſa harum concluſionum cauſa adfertur pro verâ, cum non ex theſibus, ſed propoſitionibus à Sophiſtâ additis ſequantur: quod autem concluſio aliqua falſa vel ex unâ propoſitione tantùm, vel ſaltem ex unâ propoſitione magis ſequatur, quàm ex alterâ, & quo modo ac cur id fiat, ex *ſup. pag. 500. & 501.* diſci poteſt.

§. 8. Tandem VII. ſupereſt Fallacia *plurium*

rium interrogationum; cum enim veteres interrogando vel per interrogationes diſputarent, ut ex *ſup. pag. 48. & 88.* conſtat, adeò ut propoſitio dialectica nihil aliud definiretur apud eos, quàm interrogatio vel quæſtio, *l. 1. Prior. c. 1.* inde uti olim frequenter accidebat, ita & hodienum contingit, ut Sophiſta aliquis *plures interrogationes ac propoſitiones proponat, tanquam una ſit interrogatio ac propoſitio*, atqve adeò *unam ac ſimplicem ad illas poſtulet reſponſionem*: quod ſi reſpondens non animadvertat, ſed unam interrogationem ac propoſitionem eſſe putet, unamqve ac ſimplicem reddat reſponſionem, in errorem incidet atqve hac fallaciâ deceptus erit. Ut autem plures interrogationes ac propoſitiones tanquam una aliqua proferantur, ac proinde, ut fallacia hæc committatur, fieri poteſt multipliciter, (1.) enim *aut de uno plura interrogantur*, v. c. annon Ethica conſideret actiones hominum tam civiles quàm ſolitarias? an Johannes Baptiſta ſit Propheta & Evangeliſta? an virtus moralis ſit in animâ rationali & appetitu ſenſitivo? &c. (2.) *aut unum interrogatur de pluribus*, v. c. an oratores & Tyranni rectè faciant, ſi ea faciunt, quæ optima eſſe ſibi videntur? an liberalitas & prodigalitas ſint laudandæ? an ſapientia & prudentia ſint habitus intellectûs practici? &c. (3.) *aut plura interrogantur de pluribus*, v. c. an leo & urſus ſint animalia robuſta & manſveta? an prodigalitas & avaritia ſint virtus & vitium? &c. in quibus omnibus ſi reſpondens ſatis

atten-

attentus non ſit, atqve unum de uno interrogari aut unam ſimplicem quæſtionem ac propoſitionem proponi putet, atqve adeò unam ſimplicem reddat reſponſionem, tum ſive affirmet quæſtionem, ſive neget, hac fallaciâ deceptus erit, ac ſemper ex ejus reſponſione falſum aliquod conſequetur, ut ex propoſitis exemplis patet, v. c. ſi ad primam quæſtionem reſpondeat affirmando, deceptus jam erit, quia in Ethicâ conſiderari actiones ſolitarias falſum eſt, ſi negando reſpondeat, iterum falſum aliquod conſequetur, nempe in Ethicâ actiones civiles non conſiderari, quod in reliquis adductis quæſtionibus pari modo ſeſe habet. Atq; in iis quidem, quæ hactenus adducta ſunt, exemplis hæc *fallacia evidens planè eſt* & ita comparata, ut eâdem vix aliquis decipi poſſit, cum perſpicuum ſit, in iis non unum de uno, id eſt, unam interrogari propoſitionem, plura enim in iis ſubjecta, aut plura prædicata *actu & explicitè* poſita ſunt, ut latere neminem facilè posſint; at verò ſæpius etiam *obſcurior eſt hæc fallacia*; ac inſidiæ magis latent, quando nempe duo ſubjecta aut duo prædicata *non actu & explicitè ſed ſolùm potentiâ* in quæſtione aut propoſitione aliquâ continentur, cujus duo apud *A. Gell. lib. 16. Noct. Att. c.* 2. exempla exſtant, v. c. deſiiſtine eſſe adulter, an non deſiiſti? & quicquid non perdidiſti, habes ne illud, annon habes? quas quæſtiones ſi quis ut ſimplices accipiat & ad aliquam earum, tanquam una ſit, unam ac ſimplicem reponat reſponſionem, jam

in captione hærebit: si enim affirmabit eas, Sophista ita inferet, qui adulter esse desiit, ille anteà adulter fuit, tu esse desiisti, ergò adulter fuisti, & quicquid non perdidisti, habes, cornua non perdidisti, ergò cornua habes, si verò negabit eas, Sophista in concludet, qui adulter esse non desiit, ille adhuc adulter est, tu non desiisti, ergò adhuc adulter es, & quicquid non perdidisti, id non habes, at oculos non perdidisti, ergò oculos non habes. Unde quocunqve etiam se vertat respondens, fallaciâ hac constrictus erit, quia ad propositiones istas tanquam simplices & unas, unam & simplicem dedit responsionem per ita & non, cum tamen utraqve earum non una & simplex sit, sed virtute multiplex, aut potentiâ & tectè plures quàm unam propositionem comprehendat; v. c. prior interrogatio duas & primò quidem hanc complectitur propositionem, tu adulter es aut fuisti, deinde istam, esse adulter desiisti vel non desiisti, posterior autem primò comprehendit hanc, hoc vel istud v. c. cornua, oculos &c. habes aut non habes, vel habuisti aut non habuisti, deinde istam, hoc aut istud, cum ante haberes, posteà amisisti atqve ita amplius non habes, &c. quas & similes interrogationes ac propositiones plures, quæ in ipso textu Arist. videri possunt, qui tanquam unam & simplicem & per unam simpliceмqve responsionem tractat, ille jam apud antiquos habitus est pro rudi & indocto, qui disputandi morem & rationem neutiquam didicisset, uti *A. Gell. l. c.* refert.

refert. Hæc itaqve de fallaciis extra dictionem occurrentibus sufficiant.

Cap. III.

DE AFFECTIONIBUS ET CONSEQUENTIBUS FALLACIARUM VEL SOPHISTICORUM ELENCHORUM, UT ET ALIIS QUIBUSDAM HUC SPECTANTIBUS.

§.I. ANtequam hinc abeamus, aliqua nobis ad id, ut doctrinam de Sophisticis Elenchis plenius intelligamus, sunt annotanda. Scilicet I. fieri aliquando potest, ut *unus idemq; Elenchus vel una eademq; argumentatio ad plures fallacias aut deceptiones rectè reducatur, vel diversa captionum genera contineat*, id quod de fallaciâ ignorationis Elenchi ipse Aristoteles expressè docet, eamqve ad aliquam earum fallaciarum, quæ in dictione consistunt, referri posse dicit, *lib. Soph. Elench. c. 5.* itemqve manifestum hoc est, *ex sup. p. 607. & seq.* ubi contra has theses, Marcellus cepit Syracusas, & Anchises à filio Æneâ sublatus est, allatos elenchos hosce, Marcellus alio vixit tempore, quàm quô captæ sunt Syracusæ, ergo eas non cepit, ut & Anchises ab Æneâ non est interfectus, ergo ab eodem sublatus dici non potest, &c. reduximus ad fallaciam ignorationis Elenchi, propter rationem ibid. dictam, cùm tamen certum

ſit, vitium & ignorationem hanc ex æquivocatione oriri, nomen *Marcellus* enim æquivocè ſignificat & eum, qui tempore ſecundi belli Punici vixit, de quo theſis loquitur, & eũ, qui tempore Ciceronis vixit, de quo concluſio Elenchi loquitur, vox *ſublatus* quoq; æquivocè ſignificat & eum, qui in altum tollitur & humeris fertur, quo ſenſu in theſi ſumitur, & eũ, qui occiditur, quo ſenſu hanc vocem concluſio Elenchi accipit: ex quibus & pluribus *l.c.* ſequentibus exemplis evidens eſt, unum eundemqve Elenchum ad plures ſæpè fallacias referri optimè poſſe. Pariter tales elenchos, in quibus, altera propoſitionum cum excluſione accipitur, altera ſine eâdem, prout illi diverſimodè conſiderantur, ſuprà modò reduximus ad fallaciam Figuræ dictionis, ut ex *pag. 589.* patet, modò ad fallaciam conſequentis, ut ex *pag. 624.* conſtat; ut & tales ſyllogiſmi, hic homo eſt dialecticus, hic homo eſt malus, ergò eſt malus dialecticus, hic canis eſt pater, hic canis eſt tuus, ergò eſt tuus pater, commodè referri poſſunt, & ad fallaciam compoſitionis, ut ex *ſup. pag. 575.* intelligitur, & ad fallaciam accidentis, ut ex *ſup. pag. 593.* apparet: id quod vel infinitis aliis exemplis declarari poſſet, niſi ex iis, quæ adducta ſunt, res ſatis evidens esſet. II. Cum varia deceptionum genera hactenus enumerata ſint, illud adhuc omisſum eſſe videtur, quando Syllogiſmus aliquis ideò decipit ac alteri imponit, quia *quatuor conſtat terminis, cum tribus tantùm conſtare deberet,* ut expreſsè

presſè *lib. 1. Prior. c. 25.* docetur; de quo non immeritò hîc quæri poteſt, ad quamnam fallaciam ſit reducendus, aut in quonam decipiendi genere locum habeat? cui dubio ut ſatisfiat, ante omnia notandum eſt, vitium hoc, quo argumentatio quatuor laborat terminis, non tam ad Dialecticam, de quâ hoc loco agimus, ſed potius ad Analyticam conſiderationem pertinere, & eapropter jure meritoqve hîc omitti potuiſſe, cum præprimis ipſe etiam Ariſt. nullibi in Dialecticâ de eodem vel verbulo egerit, neqve accurata hujusmodi definitionis ſyllogiſmi cognitio ad Dialecticum requiratur, ut *ex ſup. pag. 48.* conſtat, neqve de omnibus elenchis aut omnibus eorum vitiis hìc tractetur, ſed quibusdam modò, quæ Sophiſtis abſolutè dictis familiaria ſunt, uti *ex ſup. pag. 556.* patet: ſicuti nec illa ſyllogiſmorum vitia, quando vel minor negans eſt in primâ figurâ, vel major particularis, vel utraqve affirmans in ſecundâ figurâ &c. à Dialectico diſcutiuntur, ſed tantum ad Analyticum ſpectant. Si tamen aliquis nihilominus geſtiat ſyllogiſmos quatuor terminis laborantes ad fallacias revocare, obſervandum eſt, quodammodo quidem & aliquâ ſaltem ratione vitium hoc in pluribus fallaciis locum habere, ut v. c. in fallaciâ æquivocationis, figuræ dictionis, proſodiæ, à dicto ſecundùm quid & ſimpliciter &c. in quibus omnibus unum vocabulum ſtat pro duobus ratione rei, atqve ita quadantenus duorum terminorum vicem præſtat, ut ex exemplis ſuo loco

poſitis.

positis constat; at verò cum propriè & simpliciter iste tantùm syllogismus quatuor continere terminos dicatur, in quo secundùm verba & significata quatuor occurrunt termini, ut vocibus etiam numerari possint, ut in his fit, bis quatuor sunt octo, bis duo sunt quatuor, ergò bis duo sunt octo, Quando nullus fit in nube sonus, non tonat, atqvi jam tonat, ergò jam nullus fit in nube sonus &c. inde hujusmodi Syllogismi quatuor terminis expressè secundùm voces positis laborantes, aut ad nullam pertinere videntur fallaciam, quia minus fallaces sunt, neqve speciem veri Syllogismi habent, ac proinde ad Sophisticè redarguendum minus accommodati sunt, aut ad fallaciam ignorationis Elenchi reduci debent, ad quam omnes Sophisticos Elenchos reduci posse mox dicemus, aut tandem ad fallaciam figuræ dictionis pertinebunt, quatenus ob similem loquendi modum decipiunt, ut quatuor termini non animadvertantur.

§. 2. Porrò III. Nulla in universum fallacia est, *quæ non ad fallaciam Ignorationis Elenchi reduci possit*, acceptâ voce Elenchi non secundùm aliquas solùm definitionis suæ partes, uti *supra pag. 605.* accipiebatur, sed secundùm omnia requisita, quæ ipsi competunt partim eatenus, quatenus Syllogismus est, partim quatenus cum contradictione est, quæ *cit. pag. 605.* sunt enumerata; ita enim Elenchus integram & Syllogismi & contradictionis definitionem complectitur; in qua-

rum

rum alterutram omnis fallacia impingit, sive ea in dictione sive extra dictionem consistat. Scilicet ut *lib. Soph. Elench. c. 6.* docetur, fallacia *æquivocationis, amphiboliæ, & figuræ dictionis* impingunt in eam Elenchi definitionis partem & conditionem, quâ *supra pag. cit. 605.* requirebatur, ut sit unius ejusdemqve rei; in tribus hisce fallaciis enim aut nomen quidem unum idemqve est, aut oratio est una eademqve, aut figura & terminatio dictionis est una eademqve, ipsa verò res per hæc significata non eadem est ac una sed multiplex & diversa, ut ex exemplis supra positis patet: fallacia *compositionis & divisionis, ut & accentûs vel prosodiæ verò* in definitionem Elenchi impingunt ideò, quia non habent unum idemqve nomen, quod itidem ad Elenchum l. c. requisitum est, neqve enim eadem est oratio conjuncta, quæ disjuncta, aut disjuncta, quæ conjuncta, neqve nomen idem est, nisi idem accentus, idem Spiritus, eadem quantitas & reliqua accidentia eadem serventur, uti omnia hæc iterum ex superioribus constant. Pariter ex fallaciis extra dictionem occurrentibus, ea quidem quæ *Accidentis* vocatur, ideò ad fallaciam Ignorationis Elenchi refertur, quia impingit in definitionem syllogismi, quæ pars est definitionis Elenchi; ad Syllogismum enim requiritur, ut ex positis conclusio sequatur necessariò, cùm è contrario in fallaciâ accidentis ex præmissis conclusio non sequatur necessariò, vel minimè firma aut necessaria

sit

sit consequentia, quæ alterum accidens alteri inesse concludit, quia utrumqve uni inest, aut unum accidens subjecto alicui inesse adfirmat, quia alterum illi inest, ut ex *pag. sup. 592. & seqq.* manifestum est: ea verò, quæ *à dicto secundùm quid & simpliciter* appellatur, ideò ad Ignorationem Elenchi reducitur, quia impingit in definitionem contradictionis, quæ pars est definitionis Elenchi, non enim verè contradicit, ut ad Elenchum requiritur, sed cum respondentis thesis intelligenda sit simpliciter, opponit hæc fallacia id, quod est secundum quid, aut contrà, si thesis secundum quid intelligenda est, opponit, quod est simpliciter tale, uti *ex sup. pag. 598. & seqq.* constat, quæ autem ut simpliciter & secundum quid tale differunt, verè sibi non contradicunt, sed contra septimam & sequentes contradictionis leges & requisita *supr. pag. 605.* posita peccant, quod exempla supra posita satis declarant. Apertissimè omnium verò huc spectat ea fallacia, quæ supra *in Specie fallacia Ignorationis Elenchi* dicta est, quæ ideò in specie hoc nomine nuncupatur & à reliquis fallaciis distingvitur, quia dantur fallaces quidam Elenchi, qui ad nullam ex reliquis enumeratis deceptionum Speciebus reduci possunt, & eapropter non nisi ad hanc referri debent, quæ eapropter generis nomine venit; non aliter ut aliàs quoqve sæpius genus & species eodem nomine dicuntur, ut in justitiâ, Republica, exhalatione & aliis hujusmodi vocabulis videre licet: quod autem elenchi quidam

ad

ad ſolam hanc fallaciam ſpectent, ad nullam verò aliam referri debeant, id ex exemplis *ſupra pag. 606. & ſeqq.* adductis intelligi poteſt. Rurſus quod fallacia *petitionis* τοῦ ἐν ἀρχῇ ad fallaciam Ignorationis Elenchi referri queat, inde colligitur, quia expreſsè impingit in ſextam Elenchi *ſupra pag. 605.* poſitam conditionem, aut in definitionem Syllogiſmi, quâ requiritur, ut id quod infertur, ſit aliud quid ab iis, quæ antè poſita aut ſumpta erant, cum in petitione τοῦ ἐν ἀρχῇ non aliud ex alio, ſed idem ex eodem inferatur ac probetur, uti *ſupr. pag. 613. & ſeqq.* diductum eſt: quam ob rem & fallacia *à non cauſâ ut cauſâ* huc referenda eſt, quia & ea in definitionem Syllogiſmi impingit, cum ad Syllogiſmum requiratur, ut concluſio ſequatur neceſſariò propter ea, quæ poſita ſunt, in hac fallaciâ autem concluſio non ſequatur propter propoſitionem poſitam aut conceſſam à reſpondente, ſed propter aliam, quæ ab interrogante vel à Sophiſtâ addita eſt, uti ex *ſup. pag. 627.* & exemplis ibi adductis conſtat. Deinde fallacia *conſequentis* ſequitur, quæ ideò ad fallaciam Ignorationis Elenchi reducitur, quia & ipſa in definitionem Syllogiſmi, quæ pars eſt definitionis Elenchi, peccat, ad Syllogiſmum enim requiritur, ut concluſio ex præmiſsis vel ante poſitis neceſſariò ſequatur, in hac autem fallaciâ concluſio ex præmiſſis non ſequitur neceſſario, ut ex *ſup. pag. 619. & ſeqq.* intelligitur; quod ulterius & inde pateſcit, quia fallacia accidentis huc ſpectat, ut

pag.

pag. praeced. 637. dictum eſt, fallacia conſequentis verò pars eſt fallaciæ accidentis, uti *ſupr. pag. 619.* aſſertum eſt: neqve aliud tandem de fallaciâ *plurium interrogationum* dici poterit, ſed & ipſa ad fallaciam Ignorationis Elenchi deducenda erit, quia pariter in definitionem ſyllogiſmi peccat, quod inde patet, quia in definitionem propoſitionis, quæ pars eſt definitionis Syllogiſmi, impingit, cum enim propoſitio ſit enunciatio unius de uno *lib. 1. Prior. c. 1. lib. 1. Poſt. c. 2. l. de interpret. c. 8.* &c. fallacia hæc non unum de uno, ſed vel multa de uno, vel unum de pluribus, vel plura de pluribus ſumit, ut *ſupr. pag. 630.* declaratum eſt. Atqve ita omnes quidem fallaciæ, tam in dictione quàm extra dictionem, ad unum commune caput, nempe ad fallaciam Ignorationis Elenchi reduci poſſunt, attamen *ut omnes eapropter ſub uno hoc communi capite tractentur atq; ita confundantur, è re & utilitate diſcentium non eſt*, cum quibus eâ de causâ diſtinctius agendum eſt, ſic enim rectius & melius explicari omnia poſſunt; non aliter ut Hippocrates, utut omnes morbos ad ulcera referri vel ulcerum nomine dici poſſe non ignoraverit, *libr. de fract. ſect. 6. Op. p. m. 772.* cum quo conferatur *lib. de locis in hom. & Galen. lib. de inæquali intemp. c. 6. cl. 3. Op. p. m. 89.* non tamen eapropter ſub unâ hac atqve confusâ ratione omnes morbos tractavit, ſed diſtinctè cum tyronibus agendum eſſe putavit, atqve eo fine ſæpisſimè morbos ac ulcera ſeparavit & utrumqve genus

ſeorſim

ſeorſim deſcripſit, ut vel ex infinitis locis conſtat. Conf. *quæ ſupr. pag. 109.* de diſtinctione Organorum εὐπορίας dicta ſunt.

§. 3. Rurſus IV. Ariſt. *lib. Soph. Elench. c. 7.* rationes ſophiſticorum Elenchorum vel *fontes deceptionum ſophiſticarum* aperit, & *cur quælibet fallaciarum ſupra dictarum decipiat*, edocet; quas captionum cauſas cum nos ſatis declaraverimus ſuprà in cujusvis fallaciæ explicatione, hic prolixè non repetimus, ſed breviter annotamus, *fallaciam æquivocationis & amphiboliæ* ideò decipere, quia diſtingvere neſcimus vocabula multipliciter dicta, aut orationis multiplicem poteſtatem & ſenſum: fallaciam *compoſitionis & diviſionis* verò inde producere errorem, quia nihil intereſſe, ſed perinde ſeſe habere putamus, ſive aliqua conjunctim ſive disjunctim accipiantur, cùm tamen hæc res non parùm habeat momenti. Fallaciâ *accentûs* porrò fallimur ideò, quia aut nusquam aut certè in plurimis nihil intereſſe putamus, utrum vocabulum aſpiratum ſit, annon ſit? utrum hæc ejus ſyllaba brevis ſit an longa, accentum habeat, annon habeat, aut reliqua etiam accidentia ſupra poſita ita an aliter conſtituta ſint? fallacia autem *figuræ dictionis* imponit propter ſimilitudinem vocis ac orationis, quam ſi quis non rectè diſcernit, ſed quia figura loquendi eadem eſt, eandem quoqve ſignificationem eſſe putat, falli eundem oportet. Deinde fallacia *accidentis* eâ de cauſâ decipit, quia non rectè diſcernimus

inter accidens & id cui accidit, ac illa eadem esse, atqve quod uni illorum competit, & alteri competere putamus, cum tamen nec eadem sint, nec semper quod attributo competit, subjecto quoqve tribui possit; in fallaciâ *consequentis* verò inde oritur deceptio, quando cum multa reciprocari videamus, ita se habere putamus in omnibus, ac sine discrimine ea etiam converti & vicissim sequi existimamus, quæ inter se converti aut reciprocari minimè possunt. Porrò fallaciâ *Ignorationis Elenchi* decipimur, quia ignoramus aliquam ex requisitis veræ contradictionis suprà positis; fallaciâ *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter* autem, quia ea, quæ ita dicuntur omninò & simpliciter, aut quadam ex parte, vel aliquo tantum tempore &c. tanquam res parùm inter se distantes, non satis accuratè distinguimus, sed perinde sese habere judicamus: neqve alia ratio est fallaciæ *petitionis* τȣ̃ ἐν ἀρχῇ, fallaciæ *à non causâ ut causâ*, ac tandem fallaciæ *plurium interrogationum*, in quibus omnibus erroris ac deceptionis causa est parvum aliquod & exiguum rerum discrimen non rectè observatum, quod qualenam sit, ex ipsarum fallaciarum suprà positâ descriptione & explicatione abunde patet.

§. 4. Notandum est V. hîc aliquot capitibus ab Arist. multa interseri, quæ, cum suprà de iis satis superqve actum jam sit, hoc loco brevitatis studio & datâ operâ sunt omissa; v. g. *cap. 8.* aliqua *Elenchorum ac Syllogismorum genera* recenset,

ſet, ac quoſdam dicit propriè Elenchos & Syllogiſmos non eſſe, quia concludere ac contradicere videntur, cum tamen verè nec concludant aliquid, nec contradicant, alios autem concludere quidem ac contradicere, at non ex iis, ex quibus concludendum erat, quorum illos in *formâ*, hos in *materiâ* peccare, non ineptè quis dixerit; quos poſteriores Ariſtoteles confert cum ſyllogiſmis *πειραστικοῖς* vel *tentativis*, quibus utimur ad ſcientiam aliorum explorandam, & ex conceſſis concludimus aliquid contra alterum, ut eundem ſuæ ignorantiæ admoneamus, eo fine, ut ſeſe corrigat ac emendet, quo ipſo hi ſyllogiſmi *à Sophiſticis Elenchis* differunt, cum ſophiſtæ gaudeant adverſarii ſui ignorantiâ, eumqve non liberare ab eâ aut emendare, ſed denſioribus potius involvere tenebris allaborent: quæ ſyllogiſmorum & Elenchorum genera ex *ſup. pag. 98. & ſeqq. ut & pag. 550. & ſeqq.* abunde intelligi posſunt. Sic & *cap. 9.* poſtquam docuit Elenchos, tam veros quàm apparentes aut falſos, in quavis diſciplinâ dari, non de quibusvis Elenchis aut fallaciis hoc loco agendum eſſe demonſtrat, ſed de aliquibus ſolum, iis nempe, quæ propriè ad Dialecticam pertinent; id quod *ſupra pag. 551. & p. 556. ac ſeqq.* adeò evidenter definitum eſt, ut hîc ne verbulo quidem opus eſſe videatur; ut & *cap. 10.* refellit philoſophus Veterum illam *fallaciarum diſtinctionem*, quâ alias *ad nomen*, alias verò *ad ſententiam* pertinere, illasqve eas eſſe, in quibus vocabula aliter

accipiuntur ab interrogante aliter à respondente, has verò, cum ab utroqve disputante accipiuntur in eadem significatione, dicebant, quam cum suâ distinctione in fallacias in dictione & extra dictionem consistentes, specie tenus quidem, at minimè verè convenire, sed differre ab eadem & planè vitiosam esse probat, quia malè pro uno eodemqve accipitur, pertinere ad nomen & consistere in dictione, cum plures fallaciæ in dictione consistant, ut ex superioribus constat, ad nomen vero eæ solùm pertineant, in quibus nomen in aliâ accipitur significatione ab interrogante, quàm concessum erat à respondente, quod fortè in solâ ferè fallaciâ æquivocationis tantùm contingit: quin imò Elenchi planè propterea, quia vel ad nomen vel ad sententiam pertinent, diversi dici non possunt, neqve hæc distinctio cernitur in ipsâ disputatione vel elenchis & fallaciis, sed potius in personis disputantibus ac fallentibus, cum una eademqve argumentatio aliis disputantibus sit ad nomen, qui vocabulum aliquod in diversâ accipiunt significatione, aliis ad sententiam, qui eodem modo vocabula accipiunt: quæ & alia plura contra hanc distinctionem argumenta, quæ facilè intelligi possunt, Arist. l. c. habet. Tandem *cap. 11.* confert inter sese *Dialecticum*, *Sophistam*, *Tentatorem*, *Contentiosum vel litigiosum*, *demonstratorem*, *Pseudographum*, *&c.* & quomodo syllogismi, quibus omnes hi utuntur, inter sese differant, prolixè declarat; de quibus omnibus hoc loco nec ver-

verbulum addimus, quia prolixè ſatis ſupra, quæ huc ſpectant, expoſuimus, ut ex *pag. 98. & ſeqq. itemq; pag. 550. & ſeqq. pag. 555. &c.* conſtat.

§. 5. Ut finem tandem faciamus, VI. unicum adhuc annotamus; nempe illi, qui fallacias hactenus traditas rectè cognitas habet, *planè inutilem eſſe operoſam illam & multis obſcuris terminis involutam Summuliſtarum & Scholaſticorum de ſuppoſitione, ut & ſtatu & ampliatione propoſitionum doctrinam*, cum nulla ex his hòrumqve confuſione oriatur fallacia, quæ non evidenter & apertè ad aliquam ex ſupra poſitis ſpeciebus reduci poſſit, ut inductione omnium fallacium Elenchorum manifeſtum eſt. V.c. ſit hic ſyllogiſmus, animal eſt triſyllabum, homo eſt animal, ergò eſt triſyllabum, dicunt vitium conſiſtere in eo, quod genera ſuppoſitionis ſint confuſa, in majori enim eſſe *ſuppoſitionem materialem*, quâ vox, animal, ſumitur pro ſe ipsâ, in minori autem eſſe *ſuppoſitionem formalem*, quâ vox, animal, ſumitur pro re ſignificatâ; pariter in hac collectione, animal eſt genus, homo eſt animal, ergo homo eſt genus, utut in utraqve præmiſſarum ſuppoſitio ſit formalis, hujus tamen ſpecies, nempe *ſuppoſitionem ſimplicem & perſonalem* confundi, atqve inde oriri vitium dicunt, in majori enim ſuppoſitione ſimplici vocèm, animal, accipi pro re immediate ſignificatâ, nempe pro univerſali illâ ſubſtantiâ, quæ primò hoc nomine ſignificatur, in minori

vero, ſuppoſitione perſonali eandem vocem ſumi pro re mediatè ſignificatâ, nempe pro ſpecie ſub iſto genere contentâ, quæ iſto nomine non primò ſed ſecundariò, non immediatè ſed mediatè ſignificatur: ſic & in hac argumentatione, omne animal eſt terreſtre aquatile & ἀμφωτερίζον, homo eſt animal, ergo homo eſt terreſtris aquatilis & ἀμφωτερίζων, deceptionem inde derivant, quia vox animal in majori ſupponitur *ſimpliciter ac proinde collectivè*, aut ſine diſtributione accipitur, in minori autem *perſonaliter & diſtributivè*. Atqve ita quidem Scholaſtici, ſi rem ipſam ſpectes, ſolutionibus ac reſponſionibus ſuis non planè quidem à ſcopo aberrant, at verò citra omnem neceſſitatem obſcuris & recens effictis ac à conſvetudine linguæ prorſus alienis terminis, rem aliàs ſatis claram & perſpicuam involvunt ac obſcuram reddunt, quod *ſupra p. 152. & 459.* reprehenſum eſt; cum longè rectius & melius ſolvi tales ſyllogiſmi per doctrinam de fallaciis ante poſitam posſint, quippe ad quas evidentisſimè ſpectant, uti ex proximè allatis ſyllogiſmis patet, qui *ſupra pag. 595. & 597.* ad fallaciam Accidentis relati ſunt: quanquàm poſtremus etiam ad fallaciam diviſionis referri poſſit, uti ex ſimilibus collectionibus intelligere licet, quæ *ſup. pag. 577.* continentur. Porrò hunc ſyllogiſmum, Qui ſurgit, ille ſtat, ſed ſedens ſurgit, ergò ſedens ſtat, ideò vitioſum eſſe dicunt, quia minor ſumitur *ſecundum ampliationem*, uti loqvuntur, hoc eſt, ita, ut ſubjectum, nempe ſedens,

dens,

dens, non præcisè accipiatur ſecundùm iſtud tempus, quod in copulâ vel verbo, nempe ſurgit, continetur, ſcilicet ſecundùm tempus præſens, ſed in ſenſu ampliori & ſecundùm tempus præteritum pro eo, qui anteà ſedens fuit, concluſio verò accipitur *ſecundùm ſtatum*, id eſt, ita, ut ſubjectum, nempe ſedens, præcisè ſecundùm tempus in copulâ & verbo, ſtat, ſignificatum, ſcilicet ſecundùm præſens intelligatur; at verò iterum ſine hujusmodi incultis vocabulis, longè rectius & melius talis ſyllogiſmus reſolvi ex doctrinâ ſuprà poſitâ & vel ad fallaciam æquivocationis referri poteſt, ut ex *pag. 566.* patet, vel ad fallaciam compoſitionis, ut ex *pag. 574. & 575.* conſtat: ex quibus & aliis patet, eum qui doctrinam de fallaciis rectè imbibit, ad reſolvendos ſyllogiſmos, inſolenti hoc ſcholaſticorum reſpondendi modo ac ſordidis illorum terminis minimè opus habere, niſi adhuc frugibus inventis, glande tamen veſci, aut in copiâ bonæ calcis, luto tamen compingere parietes ineptè malit. Atqve hæc de primo Sophiſtarum Scopo, nempe de Elencho Sophiſtico & iis, quæ ad eum pertinent, dixisſe ſufficiat.

CAP. IV.

DE RELIQUIS QUATUOR SOPHISTARUM SCOPIS, UT ET DE MODO DISPUTANDI SOPHISTICO, VEL DE DISPOSITIONE INTERROGATIONUM SOPHISTICARUM.

§. 1.

SEcundus Sophistarum ſcopus eſt *falſum*, tertius autem παράδοξον, ſeu *quod præter hominum opinionem eſt*, ad quorum alterutrum ſophiſta adverſarium ſuum deducere ſtudet, uti ex *ſup. pag. 562. & 563.* patet; de quibus ſcopis Ariſt. *lib. Soph. Elench. c. 12.* conjunctim tractat, & primò quidem, *communes utriusq; locos* tradit, quibus ſophiſtæ uti ſolent, deinde verò & *proprios locos* addit, quibus tantùm ad falſum, aut tantùm ad παράδοξον impelli adverſarius poſſit: qui loci in Ariſt. hoc ordine ſeqvuntur. Scilicet I. Loci utriqve huic Scopo *communes*, quibus ſophiſtæ tam ad falſum, quàm ad παράδοξον deducere adverſarium posſunt, hi ſunt. (1.) *à modo interrogandi.* Sophiſta enim certo modo, id eſt, ut apud Alexandrum exponitur, occultè

cultè & *nullâ certâ re propoſitâ* interrogat, ſed *vagè & temerè ſine ordine* quærit, non aliter ut illi, qui facinoroſos ac mendaces examinant, confundere omnia ſolent, quaſi nihil certi propoſitum habeant; cum enim aliquis nihil certi propoſitum eſſe videt, tum minus cogitare aut curare ſolet, quid reſpondeat, minusqve ſibi cavet, ac proinde ſui oblitus facilè à callido Sophiſtâ aut ad falſum aut ad paradoxum impelli poteſt. (2.) *à multitudine interrogationum.* Quando autem propoſitum, de quo diſputatur, certum jam eſt & conſtitutum, operam dat Sophiſta, *ut alterum multitudine propoſitionum obruat*, & eo fine, ut ſingulis iis reſpondeat, petit, ita enim vel citius traducetur diſputatio eò, ubi major argumentorum copia ſophiſtæ ſuppetit, vel etiam reſpondens in tantâ interrogatorum multitudine confunditur & eorum, quæ antè poſuerat, obliviſcitur ac propterea facillimè aut falſum aliquod, aut paradoxum incurrit: quanquam de ſui temporis diſputationibus jam referat Ariſt. in hoc loco parùm præſidii ſophiſtis fuiſſe, ſtatim enim reſpondentes huic calliditati obviam iviſſe, ac quorſum multa iſta interrogata ſpectarent, aut quomodo ad rem & præſentem controverſiam facerent, quæſiviſſe, quod & in hodiernis noſtris diſputationibus fieri videmus. (3.) *à ſimulato diſcendi ſtudio.* Diſſimulat Sophiſta ſuam fallendi intentionem, & ne reſpondens putet, ſibi acriter contradici aut ſeſe tentari, omnia ſua interrogata ita proponit,

quasi discendi tantùm animum habeat; ita enim fit, ut respondens facilius, quod sophista cupit, concedat, minusqve sibi caveat ac proinde ad asserendum aliquod falsum aut paradoxum abripiatur.

§. 2. Atqve hi sunt loci generales, quibus tam falsum quàm paradoxum ostendere sophistæ solent, quos seqvuntur proprii cujusqve loci, & quidem II. de *falso* unicus traditur locus *à translatione disputationis*. Scilicet Sophista à controversiâ & re propositâ, in quâ ipse minus exercitatus est, *callidè digreditur*, *eamq; devolvit ac totam disputationem transfert eò*, ubi major suppetit argumentorum vis & copia, respondens verò minus instructus est, tum enim respondens in iis, quæ non satis intelligit, facilè labi ac ad falsum aliquod deduci poterit; ut autem disputatio aliò transferatur, aliquando necessarium est & rectè se habet, aliquando necessarium non est, sed cum vitio & dolo conjunctum, ut ex *lib. 2. Top. c. 5.* & exemplis *supr. pag. 167. & seqq.* positis constat. III. Tandem de *deductione ad paradoxum vel id, quod dissentaneum est opinionibus hominum*, proprios locos Arist. sequentes tradit. (1.) *à sectarum varietate*. Cum nulla secta philosophorum sit, quæ non tueatur aliquid, quod sit contra opinionem reliquorum omnium, inde Sophista diligenter attendit, cujusnam sectæ addictus sit is, cum quo disputat, an nempe sit Aristotelicus, an Platonicus? &c. atqve tum *ex ipso quærit aliquid eorum, quæ ab istâ sectâ contra omnium opinionem*

nem dicuntur, v. c. à Platonico, mulieres debere esse communes, ab Aristotelico, mundum esse æternum &c. quod diffiteri respondens non poterit, nisi planè præceptorem & sectam suam deserere, aliudqve vitæ institutum inire velit: quod stratagema Sophistarum tamen facilè respondentes ita elidere possunt, si sententiam istam paradoxam ex suâ thesi aut datâ responsione minimè sequi, neq; ad præsens pertinere, sed aliò spectare dicant. (2.) *ab hominum voluntate & sermonibus.* Cum in iis, quæ sub praxin & actionem cadunt, utplurimum homines aliter loquantur, aliter verò sentiant & faciant, ut nihil magis repugnet, quàm hominum dicta & facta, quorum illa præclara sunt, hæc autem maximè vituperanda; ita omnes ferè dicunt, bonum publicum esse præferendum privato, injuriam pati esse melius quàm inferre, &c. at plurimi contrarium agunt, ac in universum omnes honesta dicunt, sed utilia volunt & faciunt, *lib. 8. Ethic. c. 15.* inde ut Sophista adversarium ad paradoxum deducat, *facta hæc & dicta inter se comparat*, & dicta ex factis, facta verò ex dictis confutat, aut si respondens id defendit, quod omnes appetunt & volunt aut faciunt, Sophista opponit communes ac vulgatas hominum orationes & dicta, contra verò si defendit hæc dicta, opponit communes hominum voluntates, atqve ita semper paradoxum elicit, cum thesis semper aut hominum voluntati aut vulgato sermoni contradicat. (3.) *à natura & lege.* Cum lex positiva sæpius

pius pugnare cum naturâ, si ea præprimis ex animalibus in genere sumptis æstimetur, videatur, uti *Myrrha* etiam apud *Ovid. l. 10. Metamorph.* queritur his verbis: —*humana malignas cura dedit leges, & quod natura remittit, invida jura negant*, inde quando respondens tuetur id, quod naturæ congruit, *Sophista opponit legem ab omnibus receptam*, quando autem legi consentanea defendit, *opponit, repugnare naturam;* quod *Calliclem in Platonis Gorgiâ* fecisse Arist. dicit, qui legem ibi ignavorum hominum inventum esse ait, contrariamqve naturæ, quam ex indole brutorum dijudicandam esse putat; naturam enim animalia alia robusta, alia verò timida & imbecilla produxisse, nec ullâ lege eadem uti voluisse, sed ut solâ naturâ duce robustiora magis imbecilla raperent ac devovarent, homines verò ob ignaviam, cum aliorum vim metuerent, leges condidisse: in universum autem id vocabant *naturam*, quod in qualibet re verum & rectum est, *legem verò*, quod ab instituto & opinione multitudinis cujusdam profectum est. Conf. *l. 1. Eth. c. 1.* (4.) *à propositionum ac interrogationum varietate.* Ad inferendum paradoxum, utut non omnes propositiones, *aliquæ tamen quam maximè idoneæ sunt, ad quas, quomodocunq; etiam respondeatur, paradoxum sequitur;* v. c. an parentibus sit obediendum, an verò sapientibus? an pater sit honorandus, an verò mater? an honesta sint facienda, an verò utilia? &c. ad quas sive quis affirmando

do ſive negando reſpondeat, ſemper ad paradoxum deveniet, ipſaqve reſponſio hominum opinionibus repugnabit, ſive dicat, ſapientibus eſſe obediendum, non parentibus, ſive dicat, parentibus obediendum eſſe, non Sapientibus &c. quamobrem in hujusmodi propoſitionibus ſeſe exercet, earumqve copiam ſibi comparat Sophiſta, ut reſpondentem poſteà ad paradoxum deducere poſſit. (5.) *à diverſis Sapientum ac vulgi opinionibus*. Rurſus cum plerumqve ſapientes & vulgus opinionibus inter ſe disſideant, docti enim & ſapientes v.g ſtatuunt, eum eſſe beatum, qui ſecundum virtutem operatur, vulgus autem eum felicem eſſe judicat, qui divitiis abundat aut in honore & dignitate conſtitutus eſt, quamvis vitioſus ſit & improbus &c. inde quando theſis ſequitur opinionem ſapientum, *Sophiſta opponit autoritatem vulgi & multitudinis*, & contra quando theſis ſequitur opinionem vulgi, *opponit ſophiſta autoritatem ſapientum*, atqve ita cum utrumqve ſit παράδοξον & quod ſapientibus diſplicet & quod opinioni multitudinis adverſum eſt, ut ex *ſup. pag. 93. & ſeqq.* patet, quicquid etiam dixerit reſpondens, ad paradoxum aliquod à Sophiſtâ deductus erit: quem locum Ariſt. coincidere docet cum ſuperiori tertio, qui *à naturâ & lege* deſumptus erat, quia *lex* nihil aliud eſt, quam multitudinis in aliquâ re conſentientis opinio, ſapientes verò ſententiis ſuis ſemper *naturam* ſeqvuntur, ut id ſolùm naturâ tale ſit, quod ſapientibus

tibus tale esse videtur, quanquam sapientes naturam non præcisè & solùm ex indole animalium brutorum æstiment, ut supra Callicles faciebat, sed potius ex iis, quæ in quovis genere optimè se habent, dijudicent. Conf. *l. 1. Polit. c. 5.* Atqve hæc sunt præcepta de secundo & tertio Sophistarum Scopo, nempe de falso & paradoxo, quibus convenientia & accommodata exempla partim ex *locis lib. 2. Topic.* partim ex *supr. pag. 442. & seqq.* quilibet huc transferre facilè poterit.

§. 3. Quartus eorundem scopus est *nugatio* vel eò deducere adversarium, *ut nugetur, vel nugari saltem videatur*, id est, ut idem de eodem inutiliter bis dicat & repetat, atqve adeò tavtologiam committat, vel saltem facere id videatur, ut ex *sup. pag. 563.* constat; de quo Arist. *l. Soph. Elench. c. 13.* agit & docet, ad id, ut concludi nugatio possit, assumi ac postulari à Sophistâ hanc hypothesin, *nihil referre, utrum quis nomen alicujus rei sumat, an ejus definitionem*, unum idemqve enim esse, quod utroqve significatur, quam hypothesin si respondens indifferenter & sine discrimine concedit, ad nugationem & tavtologiam deduci facilè potest, sine concessione hujus hypotheseos verò Sophista hunc suum Scopum attingere minimè valet. Sunt autem duo modi, quibus ad nugationem deducere respondentem & adversarium suum sophista solet (1.) in *relatis* sive ea per se talia sint, sive ratione generum suorum, de quibus *supr. pag. 377. ex l. 6. Top. c. 8.* dictum

est,

eſt; *ſi enim reſpondens in theſi jungit relatum cum correlato ſuo, tum Sophiſta loco relati ſumit definitionem ejus, quæ genus atq; correlatum comprehendit, atqve tunc denuo correlatum in theſi poſitum addit*, & tavtologiam à reſpondente commiſſam eſſe infert, v. c. ſi reſpondens hanc poſuit theſin, omnis concupiſcentia eſt jucundi, ſophiſta quærit, annon concupiſcentia ſit appetitus jucundi, quam concupiſcentiæ definitionem, ubi ea conceſſa eſt, ſumit ac loco relati & vocis in theſi poſitæ, nempe loco concupiſcentiæ ponit, atqve ita reſpondentem nugatum eſſe vel eandem vocem inutiliter repetiiſſe infert, cum idem ſit dicere, quod concupiſcentia ſit jucundi, & quod appetitus jucundi ſit jucundi, vel quod concupiſcentia ſit appetitus jucundi jucundi, appetitus jucundi enim eſt definitio concupiſcentiæ ac proinde idem cum eâ ſignificat, ipſaqve vox jucundi inutiliter in theſi bis ponitur, ſemel explicitè, & iterum implicitè in voce concupiſcentiæ, in cujus definitione continetur. (2.) Pari ratione ſi reſpondens non quidem relatum aliquod, ſed *vel habitum, vel paſſionem & affectionem, aut aliud tale, quod ſubjectum, cui ineſt, in ſuam recipit definitionem, cum ipſo illo proprio ſubjecto jungit*, tum iterum Sophiſta, loco affectionis iſtius ſumit definitionem ejus, quæ ipſum ſubjectum comprehendit, atqve ita idem in theſi bis dictum eſſe, concludit; v. c. ſi reſpondens in theſi dicit, numerum eſſe imparem, ſophiſta ſumit definitionem im-

imparis, quæ eſt numerus medium habens, ac inde nugari infert reſpondentem in theſi, cum idem ſit, ac ſi dicat, numerum eſſe numerum medium habentem: perinde enim eſſe, utrum nomen rei ponatur, an ejus definitio, quâ ſolâ hypotheſi omnes hæ Sophiſtarum ſtrophæ nituntur.

§. 4. Tandem quintus & ultimus Sophiſtarum Scopus eſt *Solœciſmus*, vel eò deducere reſpondentem aut adverſarium, *ut ſolœciſmum aut verè committat, aut ſaltem committere videatur*, qui quid ſit, *ſupr. ex pag. 563.* patet, quomodo autem ad eundem Sophiſta deducat, Ariſt. *l. Soph. Elench. c. 14.* docet, & ab initio ſtatim annotat, fieri quidem aliquando poſſe, *ut quis verè ſolœciſmum committat*, & in leges puri ſermonis aut ex ignorantiâ aut etiam ex præcipitantiâ lingvæ impingat, uti Cicero exagitat Antonium, qui contra communem loquendi conſvetudinem dixerat, facere contumeliam, pro pati contumeliam, quemadmodum aliàs facere naufragium pro pati naufragium, dici ſolet: aliquando autem *reſpondens ſolœciſmum verè non committit, ſed committere tantùm videtur*, quando nempe Sophiſta per ſuas fraudes & ſophiſticas collectiones Solœciſmum ipſi affingit aut extorquere allaborat. Utitur verò Sophiſta ad hunc ſuum Scopum obtinendum (1.) *articulo, vel pronomine* neutro *hoc*, v. g. quærit ex reſpondente, quid eſt hoc? & ubi ille reſpondit, eſt ſella, eſt liber, ſtatim infert, ergò ſella eſt hoc, liber eſt hoc, quod ſolœciſmus eſt & in regu-

las grammaticas impingit, ſella enim fœmininum eſt, liber maſculinum, hoc autem neutrum eſt & proinde ſecundùm primam regulam ſyntaxeos conſtrui & componi cum illis non poteſt. (2.) Caſibus quoqve ludit Sophiſta, v. c. ex reſpondente quærit, annon quod tu eſſe dicis, id eſt, quod quando affirmavit reſpondens, pergit, atqvi lapidem eſſe dicis, ergò lapidem eſt, quæ locutio iterum in regulas grammaticas impingit & ſolœciſmum continet, quem Sophiſta reſpondenti affingit. Videtur autem hæc Sophiſtarum cavillatio *non abſimilis eſſe fallaciæ figuræ dictionis ſupra pag. 583. & ſeqq.* deſcriptæ; uti enim ibi disſimilia accipiebantur pro ſimilibus, ut docere & valere, ita & hîc diſſimilia accipiuntur pro ſimilibus, ut hoc & hunc, niſi quod ibi disſimilitudo ſit in rebus, hîc verò in vocabulis, cum ſolœciſmus non niſi in vocabulis conſiſtat.

§. 5. Poſtquam itaqve hactenus Ariſt. Sophiſtarum Scopos ac Sophiſticarum argumentationum genera & modos, ut & locos, ex quibus deſumuntur, ſatis edocuit, nunc *lib. Soph. Elench. c. 15.* de formâ diſputationum Sophiſticarum, & *quo ordine, quave diſpoſitione Sophiſtæ ſuas interrogationes proponere, ut & occultare ſoleant,* tractat, eâdem prorſus methodo, quâ ſupra prius de materiâ diſputationum dialecticarum, poſteà de forma earundem egit. Vid. *l. 8. Top. c. 1. & ſupr. pag. 437.* Præcepta autem diſpoſitionis & occultationis Sophiſticæ hæc ſunt (1.) *prolixitati*

Tt *ora-*

orationis ſtudet ſophiſta & multa garrit, ut in iſtâ interrogatarum propoſitionum multitudine videre non poſſit reſpondens, quid reſpondendum ſit, aut quæ argumentorum vis exiſtat: quomodo autem prolixa reddenda aut amplificanda ſit diſputatio, id ex *ſup. pag. 453.* jam conſtat. (2.) *Celeriter loquitur Sophiſta*, ut minus ſpatii ad cogitandum relinquat adverſario ſuo, qui ſæpè quid ille dixerit, ignorabit, neqve feſtinantem Sophiſtam, ſi præſertim tardioris fuerit ingenii, ſequi aut ſingula animadvertere poterit, ac propterea deinde in reſpondendo hærebit. (3.) Operam dat Sophiſta, *ut adverſarium ſuum ad iram provocare poſſit*, qui enim irâ perturbati ſunt, minus cauti ſunt, neqve quid verum aut falſum ſit, videre valent, non aliter ut ii, quibus vapor aliquis oculos obnubilat, cernere non poſſunt, quæ ante pedes poſita ſunt; *iram verò ut concitare in reſpondente ſophiſta queat*, apertè ac abjecto omni pudore calumniatur, ſeqve reſpondentis adverſarium eſſe, palam profitetur, ut & contumelioſis ac ſcopticis verbis reſpondentem impudenter exagitat, præterea quoqve geſtibus ſuis contemptum quendam præ ſe fert, & vel ſemper ridet, vel ad quodlibet reſpondentis verbum naſum criſpat, vel inter diſputandum aliud agit, aut legit, aut capillos ornat, &c. quaſi quæ à reſpondente dicuntur, nullam attentionem mereantur, vel tandem reſpondentem ad quodlibet verbum interpellat, ejus reſponſionem audire recuſat, aut

etiam

etiam absqve verecundiâ, quicquid vitiorum respondenti inesse privatim novit, publicè ipsi exprobrat ac omnibus in auditorio aperit & indicat, &c: his omnibus enim facile aliquem ad iram provocari posse, nemo nisi ignavus & stupidus ignorabit. (4.) Sophista *nullum servat ordinem, sed perturbatè quærit, & quidem uno tempore ac simul multa interrogat* ac respondenti plura simul cogitanda objicit; ita enim respondens ad omnia æqve benè aut accuratè respondere non poterit, juxta vulgatum illud: pluribus intentus minor est ad singula sensus. (5.) In utramqve quæstionis & propositæ controversiæ partem disserere solet sophista, vel ita se gerere, *ut saltem videatur in utramq; partem argumentis instructus esse*; ita enim respondens putabit, cum exercitato aliquo disputatore sibi rem esse, ac propterea metum animo suo concipiet, qui metus posteà & judicio & lingvæ omnem adimet promptitudinem ac Sophistæ victoriam facilè concedet. (6.) In universum observari à Sophistâ dicit Arist. *omnes eos occultandi locos*, quos *supr. pag. 442. & seqq.* exposuimus; utut enim illi & à Dialectico adhibeantur, nihilominus tamen nec sophistis infrequentes sunt, *vid. pag. sup. 440.* & ad fallendum multùm valent, cum omne id, quod ad occultandum valet, etiam valeat ad fallendum, neqve alio aliquo fine quis latere velit, nisi ut fallat. (7.) Quoniam sæpè ut Dialectico sic quoqve Sophistæ res est *cum morosis & proter-*

vis, qui nihil eorum, quæ ad rem faciunt & maximè concedenda ſunt, concedere volunt, inde Sophiſta adverſus hujusmodi homines ita diſputat, ut *non directè ad id, quod vult, ſed obliquè argumenta ſua dirigat, eoq; ſine non id, quod concedi ſibi vult, petit, ſed vel ejus contrarium, vel totam ſimul contradictionem proponit*, v. c. ſi obtinere vult hanc propoſitionem, verecundia eſt laudabilis, non eam ipſam quærit, ſed potius contrariam ejus, nempe nulla verecundia eſt laudabilis, proponit, aut ſaltem integram contradictionem interrogat, eſtne verecundia laudabilis, nec ne? ita enim reſpondens dolum ſubolfacere non facilè poterit, ſed putabit, ſophiſtam interrogatâ iſtâ contrariâ propoſitione uti velle, aut ſaltem ignorabit, quamnam contradictionis partem concedi ſibi ille velit, atqve ita facilius Sophiſtæ aliquid concedet: plerumqve enim quando moroſi hujusmodi homines non vident, quid alter concedi velit, faciliores eſſe ſolent, ubi autem alterum hanc præcisè propoſitionem petere animadvertunt, tum declinant ab eâ, & ne convinci eâdem poſſint, omnibus modis eam pernegant & totam diſputationem aut difficilem aut planè inutilem reddunt. (8.) Quando Sophiſta *inductionem* reſpondenti oppoſiturus eſt, tum ſi reſpondens aliqua ipſi ex genere quodam conceſſit ſingularia, *audacter ille totum genus & univerſale ſumit*, neqve quærit amplius, an ita in toto genere ſe habeat, prout in aliquibus ſingularibus ſeſe habere

bere concessum est, sed ita se habere infert & concludit tanquam rem ex concessis jam evidentem & certam; ita enim verebitur respondens negare universale istud, quod se in quibusdam illis singularibus jam concessisse putat, ipsi quoqve auditores inductionis paulò antè adductæ recordabuntur atq; universale ex eâ deductum malè negari existimabunt; ubi autem universale istud, quod Sophista infert, nomine caret, similitudine aliquâ uti & sub eâ universale istud tractare solet, sæpè enim similitudo obscurior est & ad fallendum magis accommodata, unde etiam sophista sub eâ latere amat. (9.) Quod ante *num.* (7.) de contradictione vel contradictoriis dictum est, utrumqve interrogari à sophistâ, id nunc quoqve de contrarietate vel contrariis asseritur; nempe cum contraria juxta se posita alterum faciant melius, alterum deterius, inde sophista ad obtinendum suum propositum *utrumq; contrariorum interrogat*, ita enim sæpè fit, ut respondens unius pravitate ac absurditate deterritus, concedat alterum, non cogitans, quod inter contraria medium, atqve ita aliquando neutrum ex illis concedendum sit; v.c. quærat ita Sophista, estne parentibus in omnibus obediendum, an verò in omnibus repugnandum? hîc respondens, cum videat, posterius ex his planè esse absurdum, imprudens prius contrarium, nempe parentibus in omnibus esse obediendum, concedit, ac proinde facilè à Sophistâ capitur, cum non videat me-

dium inter hæc duo contraria, ſcilicet in quibusdam obediendum, in quibusdam verò repugnandum, in omnibus autem nec obediendum nec repugnandum eſſe. (10.) Frequenter etiam Sophiſta poſt propoſitas & conceſſas aliquas interrogationes audacter ſolet, non interrogare amplius, ſed *inferre concluſionem quandam, quaſi ea ex propoſitis & conceſſis neceſſariò ſequatur, cum tamen neutiquam cohæreat neq; verè inde ſequatur:* quem ſophiſtarum fucum ſi reſpondens non animadvertat, facilè circumveniri poteſt. (11.) Quando reſpondens theſin ἔνδοξον poſuit atq; adeo Sophiſtæ eſt probanda concluſio theſi oppoſita, nempe παράδοξος, tum operam dat Sophiſta, *ut talem inveniat propoſitionem, quam ſive affirmet ſive neget reſpondens, ipſe aut paradoxum ſuum tueri, aut reſpondentem ad magnum aliquod abſurdum deducere poſſit*, vel ſaltem id facere videatur, cujus rei elegans exemplum in Platonis Gorgia exſtat; v.c. ſit reſpondentis theſis, nullum improbum eſſe beatum, quæ cum ſit maximè ἔνδοξος, Sophiſtæ inferenda erit concluſio ei oppoſita παράδοξος, Quendam improbum eſſe beatum, inde Sophiſta, quod Polus apud Platonem facit, hunc in modum interrogat, annon Archelaus, cum Rex ſit, beatus dicendus eſt? quam propoſitionem ſi reſpondens adfirmat, jam refutata erit ejus theſis, cum Archelaus improbus fuerit, ac propterea improbus quidam ſit beatus; ſi verò negat eam, abſurdum,

& quod

& quod multorum opinionibus repugnat, dicet, cum reges tanquam rerum Dominos beatos esse plerique putent. (12.) Quemadmodum Oratores aliquando in causarum disceptatione adversario suo inconstantiam in dictis aut factis, vel etiam dissensum magnorum Virorum objiciunt, ita Sophista quoque diligenter observat, *an respondens aliquid repugnans & contrarium dicat, vel sibi ipsi, vel alicui eorum, quorum sententias & facta probat*, vel denique uni alicui, cujus admiranda vulgo creditur esse sapientia; ita enim effugere respondens non poterit, quin reprehensionem incurrat. (13.) Sicuti respondentes aliquando, cum se constrictos esse vident, ut aliter elabi non possint, nescio quas multiplicitates ac distinctiones effingere solent, ut se modò tueantur; ita Sophistæ etiam eodem præsidio uti solent, & si quà instantia adversus universalem suam propositionem à respondente allata fuerit, *æquivocam dicunt esse suam propositionem & distinctione opus habere*, seque eam non in eo sensu, in quo data instantia valet, sed in alio & diverso accepisse. (14.) Antequam Sophista suam adversus thesin aliquam disputationem finit, & ad aliam thesin ventilandam progreditur, *simulat ac si multa & magna argumenta circa hanc materiam sibi adhuc suppetant*, quæ cur hac vice proponere aut nequeat, aut nolit, sed præcidat, *aliquot effingit causas*, eo solummodò fine, ut tali pacto opinionem magnæ ac copiosæ eruditionis sibi præ-

primis apud imperitos conciliet: quod quando sentit respondens, monere utiqve poterit Sophistam, ne aliò progrediatur, sed propositæ thesi diutius immoretur, ita enim ignorantia ejusdem patefieri facilè potest. (15.) Cum Sophista sæpè incidat in thesin sterilem, in quâ nulla ipsi suppetunt argumenta, tum ut nihilominus sapere videatur, *traducit vel transfert disputationem eò, ubi major sese offert argumentorum copia*, ad talem aliquam quæstionem, quæ quamvis levem solùm ac exiguam cum principali thesi habeat affinitatem, in eâ tamen exercitatus sit Sophista & argumentis instructus; quomodo etiam Lycophron, cum laudare deberet lyram, digressus est ad alia, quæ facilius commendari poterant, & Lyricos Poëtas laudavit, ut & Isocrates cum Helenam laudare deberet, ejusdem amatores laudavit, & in universum frequenter Oratores hujusmodi abductione vel translatione uti solent: quo tamen discrimine eâdem utantur boni Viri & Sophistæ, §. præced. 2. dictum est. (16.) Quando Sophista *in interrogando fluctuat neq; certi quidpiam tenet sed multa cumulat*, ut respondens ignoret, an affirmare an negare propositiones interrogatas debeat, cum non videat, quò eædem sint directæ, tum si respondens Sophistam urget ac ab eo requirit, ut certi quidpiam proponat ac explicet, adversus quod sua argumenta dirigere velit, solet Sophista non in singulari & distinctè explicare, quidnam intendat, *sed confusè ac universaliter*

tan-

tantùm, *ſeſe reſpondenti contradicere velle*, aſſerit; v.c. non ſolet ita dicere: ego adverſus te inferre contendo, quod contrariorum eadem ſcientia ſit vel non ſit, ſed ita potius: ego uti univerſaliter in omni Elencho fit, tibi contradicere volo, aut volo id affirmare, quod tu negas, vel negare, quod tu affirmas: ita enim adhuc dubius atqve incertus erit reſpondens, & nec ſcopum Sophiſtæ videbit, nec an propoſitiones ab illo interrogatæ adfirmandæ ſint an negandæ, dijudicare facilè poterit. Alii tamen hunc Ariſt. textum *longè aliter interpretantur*, ita ſcilicet; ſi reſpondens à Sophiſtâ prolatas propoſitiones nec concedit nec negat, ſed earundem probationem poſtulat, tum Sophiſta easdem *non in genere aut univerſaliter*, *ſed in ſpecie aut ſingulari probat*, v. c. ſi reſpondens probari poſtulat hanc propoſitionem, contrariorum eandem eſſe ſcientiam, ſophiſta eam per ſingularia probat, quia ſalubris & inſalubris, paris & imparis, æqui & iniqui &c. una eſt ſcientia, non autem per univerſalem hanc, quia omnium oppoſitorum, quorum pars ſunt contraria, eadem eſt ſcientia, ſingularia enim iſta non facilè refutabit reſpondens, adverſus univerſalem propoſitionem autem facilè inſtantiam inveniet & dicet, cogniti & incogniti, entis & non Entis &c. unam ſcientiam non dari: quæ tamen expoſitio ſcopo & textui Ariſt. minus, quàm prior illa, convenire videtur. Vid. *Comment. ap. Alexand. in h. l. cap. 96. p. m. 58.* qui præſentem *textum græcum*

non satis integrum esse putat. (17.) Interrogatis & jam concessis propositionibus iis, quas ad conclusionem inferendam præmisit Sophista, tum *ipsam conclusionem non interrogat propositionis loco*, hoc est, ita, ut respondenti relinquat libertatem respondendi ita vel non, sed sine omni interrogatione eam simpliciter infert; imò *ne omnes quidem propositiones interrogat*, sed quasdam, perspicuas nempe & ab omnibus receptas, sumit sine interrogatione: quorum utrumqve quod à Dialectico etiam fiat, & quibus de causis fiat, ex *sup. pag. 442. & 469.* patet. Atqve hæc de priori parte doctrinæ de Sophisticis Elenchis & modis imponendi Sophisticis dixisse sufficiat; *in exemplis enim adducendis* prolixiores esse noluimus, cum sufficiens eorum copia ex *lib. 8. Topic.* præprimis ex *pag. 443. & seqq.* ut & reliquis in hoc §. passim citatis locis desumi possit.

SECTIO

SECTIO POSTERIOR.

DE RATIONE SOLVENDI SOPHISTICAS DECEPTIONES HACTENUS TRADITAS.

Cap. I.

DE GENERALIBUS QUIBUSDAM SOLVENDI SOPHISMATA PRÆCEPTIS ET MODIS, TAM APPARENTER SOLUM, QVAM ETIAM VERE TALIBUS.

§. 1.

Quemadmodum Arist. *lib. 8. Topic.* postquam prioribus capitibus interrogantem Dialecticum instruxerat, *Cap. 4.* respondenti etiam certa quædam præcepta dat, ut officio suo defungi rectè possit, quod ex *sup. pag. 482.* constat; ita hîc quoqve, postquam in antecedentibus *interrogantem Sophistam*, hujusdemqve fraudes & fallacias descripsit,

nunc

nunc *cap. 16.* docere aggreditur, quomodo *respondendum* sit ad Sophisticas illas deceptiones, tam *sophisticè & apparenter*, quàm *dialecticè & verè*, prout respondens vel Sophista est, vel Vir bonus & dialecticus, quorum ille id solùm agit, ut respondisse videatur, licet verè nihil solverit, hic autem fallaciis Sophisticis fundamentaliter occurrit & de eo solicitus est, quomodo earum nodi verè solvendi sint, ne imponere alicui in inquisitione veritatis possint. Hinc quoqve Arist. hanc doctrinam de solutione fallaciarum *utilem esse dicit ad philosophiam aut veritatis contemplationem* (1.) enim cum philosophari absqve verbis non possimus, *in verbis & vocabulis verò multæ lateant deceptiones*, ut ex superioribus patet, id præstat hæc doctrina, ut vocabula rectè distingvere, & quandonam ex similitudine vocabulorum inferri possit similitudo rerum ipsis significatarum, quando verò non possit, quænam conjungi debeant, quæ non debeant &c. rectè discernere atqve ita errorem evitare queamus. (2.) Utilis etiam est hæc doctrina *ad privatas meditationes*, quando quis secum aliquid animo versat & meditatur, in quâ privatâ veritatis contemplatione æqvè ac in disputatione cum alio quodam adversariô habitâ, aliquis æqvè à se quàm ab alio illo adversario decipi & à cognitione veritatis impediri potest, nisi hac doctrinâ instructus sit & captiosas ac fallaces collectiones dissolvere rectè possit; ex eo enim, quod captio-

sis

ſis argumentis, ſive ea ab alio contradiſputante accepimus, ſive eadem ipſi nobiſcum meditati ſumus, reſiſtere aut eadem reſolvere non poſſumus, omnis error & aberratio à veritate ortum ſumit. Vid *Ariſt. l. 7. Eth. c. 3. l. 1. Eudem. c. 6. l. 4. Metaph. c. 7. l. de inſec. lin. & comment. c. 3.* & alibi paſſim, ut & *Plat. in Theæt. p. 119.* (3.) Facit etiam hæc doctrina *ad comparandam exiſtimationem & gloriam*; qui enim alterius, cum quo diſputat, rationes contemnit & vituperat, cum ſolvere eas aut vitium indicare non poſſit, ille difficilis habetur & iniqvus diſputator, non propter veritatem, ſed propter imperitiam ſuam, quia ſolvere non poteſt, è contrario autem qui omnes ſophiſtarum fraudes & fallacias expeditè ſolvit, is exquiſitæ eruditionis gloriam ſibi conciliat, & adverſario ſuo metum incutit, non aliter ut famoſi & nobiles pugiles adverſariis ſuis & robur & animum adimere ſolent: neqve etiam Dialecticus omnem planè gloriam aſpernatur, quemadmodum nec virtuoſus omnem planè contemnit laudem. Videri autem alicui poſſet *inutilis eſſe hæc doctrina aut ſaltem ſupervacanea* & abundans, ideò, quia *ex ſuperiori doctrinâ de ſtructurâ fallaciarum ſatis ſuperq; intelligi poteſt*; qui enim didicit modum nectendi ſophiſmata, ille etiam novit modum ſolvendi eadem, ſeu qui didicit, unde ſophiſma ducatur, & quæ ſit fallaciæ cauſa, illi, quomodo ſolvenda ſit illa fallacia, ignotum eſſe non poteſt, cum fallaciam ſolvere nihil ſit

aliud,

aliud, quàm oſtendere, ex quo fonte fallacia iſta ducatur, ſive quænam ejus cauſa exiſtat: unde meritò inutilis & abundans hæc doctrina haberi poſſet. At verò *utut non negemus*, qualemcunqve ſolutionem fallaciarum ex ſuperioribus deſumi poſſe, id tamen certum eſt, eam ſatis accuratam & evidentem non eſſe; neqve enim idem eſt deprehendere errorem aut vitium, & ſcire ſolvere vel expedire, ſed quamvis in quibusdam fallaciis ita ſe habeat, ut qui ſuperiorem doctrinam rectè didicit, reſpondere ad illas quadantenus valeat, in omnibus tamen id neutiquam contingit: cum ſæpè aut transpoſitio terminorum vel propoſitionum, aut alia etiam cauſa imponere nobis poſſit, ut ſolutionis ratio in promptu non ſit. Deinde non ſufficit, ſi quis fallacias Sophiſtarum ſolvat, ſed oportet id celeriter & ſine ullâ hæſitatione fieri, ſecus enim reſpondens ridebitur tanquam ignorans & tardus; quamobrem ne, propoſito aliquo Sophiſmate, diu laborare opus habeamus, ut in quo captio conſiſtat, inveniamus, ſed nullo ad deliberandum accepto ſpatio ex tempore reſpondere poſſimus, præſens hæc doctrina facit: quanquam celeritatem hanc & expeditam ac promptam ſolutionem non parùm etiam juvet frequens exercitatio, quæ uti rebus aliis omnibus, ita & huic maximum adjumentum adfert. Nos ergò præeunte ita Ariſtotele & hanc de ſolutione fallaciarum addemus doctrinam, quam tamen tractabimus eo brevius, quo prolixius in ſuperioribus

de

de modo nectendi fallacias actum jam eſt, ex quibus intelligi præſens doctrina etiamſi brevius tractata facilius poteſt.

§. 2. In anteceſſum autem Ariſt. *lib. Soph. Elench. c.17.* monet, *ſolutionum alias verè, alias autem tantùm apparenter tales eſſe*, non aliter ut Elenchorum vel argumentorum alia vera ſunt, alia autem tantùm apparenter talia; ut ex *ſup. p. 643. & locis ibi citatis* patet; quemadmodum enim interrogans non ſemper ſpectat veritatem, ſed ſæpè aut gloriam, aut lucrum &c. ac proinde Sophiſtam agit atqve ſophiſticè opponit, non ut verè redarguat, ſed ut redarguere tantùm videatur, *ita reſpondens quoq;* quando in talem opponentem incidit, nihil vitii committit, ſi & *ipſe ſuas reſponſiones non ad veritatem ſed ad opinionem dirigat*, id eſt, ſi id agat, ut non tam verè reſpondeat, quam reſpondere videatur: prout namqve cum vulpe vulpinari, ita adverſus eum, qui quovis modo pugnat, etiam quovis modo ſeſe defendere, ac eapropter contra Sophiſtas ſophiſticari licet, ut ſcilicet tali modo ars arte deludatur. Hæc omnia Ariſt. præſente loco prolixius explicat & docet, *nos non verè à Sophiſtis reprehendi, quoties ex homonymis & ambiguis contra nos factus eſt elenchus*, imò tantùm abeſſe, ut Sophiſtæ hoc modo verè redarguant, ut *potius verum Elenchum obſcurent*, ut interdum is, qui verè convictus eſt, non tamen convictus eſſe videatur, quia quando Sophiſta Elenchum ſuum

jam abſolvit, reſpondens tamen adhuc diſtingvere poteſt & dicere, ſe in aliâ ſignificatione theſin intellexisſe, quamvis fortè ita ſe non habeat, quâ diſtinctione reſpondens utitur, non eo fine, ne convincatur aut redarguatur, ſed ne convinci vel redargui videatur; imò talibus elenchis efficiunt Sophiſtæ, *ut reſpondentes non teneantur more dialectico ſimpliciter ad interrogationes reſpondere*, affirmando nempe aut negando, ſed poſſint aliquid adjicere, nempe vel diſtinctionem, vel aliam correctionem ſophiſticæ interrogationis, ſimpliciter enim reſponderi non poteſt niſi ad ſimplicem interrogationem, ac proinde, quamvis olim opponentes ſimplicem ſemper poſtulaverint reſponſionem, hodiè tamen in noſtris diſputationibus id fieri non poteſt, propter multitudinem Sophiſticarum interrogationum, quæ ſimplicem hujusmodi reſponſionem non admittunt. Ita ad Elenchum ex æquivocis conſtantem non rectè ſimplici hujusmodi reſponſione reſpondetur, ſed diſtinctione æquivocæ vocis vitium detegendum eſt, & quamvis alias quasdam ſolutiones habuerint veteres, eas tamen hoc loco refutat Ariſt. & docet, *tutisſimum eſſe, ſtatim diſtinguere*, ne ſi diſtinctionem prætermittas ac ſimpliciter reſpondeas, ignorasſe eam videaris, aut ad abſurditatem aliquam deducaris; quod non infrequenter accidit iis, qui licet æquivocationem perſpiciant, diſtingvere tamen negligunt, vel ne tergiverſari & ſeſe ad omnia interrogata difficiles ac moroſos præ-

bere

bere videantur, vel quia parum roboris argumento inesse putant: quos quia ad multiplicem interrogationem, omissâ distinctione, simpliciter affirmando vel negando respondent, Sophistæ ad absurdum aliquod deducere facilè possunt, ut inductione ambiguarum hujusmodi propositionum constat. Cur autem non debeat una ac simplex responsio ad ambiguam & multiplicem interrogationem dari, patet, *quia contra præcepta dialectica est, ad multas interrogationes, unam dare responsionem*, interrogatio verò ambigua est multa, vel tantundem valet, quantum multæ interrogationes, tot enim in eâ interrogantur, quot sunt ejus significata; quod adeò verum est, ut *ne quidem una ac simplex danda sit responsio, quamvis ambigua interrogatio in omnibus suis significatis vera sit*, neqve enim ideo, quia omnia ejus significata vera sunt, unam efficient propositionem, quia nihil impedit, quo minus vel sexcenta simul vera esse possint, quæ tamen unam propositionem eapropter non efficient, & proinde neqve unâ responsione dimittenda sunt, nisi quis regulas disputandi & præcepta dialectica evidenter evertere velit: *aliquando tamen in disputationibus Dialecticis fit, ut respondens talem ambiguam interrogationem unâ simplici responsione dimittat*, & si in omnibus significatis vera sit, eam simpliciter affirmet, si in omnibus falsa, simpliciter neget, uti *supr. pag. 494.* dictum est, quanquam, ut Arist. hoc loco expressè addit, *talis responsio verè Dia-*

lectica non ſit, ſed eſſe tantùm videatur, quæ quidem aliquid dicat, verè tamen non reſpondeat, uti enim anteà jam dictum eſt, quemadmodum dantur Elenchi alii veri, alii fucati & apparentes, ita quoqve *ſolutiones & reſponſiones aliæ verè aliæ apparenter tales dantur*, quarum poſteriores interdum adhibere præſtat, quando ſcilicet cum Sophiſtâ res eſt, ut ex hactenus dictis conſtat, non aliter, ut ipſis etiam Elenchis Sophiſtarum Dialectico in certis quibusdam caſibus uti licet. Vid. *ſupr. pag. 561.*

§. 3. Modi autem *fucatæ hujusmodi & apparentis ſolutionis ac reſponſionis hi ſunt* (1.) Cum à Sophiſta interrogantur talia, quæ probabilia ſunt aut videntur, ex quibus fraudem metuis, quæ tamen propter evidentiam ſuam negare non audes, tum *ne abſolute ad ea reſpondeas aut ſimpliciter ea concedas, ſed hæſitanter dicas: eſto, ſit ita, quid tum poſteà, fortasſè, videtur &c.* ita enim quia neqve conceſſum aliquid eſt, neqve negatum, Sophiſta te convincere non facilè poterit, tu verò reſponſionem tuam poſteà pro lubitu ac pro ut tibi ex uſu viſum fuerit, torquere & dicere poteris, te concesſiſſe propoſitionem non ex propriâ ſententiâ, ſed ex opinione aliorum, aut ſapientum, cum aliter videatur multitudini, aut multitudinis, cum aliter placeat ſapientibus &c. (2.) Quando Sophiſta aliquid petit aut ſumit, quod propoſitæ theſi ac controverſiæ affine & propinqvum eſt, tum *reſpondens ſtatim dicat, illum*

petere

petere τὸ ἐν ἀρχῇ, seu interrogare idipsum, quod erat probandum, idqve ita dicat, *quamvis forte petitio* τοῦ ἐν ἀρχῇ *facta non sit*, cum non semper, quando ex duobus cognatis aut propinquis unum sumitur ad inferendum alterum, illicò hoc vitium committatur, uti ex *sup. pag. 615. 616.* patet: sed & *in tempore hoc moneat respondens* & argumentatione à sophistâ nondum absolutâ, ne si posteà id faciat, auditores putent, respondentem id eo solùm fine fingere, ut elabi possit, interrogantem autem rectè eâ propositione usum fuisse. (3.) Quando Sophista ex iis, quæ universaliter concessa sunt, non sub proprio nomine, sed sub similitudine aliquâ, contra thesin concludit, tum *respondens dicere debet*, *se concessisse quidem universale istud*, *at non in eo sensu*, *quo illud sumpsit Sophista*, *sed præcisè in allatâ similitudine*, extra quam extendi universale istud non debeat; v. c. quod exemplum *in Comm. ap. Alexandr.* legitur, si Sophista ex eo, quod cervus, cum quadrupes sit, bifidus existat, ut & capra bifida sit, & bos, & ovis &c. inferat, omne quadrupes, quod hujusmodi vel his in inductione positis simile est, bifidum esse, eoqve à respondente concesso ita concludat, eqvum tamen cum quadrupes sit, non esse bifidum ac proinde malè à respondente dictum ac concessum esse, omne quadrupes esse bifidum, tum respondens occurrat, *se non concessisse*, *omne animal quadrupes esse bifidum*, *simpliciter & absolutè*, sed sub eâ, quam ipse

Sophista interrogando addebat, similitudine, scilicet *omne animal quadrupes* ὁ τοιοῦτον, *quod hujusmodi vel tale est*, quale aut cervus est, aut capra, aut bos &c. esse bifidum, quod hisce dictis simile animal proprio nomine dicitur κερασφόρον *vel cornutum*, quale animal cum eqvus non sit, patet, istud ad inductionem ante positam non pertinere, sed ipsam inductionem à Sophistâ malè extendi ultra istam similitudinem, in quâ concessa erat: ita quoqve si respondens concedat, quicquid hoc modo vel hac similitudine, quâ hoc aut istud Atheniensium aut Macedonum esse dicitur, alterius est, id esse ejus possessionem, Sophista verò contra inferat, hominem esse animalis, est enim unum animalium, vel est species quædam animalis, & tamen possessionem animalis non esse, regerat respondens, se concessisse quidem universale istud, quicquid alterius esse, esse ejus possessionem, at non nisi in eâ similitudine, quâ aliquid ita alterius esse dicitur, uti hoc vel istud Atheniensium vel Macedonum esse dicitur, in quâ similitudine & significatione cum homo animalis esse non dicatur, patet, similitudinem à Sophistâ nimium extensam esse ac in alio sensu sumptam, quàm quo concessa erat. Atqve hoc præsidio uti potest respondens, *sive in concedendo universali ad talem similitudinem respexerit*, *sive non respexerit*, si enim per errorem simpliciter concesserit, dicere tamen nihilominus deinde potest, se ad hanc aut istam similitudinem respexisse, quo ipso responsio ejus

ejus excusata jam erit; si verò exclusus hoc præsidio fuerit respondens & omninò evidens sit, non respexisse ipsum in respondendo ad talem aliquam similitudinem, proximum est, ut dicat, *interrogantem non rectè rem demonstrasse*, id est, non adduxisse verum sed fucatum & apparentem syllogismum aut elenchum, cum peccatum sit in aliquam contradictionis aut syllogismi definitionis partem, *sive id reverà factum sit, sive factum esse tantùm videatur:* quando autem interrogans propositiones suas simpliciter & sine ullâ subintellectâ similitudine ac adjectione sub propriis nominibus proponit, tum etiam *respondens aut simpliciter vel affirmare vel negare, aut saltem distingvere debet*, ne se planè suspectum reddat & apertè tergiversari videatur. (4.) Cum ea, quæ interrogata sunt, ita cohærent, ut uno posito ponatur & alterum, hoc altero autem posito prius illud non statim ponatur, tum *respondens potius hoc posterius, quod minus latè patet, quàm prius illud & universalius concedere debet*, particulare enim defendi facilius potest quàm universale, è contrario autem interroganti ad inferendum aliquid minus prodest, quàm universale, ut & æquivocationes magis in universalibus quàm particularibus latent; v.c. si Sophista petit, estne salubrium & insalubrium eadem scientia? & estne omnium contrariorum eadem scientia? illud potius quàm hoc concedendum est, illo enim concesso non necesse est concedi hoc, at verò si hoc

concesſum fuerit, necesſariò & illud concedendum erit. (5.) Rurſus quando interrogans utitur loco à contrariis, quod ſcilicet hæc res contrarium habeat, altera verò non habeat, v. g. quod anima non ſit harmonia, quia harmoniæ aliquid eſt contrarium, nempe disſonantia, animæ autem nihil eſt contrarium, vid. *ſup. p. 127. & 243. tueri ſe poterit reſpondens, ſi dicat, habere rem iſtam, quæ contrario carere dicta eſt, utiq; contrarium, at innominatum*, v. c. habere animam contrarium aliquod, quod ex concreto ejus nempe animato patet, cujus contrarium eſt inanimatum, at contrarium animæ carere nomine, uti & plura alia nondum impoſita nomina habent, atqve ita reſpondens, ſi non verè, ſaltem apparenter rationem ſibi objectum disſolvit. (6.) Ea, quæ interrogari vulgò ſolent, non ſunt uniusmodi, ſed quædam publico hominum conſenſu conſtant, quædam autem ab utraqve parte ancipites habent hominum opiniones, de quibus hæc hominum multitudo hoc ſtatuit, alia verò aliud, quædam tandem ita ſe habent, ut de iis nihil in hanc aut illam partem ſit definitum, vid. *ſupr. pag. 484.* inde ſi Sophiſta quæſtionem primi generis proponit, *caveat reſpondens, ne eandem neget*, aut planè recedat ab eadem, ſecus enim temerè litigare & malitioſus eſſe videbitur, ut & cum interrogans quæſtionem ultimi generis proponit, iterum *caveat reſpondens, ne determinatè per ita vel non reſpondeat*, arrogantiæ enim ipſum poſtulabit interrogans, quod

ſolus

ſolus tam ſapiens ſibi videatur, ut definire ac determinare audeat id, quod hactenus à nemine determinatum eſt: quando autem interrogans quæſtionem medii generis adfert, in quâ ab utraqve parte exſtant hominum ſententiæ, ut dubium ſit, an negari ea, an verò affirmari debeat, tum reſpondens, ut argumentationem adverſarii eludat, *ad uſum ſuum convertere & immutare debet nomina in alia*, v. c. ſi ille probaverit, mundum eſſe genitum, dicat reſpondens, cœlum eſſe æternum, ita enim nec paradoxum dicere videbitur, quia de hac quæſtione ab utraqve parte hominum exſtant ſententiæ, nec falſum dicere videbitur, quia utraqve ſententia tanquam vera à ſuis autoribus defenditur, nec deniqve elencho convictus erit, quia elenchus non eſt, niſi ſit contradictio, contradictio autem non eſt, niſi eadem ſint nomina, ut ex *ſup. pag. 606.* patet. (7.) Reſpondentem circumſpectum eſſe oportet, *ut facilè prævideat, quibusnam adverſus ſe uti Sophiſta velit, quæ in tempore ſunt refutanda*, id eſt, *priusquam à Sophiſtâ objiciuntur*; ita enim reſpondens Sophiſtam multò magis impediet, & meliori fide cum ipſo agere, & non ideo negaſſe videbitur, quod Sophiſta iis uſurus ſit, ſed quod omninò & in ſe ſint falſa: non aliter ut divites, quando à paupere aliquo compellantur, ſuſpicantes ipſum mutuum petere velle, præoccupant, ſeſeqve ære indigere ſimulant, quo id efficiunt, ut pauper ille petere non audeat, quod petere ante conſtitu-

tum erat. Hæc de apparente fallaciarum solutione.

§. 4. Tandem in quo *vera solutio deceptionum Sophisticarum*, si ea in genere consideretur, consistat, videre facilè est, si quis ad id attendat, quotupliciter syllogismus falsus dici possit, vel quot sint syllogismorum vitia in genere considerata, solutio enim nihil aliud quam talis alicujus vitii ostensio est; quare cum syllogismus aliquis falsus dicatur, vel quia *in materia* peccat, vel quia *in formâ* bonus non est, uti non tantùm *lib. soph. Elench. c. 18.* docetur, sed & ex *sup. pag. 100.* ut & *pag. 522. & seqq.* constat, inde totuplicem quoqve syllogismorum solutionem esse, necesse est. Quando itaqve *syllogismus in formâ peccat*, id est, nullâ consequentiâ vel concludendi necessitate gaudet, ac proinde verus syllogismus non est, sed esse tantùm videtur, *tum solutio fit*, si ostendatur vitium consequentiæ & ἀσυλλογιστία, hæc autem ostendi commodè potest *per distinctionem*, vel vocis æquivocæ in sua significata, vel ejus, quod dicitur per se & per accidens, simpliciter & cum addito &c. prout scilicet horum aliquid confusum est in allato vitioso syllogismo: cujus rei plurima exempla in fallaciis supra expositis reperiuntur. Porrò Syllogismus *ratione materiæ falsus*, vel qui falsam quandam continet propositionem, *negando solvitur*; duplex autem hic syllogismus est, aliquando enim *ex falsis præmisssis falsam infert conclusionem, aliquando autem infert ve-*

ram; posse enim adversus eum, qui falsas præmissas concessit, non falsam modò sed & veram exinde deduci conclusionem, partim ex superioribus, partim etiam *ex l. 2. Prior. c. 2.* patet. Is itaqve syllogismus, qui *& præmissam sive alterutram sive utramq;, & ipsam etiam conclusionem falsam habet, duplici modo solvitur*, vel (1.) per *negationem* præmissæ istius falsæ, si una tantùm falsa fuerit, aut si utraqve falsa fuerit, per *negationem ejus præmissæ*, quæ πρῶτον ψεῦδος continet, *vid. supr. pag. 500.* vel (2.) per *negationem ipsius conclusionis*; utut enim hic posterior respondendi modus vulgò rideatur, certum tamen est, *non ineptè aliquando ad conclusionem responderi*, eamq; negari posse, non solùm in hoc præsente casu, quando ea falsa est propter falsitatem præmissarum, sed in aliis quoqve, ut quando ex præmissis, etiamsi veris, conclusio non sequitur, sed syllogismus formæ ac consequentiæ quodam vitio laborat, tum enim conclusio *pro non probatâ haberi ac proinde negari potest*, quod tum quoqve facere licet, quando *plus est in conclusione, ac in præmissis positum* aut concessum erat &c: quanquam hoc respondendi modo non facilè nec frequenter utendum sit, ne Sophistis criminandi ansam præbeamus. Is verò syllogismus, *cujus solæ præmissæ falsæ sunt, conclusio autem vera existit, solvitur negatione propositionis falsæ*, uti modò præcedente (1.) dictum est; imò etiam rectè respondetur, *conclusionem*

talem adversus thesin propositam nihil facere, sed ab eâ alienam esse, de quo respondendi modo aliqua *supr. pag. 488.* vide. Hinc in universum, qui argumenta verè & rectè dissolvere cupit, *ante omnia ad formam & consequentiæ necessitatem attendere debet*, secus enim, si forma falsa fuerit, & respondens eâ prætermissâ ad materiam vel negando vel distinguendo respondere velit, mirum in modum se intricabit & nullatenus expedire valebit; ubi autem formam bonam esse deprehendit, *tum demum ad materiam respiciendum est*, & primò quidem *ad conclusionem*, num ea thesi propositæ contradicat nec ne? si enim nec per se nec per consequentiam quandam thesi contradicit, nulla ferè opus est responsione, sed *dicendum tantùm est, eam nihil ad rem facere*, si verò vel per se thesi contradicit, vel per consequentiam ex eâ deduci aliquid potest, quod thesin infringat, *tum demum ad præmissas respiciendum est*, quas vel *negatione* vel *distinctione* refutari oportebit: cujus rei exempla ex superioribus, præprimis ex *lib. 8. Dial. cap. 1. part. 2.* abundè constant. Quemadmodum autem supra promptitudo aliqua in dialectico, & ut ea obtineretur, præcedens aliqua exercitatio requisita est & meditatio, vid. *pag. 532. & 670.* ita hîc quoqve in solvendis fallaciis Arist. docet, *multùm interesse, an tum demum argumentum dissolvere tentes, cum à Sophistâ proponitur, an verò solus & nullo interrogante solutionem ipse tecum exquisiveris & præmedi-*

meditatus fueris; ex tempore enim & ſtatim, quando proponitur argumentum, disſolvere illud, difficile ſæpè eſt, cum frequentiſſimè vitium lateat, quando verò ſpatium cogitandi conceditur, ut per otium ſolus iſtud conſiderare poſſis, facilius ſolutionem invenies: quam ob rem ut quis promptè & expedite ac celeriter Sophiſtis occurrere poſſit, *privatâ exercitatione opus eſſe* Ariſt. monet, atqve ita doctrinam de ſolutione verâ in genere concludit.

CAP. II.
DE PRÆCEPTIS VERE SOLVENDI FALLACIAS IN SPECIE ACCEPTAS, TAM EAS, QUÆ IN DICTIONE, QUAM QUÆ EXTRA DICTIONEM CONSISTUNT.

§. 1.

INter fallacias in dictione conſiſtentes I. eſt fallacia *æquivocationis* & II. *amphibolia*, quas Ariſt. h. l. nempe *l. Soph. Elench. c. 19.* conjungit, & cum utraqve ex multiplicitate ſive ambiguæ alicujus vocis, ſive ambiguæ conſtructionis ac orationis oriatur, utramqve *diſtinctione aut æquivocæ vocis, aut ambiguæ orationis* ſolvi docet; ut

ut & porrò, cum ambiguitas hæc in utraqve fallaciâ *aliquando sit in sumptionibus* & præmissis, *aliquando verò in conclusione*, utrovis modo deceptio fiat, semper distinctione *vocis* in fallaciâ æquivocationis, distinctione *orationis* autem in fallaciâ amphiboliæ rem expedire jubet: quod quomodo fieri debeat, ex exemplis *supra pag. 566. & seqq. ut & 570. ac seqq.* positis adeò evidens est, ut hîc plura ac nova addere neutiquam opus esse videatur. Quando itaqve multiplicitas est in conclusione, admodum facilis est responsio, quia *reverà nullus est elenchus aut contradictio*, dum enim distinguitur ac ostenditur, in aliâ significatione sumi conclusionem, in aliâ thesin, jam patet, conclusionem thesi non contradicere, quia in contradictione eandem significationem servari oportet, uti ex *sup. pag. 607.* constat; cum autem multiplicitas est in præmissis, *non necesse est, ut multiplicem interrogationem statim neges*, antequam adducta est distinctio, etiamsi secundùm omnes suas significationes sit falsa, sed prius *distinguenda est ambiguitas*, & deinde quia argumentatio non ad hanc interrogationem concludendam vel inferendam tendit, sed ex eâ sumitur aut progreditur, *neganda erit hæc eatenus tantùm, quatenus ad rem facit*, vel neganda erit in eâ tantùm significatione, quæ ad propositam controversiam & thesin spectat; v. c. sit disputatio de cane quadrupede, Sophista autem sumat, canem volare, hîc non necesse est simpliciter hanc sumptionem negare,

gare,

gare, ſed diſtinguenda eſt multiplex vocis ſignificatio & poſtea neganda propoſitio de ſolo cane quadrupede, ut autem negetur etiam de cane piſce, ſidere & aliis vocis ſignificationibus, neceſſe non eſt, vera enim ſolutio in eo conſiſtit, quod canis quadrupes non volet, quod autem piſcis non volet, ad ſolutionem nihil facit, cum planè de eâ vocis ſignificatione quæſtio inſtituta non ſit. Tandem ſive ambiguitas in præmiſſis ſit, ſive in concluſione, jubet Ariſt. *ſtatim ab initio multiplicitatem aut nominis aut orationis diſtingvere*, ac in quâ ſignificatione id quod dicitur verum ſit, in quâ falſum, edisſerere, ne ſi reſpondens diſtinctionem differat, per ignorantiam ſimpliciter vel conceſſiſſe vel negaſſe videatur id, quod ſimpliciter nec concedendum nec negandum erat; ſi verò ab initio ſtatim reſpondens ambiguitatem non animadvertit ſed abſolutè reſpondet, ac proinde à Sophiſta capitur, nondum tamen loco cedere, ſed *ſimplici ſuæ antè datæ reſponſioni aliquid addere & diſtinguendo dicere debet*, ſe conceſſiſſe vel negaſſe quidem anteà propoſitionem, at in alio planè ſenſu eam accepiſſe, ac proinde per adjectionem voculæ alicujus æquivocationis laqueos effugere poteſt, qui modus *ſupra jam pag. 494.* traditus, aliquid etiam de eo *pag. præced. 672.* dictum eſt: in univerſum verò generali quodam modo eludi hæ fallaciæ poſſunt, ſi reſpondens dicat, *non probaſſe Sophiſtam aliquid, quod ſuæ theſi ſit contrarium*, utut enim fortè argumentatio reverà

aliquid

aliquid concludat, non concludere tamen, quod re ipsâ, sed tantùm quod verbotenus contra thesin facit, quia vox tantùm eadem est, significatio autem diversa, atqve adeò non esse verum elenchum aut veram contradictionem, quippe in qua non eandem solùm vocem, sed & eandem vocis significationem esse oportet, ut ex l. paulo antè cit. patet.

§. 2. Sequitur III. & IV. Fallacia *compositionis & divisionis*, quas iterum Arist. propter affinitatem earum suprà expositam, hîc *lib. Sophist. Elench. c. 20.* conjungit, & docet solvi easdem, *si respondens Sophistæ contrarius sit*, aut contrarium Sophistæ facto faciat, id est, *quæ Sophista malitiosè conjungit, ipse dividat*, aut *quæ ille dividit, ipse conjungat*, idqve secundùm omnes conjungendi ac dividendi modos, *sup. pag. 573. & seqq.* ut & *p. 576. & seqq.* definitos; v. c. argumentetur veterator aliquis ita, quo tu illum percussum vidisti, eo ille percussus est, sed vidisti oculis tuis illum percussum, ergò ille oculis tuis percussus est, aut ita, quo ille percussus est, eo percussum vidisti, sed baculo percussus est, ergò baculo vidisti, hîc cum pronomen *quo* à Sophistâ malè componatur cum verbo *vidisti*, & à vocabulo *percussum* dividatur ac separetur, & proinde verus sensus pervertatur, quia longè aliud est, te vidisse oculis tuis, illum percussum, aliud verò, te vidisse, oculis tuis illum percussum, itemqve aliud, te vidisse baculo, illum percussum, aliud

autem,

autem, te vidiſſe, baculo illum percuſſum, quæ per malam ſuam compoſitionem & diviſionem Sophiſta confundit, reſpondens Sophiſtæ contrarius eſſe, & quæ ille compoſuit, ipſe dividere, quæqve ille diviſit, ipſe componere debet: quâ vocabulorum correctione Sophiſtica deceptio detecta erit, cum compoſitio illa Sophiſtica ſenſum evidentiſſimè falſum comprehendat. Ita quoqve ſe habet fallacia *Euthydemi*, cujus etiam Philoſophus *l. 2. Rhet. c. 24.* meminit, qui, cum aliquis in Siciliâ exiſtens gloriaretur, ſe vidisſe triremes in Piræo Athenienſium Portu ad anchoram ſtantes, eum ita arguebat, *an tu vidiſti triremes in Piræo ſtantes nunc cum in Siciliâ ſis?* ubi quidem, prout vocabulum *nunc* vel cum antecedentibus vel cum conſequentibus componitur & conjungitur, oratio vel vera vel falſa eſſe poteſt, ſi enim ita dicatur, tu vidiſti triremes in Piræo ſtantes nunc, cum in Siciliâ ſis, vera eſſe poteſt, ſi verò ita dicatur, tu vidiſti triremes in Piræo ſtantes, nunc cum in Siciliâ ſis, prorſus falſa eſt, cum nemo tam lynceus ſit, ut viſu ſuo tantum emetiri ſpatium poſſit: cujus pravæ compoſitionis & diviſionis plura exempla Ariſt. præſente loco habet, quæ cum facilè ex dictis ſolvi poſſint, ſtudio ſunt omisſa, plura etiam ex ſuperioribus deſumi posſunt. Malè autem nonnulli hujusmodi deceptiones, quia ambiguitatis quidpiam continent, *non ad hanc, ſed ad æquivocationis aut amphiboliæ fallaciam referre ſolent;* id enim vel hac de

causâ

causâ fieri non poteſt, quia ad fallaciam æquivocationis aut amphiboliæ id præcisè requiritur, *ut vox vel oratio una ſit, ſignificatio autem diverſa,* uti ex ſuperiori harum fallaciarum expoſitione patet, at verò in his deceptionibus non eſt oratio una & eadem, ſed modò conjuncta, modò disjuncta, ac proinde diverſa & alia atqve alia exiſtit: quæ ipſa cauſa eſt, ut *nec deceptio ex accentû referri poſſit ad fallaciam æquivocationis*, quia ad æquivocationem neceſſe eſt, ut vox una eademqve ſit, ubi verò accentus eſt diverſus, vox neutiquam una & eadem, ſed diverſa exiſtit, licet fortè literæ, quibus pingitur vox iſta, unæ eædemqve ſint, ut ex exemplis ſupra poſitis patet. Tandem alii has *compoſitionis & diviſionis fallacias aliter ſolvere adſveverunt*, dicendo, propoſitionem v.g. quo tu illum percuſſum vidiſti, eo ille percuſſus eſt, &c. *non univerſaliter & quocunq; modo eſſe conceſſam*; at verò non eſſe hanc ſolutionem veram & perfectam, vel inde patet, quia *non omnibus hujus generis fallaciis accommodari poteſt*, ut ex exemplis fallaciarum compoſitionis & diviſionis *ſupra pag. 573. & ſeqq.* manifeſtum eſt, oportet verò, ut omnes eæ fallaciæ, quæ ex uno aliquo loco & principio ducuntur, uno etiam eodemqve modo disſolvantur, ut inductione conſtat: unde *præcipuam fallaciæ cauſam hæc ſolutio non reſpicit*, neqve adverſus ipſam argumentationem directa eſt, ſed ſolùm adverſus argumentantem, hunc vel iſtum, qui fortè propoſitionem indeter-

indeterminatè & non omni modo concedi petiit, adversus alium verò, qui circumspectius egit, & universaliter interrogavit, nullatenus valet.

§. 3. Porro V. fallacia *ex accentu aut prosodiâ* succedit, quam Arist. *l. Soph. Elench. c. 21.* non adeò frequentem sed rariorem esse dicit, præsertim in orationibus vivâ voce habitis, propter causam *supra jam p. 579.* dictam; cujus solutio admodum facilis est, si nempe *pronunciatio fiat vocè clarâ & distinctâ*, ita enim discerni diversi accentus & Syllabæ longæ, breves, asperatæ, non asperatæ &c. facilè possunt, ac præterea ostendatur, dictiones ob varium accentum varias habere significationes, quæ dictiones in ipsâ solutione secundùm varios istos accentus distingui debent: cujus rei exempla nulla hîc adducimus, quia sufficiens eorum copia ex *sup. pag. 579. & seqq.* desumi potest. VI. Ultima tandem inter fallacias in dictione consistentes est fallacia *figuræ dictionis*, de cujus solutione Arist. *l. Soph. Elench. c. 22.* agit; quæ cum oriatur vel ex confusione notionum grammaticarum, vel ex permutatione categoriarum, ut ex *sup. pag. 583.* patet, melius solvi non potest, *quàm si vel grammaticæ istæ notiones, vel diversæ illæ categoriæ rectè distinguantur*, quas eapropter dialectico & respondenti exactè cognitas esse oportet: qui solvendi modus quadantenus ex exemplis *supra p. c.* positis jam constat, uberiùs autem h. l. ab Arist. pluribus aliis exemplis illustratur. Scilicet cum Sophista ex eo, quod aliquis unam eandem-

demqve rem ſimul poſſit & videre & vidisſe, infert, illum unam eandemqve rem ſimul poſſe facere & fecisſe, non melius ſolvitur quam ſi dicatur, non rectè ita ſequi, hâc de causâ, quia licet verba illa videre & vidisſe, facere & fecisſe, terminatione & figurâ dictionis inter ſe conveniant, minimè tamen conveniunt ſignificatione, cum videre & vidiſſe ad categoriam paſſionis pertineant, *l. 2. de An. c. 5.* vel pati ſignificent, facere verò & fecisſe ad categoriam actionis ſpectent, vel actionem denotent, ac proinde ita ſe non habeant, ut quod de illis affirmatur, de his quoqve concludi poſſit: quâ ratione ſolvitur quoqve ſequens collectio, quod non habes, cum antè haberes, id amiſiſti, ſed decem nummos, cum ante eos haberes, non habes (unò ſcilicet fortè amisſo) ergo decem nummos amiſiſti, hîc enim à categoriâ ſubſtantiæ & ab eo quod eſt aut non eſt, de quo prior propoſitio loquitur, callidè in alterâ propoſitione tranſitur ad quantitatem & numerum ejus, quod amisſum eſt, quia decem non ſubſtantiam ſed quantitatem & numerum ſignificat, ac propterea, quamvis rectè dicatur, quod ante habuiſti, nunc autem non habes, id amiſiſti, non tamen rectè infertur, quantum & quot ante habuiſti, nunc autem non habes, tantum & tot amiſiſti. Pariter cum Sophiſta ex eo, quia quis decem nummos habet, ex iis verò unum ſolùm alteri dare poteſt, colligit, ipſum dare posſe, quod non habet, tali elencho, unum ſolùm nummum

alteri

alteri dare potes, ſed unum ſolùm non habes, ergò quod non habes, dare potes; ſolvitur hæc fallacia, ſi genera prædicandi vel categoriæ, quæ hîc confunduntur, rectè diſtinguantur, & dicatur, hîc callide à relatione de quâ intelligendæ ſunt præmisſæ, Sophiſtam tranſire ad Subſtantiam, de quâ loquitur concluſio, quia *unum ſolùm* non ſignificat ſubſtantiam vel ipſum illud, quod datur, ſed relationem ejus, quod datur, unum enim ſolùm dicitur, quod non eſt *cum aliis*, quo ipſo non res ipſa, ſed aliquis ejus modus denotatur: quâ de causâ, etſi aliquis non poſſit dare, quod non habet, id tamen fieri optimè poteſt, ut aliquis quidpiam det eo modo, quo non habet, v.c. ut det ægrè & invitus, quod ægrè & invitus non habet, ac per conſequens etiam, ut det unum ſolùm, id eſt ſine aliis, quod non unum ſolùm, ſed cum aliis habet. Similes huic deceptioni ſunt ſequentes, unâ ſolùm manu ferire alterum potes, ſed unam ſolùm manum non habes, ergò ferire alterum potes manu, quam non habes, ut &, uno ſolo oculo videre alterum potes, ſed unum ſolum oculum non habes, ergò videre alterum potes oculo, quem non habes, &c. quarum ſolutio prorſus eadem eſt, quoniam iterum à relatione ad ſubſtantiam fit tranſitus, quarum illa intelligitur in præmisſis, hæc in concluſione, quamvis enim nec ferire quis poſſit manu, quam non habet, nec videre oculo quem non habet, poteſt tamen & ferire ſolâ hac manu, quam ſolam non habet, ſed

cum aliâ junctam, & videre ſolo hoc oculo, quem iterum non ſolum ſed cum alio ſimul habet. Hujusmodi *fallacias nonnulli ex Veteribus aliter ſolvere conati ſunt*, nempe (1.) dixerunt, eum qui duas manus aut duos oculos habet, *unum quoq; habere* ac propterea negarunt Sophiſtæ hanc propoſitionem: unum oculum aut unam manum non habes. (2.) Quando Sophiſta ita argumentatur, decem nummos non accepiſti (dedi enim tibi unum modò, cum novem jam antè haberes) atqve decem nummos nunc habes, ergò habes quod non accepiſti, reſpondere huic ex veterum quorundam ſententiâ debet, *me habere unum nummum, nempe à te*, quamvis enim aliàs habeam decem, non tamen me à te eos habere, ac proinde habere me, quod accepi, nempe unum nummum. (3.) Alii *totum ſyllogiſmum concedendum eſſe & fieri poſſe putarunt*, ut quis habeat aliquid quod non accepit, v. c. ut habeat vinum acidum, quod non accepit acidum ſed dulce. At verò *parum ad rem faciunt hujusmodi ſolutiones*, & ut reliqua omnia, quæ deſiderari in iis posſunt, prætereamus, eæ vel ideò veræ ac ſatis aptæ non ſunt, quia *non tam adverſus ipſam diſputationem directæ ſunt*, ut eam ſolvant, quàm adverſus diſputantem, ut illum quocunqve modo impediant, qualis ſolutio ea quoqve erat, de quâ *in fine præced. §.* dictum eſt; quamobrem in hiſce veterum ſolutionibus laborandum non eſt, quia *verum Sophiſmatis locum & præcipuam erro-*

erroris causam non aperiunt, quæ in solâ categoriarum commixtione ac confusione consistit, harumqve distinctione solvi potest, etiamsi omnia illa, quæ veteres isti in responsionibus suis negabant, Sophistæ concedantur. Hujus fallaciæ ac modi eandem solvendi plura alia præsente loco Arist. habet exempla, quæ cum ab iis, quæ hactenus adducta sunt, non multum abeant, eorumqve solutio ex dictis facilè intelligatur, hîc datâ operâ & brevitatis studio sunt prætermissa. Concludit itaqve Arist. *l. Soph. c. 23.* doctrinam de modo respondendi *ad fallacias in dictione consistentes* & generatim ostendit, *eas omnes uno eodemq; modo dissolvi*, si nempe respondens solutionem suam sumat *ab opposito & Sophistæ semper sit contrarius*, quod ex inductione harum fallaciarum constat; v. c. cum fallacia oritur ex compositione, solvitur per divisionem, & contra cum oritur ex divisione, solvitur per compositionem, cum fallacia est ex accentu acuto, solvitur per gravem, cum ex gravi, per acutum, cum in æquivocatione & amphiboliâ fallacia fit ex hoc vocis aut orationis sensu, solvitur per alium sensum priori contrarium, & vice versâ, cum in fallaciâ figuræ dictionis deceptio fit ex similitudine vocum, solutio iterum petitur à contrario & ostenditur dissimilitudo earum ac diversitas categoriarum, ad quas eæ spectant: quæ omnia ex præcedentibus sunt manifesta.

§. 4. Quod autem ad *fallacias extra dictionem*

 nem

nem attinet, inter illas I. eſt *fallacia Accidentis*, cujus generalis hæc ſolutio eſt, *ut negetur, neceſſariò ſequi id, quod ex propoſitionibus Sophiſta conclusit*, ſive, ut negetur neceſſitas ac conſequentia ſyllogiſtica in Elencho, cum omnes hujusmodi captiones ἀσυλλογιστία laborare, aut *in formam ſyllogiſmi* peccare ſoleant, ut ex *ſup. pag. 637.* patet; licet enim aliquando id quod accidenti aut prædicato tribuitur, etiam ſubjecto tribui poſſe videatur, quod in iis ſolis fit, quorum eadem eſt ratio & eſſentia, vel quæ eſſentialiter connexa aut unum ſunt *l. Soph. Elench. c. 24. & l. 3. Phyſ. c. 2.* & alibi paſſim, ſæpè tamen etiam id fieri non poſſe compertum eſt, ac propterea talis conſequentia nunquam neceſſaria eſt, cum non ſemper valeat: quod ut Sophiſtæ certius demonſtremus, *in promptu ſemper habere oportet alias quasdam ex hoc genere captiones*, quæ illi, quam Sophiſta adverſus nos adduxit, ſimiles ſint, ex quibus pateat, hanc conſequentiam, in quâ, quod accidenti ineſt, tribuitur ſubjecto, & quidem ita, *ut ſup. pag. 591.* definitum eſt, minimè valere aut neceſſariam dici poſſe. V. c. concludat Sophiſta ita, noſtine quod ego te interrogaturus ſum? minimè, at interrogaturus ſum, an virtus ſit bona, ergò tu non noſti virtutem eſſe bonam; ſic &, noſtine hunc, qui chlamyde tegitur? non, at ille eſt pater tuus, ergò non noſti patrem tuum, ut &, hæc ſtatua eſt tua, hæc ſtatua eſt opus, ergò eſt opus tuum, hic canis eſt tuus, hic canis

canis eſt pater, ergò eſt pater tuus &c. quibus exemplis alia etiam Ariſt. in textu adjungit; quæ omnia peccant in eo, quod quicquid accidenti vel qualicunqve attributo ſubjecti ineſt, ipſi ſtatim ſubjecto ineſſe concludunt, cum tamen iſtud in iis ſolum, quæ eſſentialiter unum ſunt, valeat, qualia certè, quæ in exemplis his adferuntur, non ſunt, neqve enim eſſentialiter idem ſunt, virtutem eſſe bonam, & quod Sophiſta interrogaturus eſt, ſed per accidens tantùm cohærent, unde optimè illud ſciri hoc ignorari ab eodem poteſt, neqve bona eſt conſequentia, quæ aliud infert: ita in ſecundo exemplo eſſentialiter idem non ſunt pater & qui chlamyde tegitur, nec in tertio, eſſe opus & eſſe tuum, ſed iterum per accidens tantùm omnia hæc connexa ſunt, & eapropter nulla neceſſitas aut vera conſequentia in his aut ſimilibus exemplis exiſtit. Alii ex Veteribus non per diſtinctionem inter id, quod per ſe *ineſt* vel eſſentialiter connexum eſt, *& inter id quod per accidens inhæret vel connexum eſt, hanc fallaciam ſolvunt*, ſed *per diſtinctionem* ἄλλο καὶ ἄλλο, dicentes, non eſſe abſurdum, idem alicui convenire & non convenire ſecundum aliud atqve aliud; v. c. ad priora duo proximè allata exempla reſpondent, iisdem nullum planè abſurdum inferri, quando concluditur, nos id ignorare, quod novimus, cum optimè fieri poſſit, ut quis unam eandemqve rem & ſciat & neſciat diverſo reſpectu, nempe, ut ſciat virtutem, quatenus bona eſt, neſciat eam, quatenus

de eâ interrogaturus eſt alter, ut ſciat & noverit hunc, quatenus eſt pater, ignoret autem & neſciat, quatenus chlamyde tectus eſt. At verò *non rectè ſeſe habere hanc ſolutionem* vel inde patet, quia *non omnibus hujus generis captionibus accommodari poteſt*, neqve enim eâ ſolvi poteſt hæc fallacia, hic canis eſt tuus, hic canis eſt pater, ergò eſt pater tuus, nullo namqve reſpectu & modo fieri poteſt, ut canis tuus pater dicatur, quod cum ita ſit, patet, hanc ſolutionem bonam non eſſe, quia omnium ex eodem fonte ductorum ſophiſmatum, una etiam eademqve ſolutio eſſe debet, ut *fin. §. 2. præced.* dictum eſt; cui & illud adde, quod *ea demum vera ſit ſolutio, quæ non qualecunq; ſed præcipuum argumentationis vitium patefacit*, & è contrario prava ſit ea ſolutio, quæ præcipuo vitio prætermiſſo, id ſolùm, quod minoris momenti eſt, attendit, quod certè facit ſolutio paulò antè dicta, quæ conſequentiâ Sophiſmatis conceſsâ, id ſolùm inquirit, utrum concluſio vera an falſa ſit, & quo reſpectu talis exiſtat, conceditur enim Sophiſtæ concluſio tanquam rectè illata, cum tamen non ſequatur ex præmiſſis neceſſariò, ut ex antecedentibus patet, ſed ἀσυλλογιςίᾳ laboret hæc captio: ex quibus & aliis pluribus, quæ Ariſt. hîc addit, manifeſtum eſt, modò dictam veterum ſolutionem jure meritoqve reprehendendam eſſe. Similiter non rectè ſe habet *alia veterum reſponſio*, quâ hujusmodi fallacias ſolvere conabantur *per*

æqui-

æquivocationem, dicentes v. g. in tertio & quarto suprà adducto exemplo, vocabulum *tua*, *tuum*, sumi multipliciter ac in aliâ significatione, quando statua tua dicitur, in aliâ, quando opus tuum vocatur, atqve inde deceptionem oriri; ut enim rationes contra præcedentem solutionem adductas, quæ hic quoqve obtinent, non adducamus, *hujusmodi captiones ad fallaciam æquivocationis referri vel ideò non possunt*, quia ad æquivocationem necesse est, ut *nomen æquivocum multa significet κυρίως*, id est, (uti hoc loco hæc vox, paulò aliter ac *supr. p. 571. 572.* factum est, explicari debet) primò, simpliciter ac per se acceptum, ut ex æquivocis *supra pag. 117. & seqq.* ut & *pag. 571. 572.* expositis, eorumqve generibus patet, quæ omnia plures habent significationes, *non ideò, quia cum alio quodam vocabulo juncta sunt*, sed sine eo primò simpliciter ac per se accepta nihilominus multa significant; in his captionibus autem vox *tuus* multa significat non simpliciter & per se accepta, *sed per accidens, quia cum eâ jungitur alia vox*, v. c. pater, canis, statua, opus &c. quibus omnibus tua esse vel dici accidit: unde patet, omnes has captiones, rectius quàm per distinctionem ejus quod est per se & quod est per accidens solvi non posse, quod Arist. pluribus in textu exemplis declarat, quæ omisimus, partim, quia non adeò commodè latinè concipi possunt ut græcè, partim quia eorum solutio ex iis, quæ dicta sunt, satis constat.

§. 5. Succedit II. *fallacia ex dicto simpliciter & secundùm quid*, quam Arist. *l. Soph. Elench. c. 25.* plerisqve hunc locum ita interpretantibus, solvi dicit, *si ad contradictionem attendatur*, & secundum ejus leges conclusio Sophistæ cum nostra thesi, quàm Sophista evertere voluit, conferatur; cum enim omnis elenchus sit cum contradictione, patebit, quod *in omnibus hujusmodi captionibus nullus verus sit Elenchus, cum nullá vera sit contradictio*, vera autem contradictio ideò non est, quia quod in thesi negatur vel affirmatur simpliciter, id Sophista in conclusione suâ affirmat vel negat ex parte aut secundùm quid, vel contra, quòd in thesi ex parte affirmatur vel negatur, Sophista simpliciter affirmat vel negat, inter illud verò, quod absolutè & quod secundùm quid dicitur, non esse veram contradictionem ex *sup. pag. 605.* & conditionibus contradictionis ibi positis patet: unde rectius ex horum interpretum sententiâ hæc fallacia non solvitur, quàm si aliter conclusionem elenchi, aliter verò thesin, alteram nempe simpliciter, alteram autem secundùm quid & ex parte, vel etiam alteram ex hac parte vel hoc modo, alteram autem ex aliâ parte vel alio modo intelligendam esse ostendatur, ita enim omnis Elenchi & contradictionis ratio exspirabit. Conf. *sup. pag. 611. 612.* Sed verò cum *hæc expositio* hujus loci *primariam deceptionis causam in hac fallaciâ non tangat*, prætereà quoqve *cum solutione sequentis fallaciæ*, nempe Ignorationis Elenchi,

prorsus

prorsus coincidat, fieri autem non possit, ut duæ diversæ fallaciæ unâ eademq; solutione tollantur, cum una eademqve causa non sit, propter quam decipiunt, meritò ab hac expositione, etsi ea omnium ferè sit autorum, recedendum erit; unde alii quidam, inter quos est *Scaynus Salodiensis, p. m. 1014.* hæc Arist. verba, quod in solutione hujus fallaciæ consideranda sit conclusio πρὸς τὴν ἀντίφασιν, non ita explicant, *quod conclusio sit consideranda* respectu contradictionis suæ, *sed respectu interrogationis vel propositionis, ex quâ infertur & concluditur*, quasi τὸ ἀντὶ in voce ἀντίφασις non significet id, quod adversum sed quod *simile, congenenm aut propinquum est*, quæ significatio τοῦ ἀντὶ in voce ἀντίστροφος, *l. 1. Rhet. c. 1.* & aliis pluribus tam apud Arist. quàm alios etiam autores obtinet: quæ acceptio si hîc quoqve admittitur, evidens erit solutio, quando enim interrogatio concessa aut propositio accepta est secundùm quid & certo modo, conclusio verò infertur simpliciter, vel contrà quando propositio accepta est simpliciter, conclusio autem cum limitatione & secundùm quid infertur, idqve Sophistæ à respondente perspicuè demonstratur, rectè hanc fallaciam dissolutam esse patet. At iterum cum alii putent, vocem ἀντίφασις in hoc τοῦ ἀντὶ sensu apud scriptores græcos aut saltem apud Aristot. vix reperiri, sed semper *contradictionem* significare, satius esse ducunt, ut receptam vocis significationem

tionem retineamus & dicamus, ex ſententiâ Ariſt. ſolvi hanc fallaciam, *ſi ad contradictionem vel contradictoriam concluſionis à Sophiſtâ illatæ reſpiciatur, eaq; contradictoria non cum noſtrâ theſi*, uti fit in ſolutione fallaciæ ignorationis Elenchi, *ſed cum medio termino vel eâ propoſitione, ex quâ concluſio infertur, comparetur*, atqve tum diſpiciatur, an inter contradictoriam iſtam concluſionis & eam propoſitionem, ex quâ concluſio infertur, vera ſit contradictio? hæc enim ſi non eſt, ſed altera ex iſtis orationibus ſimpliciter, altera verò ſecundùm quid intelligitur, utraqve de unâ eademqve re dici ac vera eſſe poterit, ac proinde propoſitus à Sophiſta Elenchus non rectè ſeſe habebit; v. c. inferat Sophiſta hanc concluſionem, non Ens eſt, ex hac propoſitione, quia non Ens eſt opinabile, hîc accipitur concluſionis contradictoria, nempe hæc, non Ens non eſt, & confertur cum medio termino vel propoſitione, ex quâ concluſio illata eſt, nempe hâc, non Ens eſt opinabile, & diſpicitur, an inter duas iſtas orationes ſit contradictio, deprehenditur verò, quod non, quia contradictoria concluſionis ſimpliciter intelligenda eſt, altera autem propoſitio ſecundum quid, illa enim non Ens ſimpliciter *non eſſe* dicit, hæc autem non Ens non ſimpliciter, ſed ſecundum quid & cum addito, nempe opinabile, *eſſe* aſſerit, at verò multa non ſunt ſimpliciter, ut mons aureus, Phœnix &c. quæ tamen ſunt ſecundum quid & cum addito, nempe opinabilia, uti è con-

contrario multa ſunt ſimpliciter, quæ tamen non ſunt ſecundùm quid & cum addito, ut v.c. Cœlum ſimpliciter eſt, cum addito autem non eſt, nempe cœlum non eſt terra, non eſt lapideum &c. Vid. *l. 1. de interpr. c. 11.* Plura exempla Ariſt. in textu habet, v. g. ex eo, quod quidam juravit ſe pejeraturum eſſe, & poſteà pejerat ac fidem ſui jurisjurandi implet, infert Sophiſta, eum qui pejerat, verè jurare, aut ex eo, quia diſcipulus mathematico credit, lunam eſſe minorem terrâ, non verò credit, Solem eſſe minorem terrâ, concludit Sophiſta, eundem qui alteri credit, ipſi non credere, aut ex eo, quia aliquis dixit, ſe velle mentiri, & poſteà mentitur, elicit, eundem & mentiri & verum dicere, &c. quæ collectiones omnes ideò decipiunt, quia id, quod ſimpliciter & quod ſecundùm quid eſt, confundunt, idem enim qui ſimpliciter pejerat aut mentitur, ſecundùm quid, nempe ſe pejerare aut mentiri velle, verè jurat aut verè dicit, & qui ſecundum quid, nempe reſpectu harum rerum alteri credit, ſecundùm quid & reſpectu aliarum rerum, ipſi non credit, ut adeò omnia hæc contradictionem nullam involvant: quanquam *difficile interdum ſit definire, quidnam ſimpliciter vel ſecundùm quid dicatur*, v. g. an iſte, qui ſe pejeraturum eſſe juravit & poſteà pejeravit, ſimpliciter pejeraverit, & ſecundum quid verè juraverit, an verò contra ſimpliciter verè juraverit & ſecundùm quid pejeraverit, utrovis tamen modo dicatur, parùm intereſt, quia ſive

hoc

hoc ſive illo modo reſpondeatur, omnem planè contradictionem exſpirare ac proinde fallaciam à dicto ſecundùm quid & ſimpliciter commisſam eſſe patet. Par ratio eſt, ſi contradictoria concluſionis & propoſitio ea, ex quâ concluſio infertur, ita ſe habeant, ut una earum abſolutè, altera verò ſecundùm limitationem quandam & reſtrictionem vel temporis, vel loci, vel perſonæ, vel alius cujusdam circumſtantiæ ſit intelligenda, ita enim rurſus, omnis exſpirabit contradictio & fallacia hæc commisſa erit; v. c. quærat Sophiſta, annon divitiæ, item potentia in civitate &c. bona ſint, quod quando concesſit reſpondens, ita ſubſumat & inferat, atqve hæc improbo, qui iis in perniciem aliorum abutitur, mala ſunt, ergò eadem bona & mala ſunt, aut colligat ita, id malum eſt, quod non vult vir prudens, ſed bonum amittere non vult vir prudens, bonum igitur malum eſt, &c; ubi deceptio fit, quia nulla vera eſt contradictio, divitias, potentiam &c. eſſe bona in ſe, non verò eſſe bona huic aut illi, ſcil. improbo, vel bonum ſimpliciter non eſſe malum, bonum verò amittere eſſe malum, quemadmodum etiam furem aut latronem ſimpliciter eſſe, malum eſt, at furem vel latronem capere, non malum ſed bonum eſt: cujus ſolutionis plura alia exempla, propter ſuam evidentiam hîc omisſa, Ariſt. in textu habet, in quibus exemplis omnibus, cum concluſiones tacitam quandam contradictionem, quæ vulgò *contradictio in adjecto* vocari ſolet,

con-

contineant, v. c. qui pejerat, verè jurat, qui alteri credit, ipsi non credit, qui mentitur, verum dicit, bonum est malum &c. ideò quando Arist. docet, in solutione hujus fallaciæ respiciendum esse ad contradictionem conclusionis, hoc aliqui ita explicant, respiciendum esse ad contradictionem, non eam, quæ est inter conclusionem & thesin, quod in solutione sequentis fallaciæ fit, neqve ad eam, quæ est inter contradictoriam conclusionis & medium terminum, sed *ad eam contradictionem, quam conclusio in se ipsâ suisq; terminis habet*, in hac enim ipsius conclusionis contradictione, vel in terminis contradictoriis in ipsâ conclusione contentis, si conditiones contradictionis *supr. pag. 605.* positæ desunt, & alter ex terminis istis simpliciter, alter verò limitatè & secundum quid accipitur, patet, contradictionem eam non esse veram, quia quæ simpliciter & secundùm quid se habent, sibi non contradicunt, ut paulò antè ostensum est, ac propterea præsentem fallaciam commissam esse.

§. 6. Porrò III. Fallacia *ignorationis Elenchi* solvitur, uti *§. præced.* dictum est, si ad contradictionem conclusionis *vel ad contradictoriam ejus*, id est, *ad propositam thesin respiciatur, & num inter conclusionem Elenchi ac propositam thesin vera sit contradictio*, an verò deficiat aliqua ex contradicendi legibus supra positis, attendatur, quandocunqve enim illarum aliqua deficit, Elenchus thesi verè non contradicit, sed

inter-

interrogans vitium ac præſentem fallaciam committit; v.c. ſit theſis, aër eſt levis, contra autem Sophiſta ex eo, quia aër naturaliter ſub igne eſt ac proinde gravior igne, inferat aërem eſſe gravem, ſolvitur fallacia, ſi dicatur, inter concluſionem Elenchi, aër eſt gravis, & theſin, aër eſt levis, non eſſe veram contradictionem, ac proinde illam huic nihil officere, quia *non ad idem vel eodem reſpectu* utraqve accipitur, ſed aër in concluſione gravis dicitur reſpectu ignis, in theſi verò levis vocatur reſpectu aquæ aut terræ, uti *ſupr. p. 610.* notavimus: quod vitium pariter obtinet & eadem ſolutione tollendum eſt, ſi concluſio & theſis non accipiuntur ſecundùm idem, eodem tempore & in univerſum ſecundum eas conditiones, quæ *ſect. prior. cap. 2. §. 4.* deſcriptæ & exemplis illuſtratæ ſunt. Aliquando autem Sophiſta *ſtatim ab initio*, ut nos ad abſurdum aut impoſſibile deducat, *contradictoria interrogare ſolet*, v. c. num idem poſſit eſſe duplum & non eſſe, num idem poſſit eſſe grave & leve, &c. ibi ne hac fallaciâ comprehendamur, aut abſurdum aliquod concedere vel convicti eſſe videamur, jubet Ariſt. ut hujusmodi quæſtiones *ſimpliciter neq; affirmemus, neq; negemus*, ita enim ſine controverſiâ convinceremur aut ſaltem reprehenſionem incurreremus, ſed *ut diſtinctè reſpondeamus*, fieri quidem poſſe, ut idem duplum vel grave ſit & non ſit, at non eadem ratione, verùm alio reſpectu, nempe ſenarium eſſe duplum ad tria, non eſſe du-

plum

plum ad quatuor, aërem esse gravem respectu ignis, non esse gravem sed levem respectu terræ, &c. ita enim nos nec absurdum vel veram contradictionem concessisse, nec convictos esse manifestum est: ita quoqve *si Sophista in conclusione contradictionem inferat*, v.c. tu nosti Coriscum, sed non nosti, quod sit musicus, ergò eundem nosti & non nosti, aut datis duobus corporibus, quorum alterum longitudine alterum latitudine majus est, concludat, idem eodem & majus esse & non esse majus sed minus, pari modo respondendum est, fieri posse utrumqve diversa ratione & *nullam veram esse contradictionem*, sed cognosci Coriscum, quà Coriscus est, non cognosci, quà musicus est, majus esse alterum corpus altero longitudine, minus autem esse latitudine &c. Vid. *l. Soph. Elench. c.26.* Succedit IV. Fallacia *petitionis* τοῦ ἐν ἀρχῇ, quam triplici modo solvi posse Arist. *l. Soph. Elench. c. 27.* docet, (1.) enim cum respondens ab initio statim vitium hoc à Sophistâ committi, atqve id quod probandum erat, peti, animadvertit, *tum id quod petitur, concedere non debet, etiamsi istud maximè* ἔνδοξον *sit*, ita tamen, *ut addat*, se non admittere eam propositionem, non quod eam falsam aut absurdam esse putet, sed quia ea probandæ conclusioni nimis vicina est, & ad inferendam eam nihil valet, conf. *supr. pag. 490.* (2.) cum verò respondens vitium hoc non animadvertit, nisi post reprehensionem à Sophistâ jam conclusam & perfectam, tum

nihilominus ignorantiam ſuam & culpam à ſe amoliri atqve in adverſarium & Sophiſtam rejicere ac dicere debet, *eundem nihil contra ſe probasſe neq; verum conſtruxisſe Elenchum*, ſed vitioſe concluſisſe & τὸ ἐν ἀρχῇ petiisſe, quod in vero Elencho fieri non debere, ex *ſup. pag. 605* jam conſtat. (3.) tandem ubi reſpondens fortè per imprudentiam concesſit propoſitionem aliquam, quam ſimpliciter concedere non debuisſet, ac Sophiſta ex eâdem Elenchum exſtruit ac reſpondentem urget, tunc *reſpondere hic debebit proteſtando, ſe poſuisſe vel concesſisſe quidem propoſitionem illam, at non eâ intentione, ut adverſarius eâdem uteretur tanquam principio concludendi, ſed potius, ut de eâ ipsâ tanquam problemate aliquo diſputaretur*, propterea quod cum ipsâ theſi aut inferendâ adverſus eam concluſione nimis conjuncta eſſet; v. c. ſit theſis, omnis ſcientia bona eſt, Sophiſta contra eam argumentaturus quærat, annon ſcientia magica ſit mala, quod ſi reſpondens per imprudentiam concedit & deinceps à Sophiſta convincitur, tum ut nihilominus elabatur, dicat, ſe concesſisſe eam propoſitionem, non ut ex eâ inſtitueretur diſputatio, ita enim petitio τὸ ἐν ἀρχῇ eſſet manifeſtisſima, ſed ut de eâ inſtitueretur diſputatio, vel ſe propoſitionem eam ita concesſisſe, ut ſi eam probaverit Sophiſta, ipſam etiam concluſionem theſi contrariam pro probatâ atqve adeò theſin ſuam pro expugnata & confutatâ

tatâ habere vellet, an autem rectè hæc propositio probari possit, de eo nunc disputandum esse.

§. 7. Sequitur V. Fallacia *consequentis*, quam Arist. *l. Soph. Elench. c. 28.* duplici modo committi, ex iis, qui *supr. part. pri. c. 2. §. 6.* dicta sunt, repetit, ac proinde duplici etiam modo solvi docet; nempe (1.) cum benè inferatur *ex antecedente consequens*, nempe ex particulari universale, v. c. hic est homo, ergò est animal, hæc actio est justa, ergò est virtuosa &c. *contra Sophista hoc invertit & ex consequente inferre vult antecedens*, v. c. hîc est animal, ergò est homo, hæc actio est virtuosa, ergò est justa &c. quod vitium si Sophistæ ostendatur & *minimè, quemadmodum ex illo hoc sequitur, ita vicissim ex hoc illud sequi, remonstretur*, verè hujus primi modi fallacia soluta erit. (2.) Iterum cum rectè colligatur *à contrario vel negatione consequentis ad contrarium vel negationem antecedentis*, v. c. omnis homo est animal, hoc aut istud non est animal, ergò non est homo, omnis justitia est virtus, continentia non est virtus, ergò non est justitia &c. Sophista & hoc invertit & *ex contrario l. negatione antecedentis vult inferre contrarium vel negationem consequentis*, v. c. non est homo, ergò non est animal, non est justitia, ergò non est virtus &c. qualis deceptio etiam in Melissi argumentatione, de quâ *supr. pag. 623.* dictum est, continetur; quod vitium si rursus Sophistæ ostendatur, & *minimè, quemadmodum ex hoc antecedente sequitur hoc*

consequens, *ita quoq; ex contrario antecedentis inferri posse contrarium consequentis*, explicetur, verè secundi modi quoqve fallacia soluta erit: cujus utriusqve modi exempla plurima ex *sup. pag. 619. & seqq.* depromi possunt. Porrò VI. Fallaciam *à non causâ ut causâ Arist. l. Soph. Elench. c. 29.* solvi docet, si ostendatur, *illatæ à Sophistâ absurdæ conclusionis causam non esse nostram thesin, aut concessam à nobis propositionem, sed aliam quandam, quam ipse Sophista adjecit, aut citra concessionem nostram adsumpsit*, idqve intelligi vel inde posse, quia *demptâ nostrâ propositione, nihilominus tamen absurda conclusio sequitur* ex iis propositionibus, quas ipse Sophista sibi, ut falleret, adsumpsit; v. c. sit nostra thesis aut concessa à nobis proposito hæc, cœlum est solidum, ex hac Sophista tale inferat absurdum, nullum solidum est pellucidum, cœlum est solidum, ergò non est pellucidum, solvenda est hæc deceptio ita, ut dicatur, absurdum hoc non sequi ex nostrâ thesi vel propositione, sed ex alterâ, quam ipse Sophista addidit, idqve patere inde, quia etiamsi nostra propositio auferatur & alia, nempe hæc, vitrum est solidum, crystallum est solidum, &c. substituatur, nihilominus tamen absurda sequatur conclusio, nempe, vitrum non est pellucidum, crystallum non est pellucidum &c. Quando autem *respondens & eam fortè propositionem, quam Sophista interposuit, & ex quâ absurda conclusio sequitur, concessit*, tum ut elabi nihilominus possit, dicere debet,

debet, *se quidem & hanc & alias quasdam propositiones concesſiſſe, at minimè eo ſenſu, quaſi eæ ſibi veræ aut probabiles viſæ ſint, ſed quod eas à præſente inſtituto & diſputatione alienas*, atqve adeò de earum veritate vel falſitate non multum laborandum eſſe putaverit; v. c. ſit diſputatio de cœlo & corporibus ingenerabilibus, & concesſum Sophiſtæ à reſpondente, vel in theſi poſitum, quod cœlum ſit corpus ſimplex, concedatur quoqve poſteà in progreſſu diſputationis, quod quatuor tantum ſint corpora ſimplicia, ignis, aër, aqua, terra, Sophiſta autem ex conceſſa hac poſteriori propoſitione inferat abſurdum, nempe ſi quatuor tantùm ſunt corpora ſimplicia, ignis, aër &c. cœlum autem ex his non eſt, cœlum non eſſe corpus ſimplex ſed mixtum, quod abſurdum eſt & contra ipſius reſpondentis poſitam theſin aut conceſſam anteà propoſitionem, ibi reſpondens dicat, ſe concesſiſſe quidem eam propoſitionem, quod quatuor tantùm ſint corpora ſimplicia, at non quod eam veram eſſe putaret, verè enim & abſolutè non quatuor ſed quinqve ſunt ſimplicia corpora, ſed quod eam ad præſentem diſputationem non pertinere judicaret, hîc enim diſputationem eſſe de corporibus ingenerabilibus, quatuor autem illa ſimplicia corpora in generabilibus ita numerari, ad ingenerabilia verò prorſus non ſpectare ac eapropter à præſente inſtituto aliena aut aliûs conſiderationis eſſe. Tandem VII. de Fallaciâ *plurium interrogationum*

Arist. *l. Soph. Elench. c.30.* agit, quam solvi docet, *si statim quæstionem Sophistæ, in quâ plura vel expressè vel tacitè interrogantur tanquam unum, rectè distinguamus, neq; unâ eandem responsione dimittamus*, sed ad quamlibet quæstionis partem peculiarem reponamus responsionem; quanquam enim ut in æquivocationibus ita & hic in pluribus interrogationibus, si eæ omnes simul vel veræ vel falsæ sunt, & respondens unam simplicem vel affirmando vel negando iis dederit responsionem, propterea incommodo aliquo urgeri non possit, peccatur tamen hujusmodi simplici responsione nihilominus in præcepta dialectica, uti omnia hæc ex *sup. pag. 493. 494. 673.* evidentissimè patent: ubi verò plura interrogantur, quæ partim vera partim falsa sunt, atqve hæc unâ simplici responsione dimittit respondens, impossibile est, ut absurdum & incommodum effugere possit, ut iterum ex l.c. constat. V.c. cum Sophista ita quærit, estne invidia ac fortitudo bona & mala, an verò nec bona nec mala? si unâ responsione dicas, esse bonam & malam, vel nec bonam esse nec malam, inferet Sophista, ergò idem est bonum & malum, aut idem nec bonum est nec malum, ut & quando suppositis duobus, v.c. auro & argento, quæ inter se, scil. aurum cum auro & argentum cum argento, comparata eadem sunt, cum alio verò nempe aurum cum argento vel argentum cum auro collata diversa sunt, Sophista ita concludit, ambo vel omnia hæc ad se comparata sunt eadem,

ambo

ambo hæc vel omnia hæc ad ſe comparata ſunt, diverſa, ergò eadem & diverſa & eadem tamen erunt, ſi iterum propoſitiones has unâ ſimplici reſponſione, unaqve ſimplici affirmatione vel negatione dimiſeris, abſurdum à Sophiſtâ illatum effugere vix poteris: quam ob rem, ut deceptio hæc rectè ſolvatur, *diſtinguenda ſtatim eſt quæſtio aut propoſitio in ſuas partes & ad quamlibet earum ſeorſim reſpondendum*, nempe invidiam eſſe malam, fortitudinem verò bonam, aurum cum auro collatum idem eſſe, cum argento autem comparatum diverſum &c. ita enim fallacia hæc locum non inveniet, ſed quæſtionis multiplicitas detecta erit. Fatendum quidem eſt, hujusmodi Elenchos *& alio fortè modo ſolvi poſſe*, quia non aliter ut aliquando plura deceptionum genera in unum eundemqve Elenchum cadunt, ut ex *ſup. pag. 633. & ſeqq.* patet, ita quoq; fieri interdum poteſt, *ut una eademq; argumentatio pluribus modis disſolvatur*; reduci enim hæc fallacia non incommodè etiam *ad æquivocationem* poteſt, quoniam vocabula hæc, *ambo* & *omnia* plura ſignificant, *l. 2. Pol. c. 3.* & modò diſtributivè ſumuntur, v. c. ſeorſim pro auro & quicquid ſub eo ſubſumi poteſt, itemqve ſeorſim pro argento & quicquid ſub eo continetur, in quâ ſignificatione accipitur prior propoſitio, quæ dicit, quod ambo hæc inter ſe comparata, nempe aurum cum omnibus iis, quæ ſub ipſo ſubſumi poſſunt, & argentum cum omnibus iis, quæ ſub ipſo ſubſumi poſſunt, eadem ſint,

modò accipiuntur collectivè, quo ſenſu poſterior propoſitio adfirmat, ambo hæc, ſcil. aurum & argentum conjunctim vel ſimul accepta, non autem diſtributivè & reſpectu inferiorum ſuorum conſiderata, inter ſe diverſa eſſe, unde hic idem de eodem nomine tenus modò, neutiquam autem verè affirmatur & negatur, contra quàm in verâ contradictione ac Elencho fieri debere, ſuperius dictum eſt: quanquam *omnium commodisſima ſolutio* videatur, ſi hæc & ſimilia exempla ad hanc præſentem fallaciam referantur, cum præcipua deceptionis cauſa hic ſit confuſio quæſtionum, & quod multa interrogentur quaſi unum ſint, quod niſi factum fuisſet, nunquam incommodum aliquod à Sophiſtâ inferri potuisſet. Hæc de ſolutione fallaciarum tàm in dictione quam extra eam conſiſtentium ſufficiant.

CAP. III.

DE SOLUTIONE OBJECTÆ NUGATIONIS AC OBJECTI SOLOECISMI, UT ET ALIIS QUIBUSDAM AD SOLVENDAS DECEPTIONES SOPHISTICAS PERTINENTIBUS PRÆCEPTIS.

§. I. HActenus de primo Sophiſtarum ſcopo, nempe

nempe *Elencho, ejusq; solutione* actum est, quem, uti ex *sup. 562. & 648.* patet, duo alii eorundem Scopi seqvuntur, nempe *falsum* & παράδοξον, ad quorum alterum Sophista respondentem deducere laborat; qui duo Scopi *quomodo solvendi sint, Arist. speciatim non docuit*, sed omisit hujus rei præcepta, vel eâ de causâ, quia solutio horum nihil speciale habet, sed ea, quæ ad solvendas hujusmodi deceptiones faciunt, abundè ex superioribus intelligi possunt, cum melius iisdem occurrere respondens non possit, quàm si diligenter caveat, ne aliquid pronunciet, aut Sophistæ concedat, quod aut falsum sit, aut opinionibus hominum repugnet: hoc autem, quomodo cavere debeat, ex iis quæ suprà dicta sunt, satis superq; constat. Restant itaqve *duo ultimi scopi*, quibus Sophistæ respondentem ad id deducere solent, vel ut *nugetur ac idem inutiliter bis aut ter repetat*, vel ut *Solœcismum committat* ac in leges dicendi peccet, vel saltem, ut alterum horum facere videatur; de quorum solutione Arist. *l. Soph. Elench. c. 31. & 32.* sequentia tradit. Quod ergò *tautologiam* vel *nugationem* concernit, constat jam ex *sup. pag. 654.* ad eam in genere eâ de causâ deduci respondentem, quia Sophista præsupponit, *nihil referre, an quis nomen rei accipiat, an verò istius rei definitionem*, quam ob rem generalis quoqve solutio vel responsio, quâ impedire hunc Scopum respondens potest, erit, *si hanc Sophistæ hypothesin minimè concedat*; ut verò

 peni-

penitius has Sophiſtæ fraudes attingat reſpondens, easdemqve ſolidius ſolvat, notandum eſt ex *l. c. Sophiſtam ad nugationem* deducere, (1.) quando *relatum jungit cum ſuo correlato*, ut v. c. quando theſis eſt, duplum eſſe dimidii duplum, infert Sophiſta, commisſam eſſe inutilem tavtologiam vel nugationem ideò, quia duplum in ſe ſignificationem dimidii jam comprehendit, quod patet ex ſubſtitutâ dupli definitione, cum duplum id eſſe definiatur, quod dimidium altero tanto excedit, unde quando duplum dimidii eſſe dicitur, nihil aliud dici, quàm duplum eſſe dimidii dimidii, ſemel enim vocem hanc expreſsè poni, ſemel verò in duplo contineri. Hujus itaqve generis Strophæ optimè *disſolvuntur, ſi reſpondens dicat, relata per ſe & ſeparatim accepta, id eſt, ſine reſpectu aut habitudine ad aliud, nihil ſignificare*, ſecus enim, ſi aliquid ſine reſpectu ad aliud ſignificarent, relata non eſſent, quippe quorum ratio in eo conſiſtit, ut aliûs ſint & ad aliud referantur, quod ex definitione relatorum *ſup. pag. 125.* conſtat, ac propterea relata ſeorſim & per ſe accepta ita ſignificant aliquid, *ut ſimul etiam conſignificent alterum*, ad quod referuntur; v. c. vocabulum dominus ſeparatim poſitum, non ſignificat aliquid per ſe ſine alterius reſpectu, ſed ſemper connotat ſervum, pater filium, imperans parentem &c; at alia relatorum conditio eſt, quando ea non ſeparatim, ſed *conjunctim cum ſuis correlatis in unâ eademq; oratione accipiuntur*, aut in eâ cum ſuis

corre-

correlatis comparantur, *tum enim correlata sua non connotant aut consignificant*, quia non opus est subintelligi quidpiam in eo, quod implicitè illud continet, quando expreſsè ponitur & cum illo certâ quadam ratione comparatur, quod & in aliis quibusdam, quæ relata non ſunt, apparet; v. c. quando hominem ſimpliciter & ſeparatim dico, ſimul etiam intelligo animal, quippe quod ad rationem hominis pertinet, & ſub illo vocabulo ſeorſim poſito ſubintelligitur & continetur, quando autem hominem & animal in unâ oratione conjunctim ſumo & dico, homo eſt animal, tum amplius ſub homine animal etiam non intelligitur aut continetur, ſed quamdiu circa ſubjectum, nempe hominem occupatus ſum, de animali non cogito, verùm poſteà ſolùm ad prædicatum deveniens, comparare animal cum homine & num iſtud huic inſit, disquirere incipio: quod cum ita ſit, manifeſtum jam eſt, *quid ad ſuprà poſitam & ſimiles Sophiſtarum ſtrophas ſit reſpondendum*, ſcilicet *duplum aliam habere ſignificationem, cum per ſe & ſeparatim ſumitur*, tum enim denotare & correlatum ſuum, dimidium, *aliam verò, quando conjunctim ſumitur cum correlato ſuo* in unâ eademqve oratione, tum enim connotationem correlati exſpirare, ac proinde falſum eſſe, quod Sophiſta ſupponebat, in hac oratione duplum eſt dimidii, dimidium in duplo jam contineri aut conſignificari, quo ipſo omnis nugatio ſublata erit. (2.) Sed & hoc modo Sophiſta

phista nugationis respondentem postulare solet, ut ex *sup. pag. 655.* constat, quando *affectionem aut habitum aut aliud tale, hujusq; definitionem jungit cum proprio suo subjecto*, quod definitionem illam ingreditur, v. c. dicat respondens, hunc vel istum habere nasum simum, inferat Sophista respondentem esse nugatum & nasum futilè bis dixisse, semel tectè in voce simum, quæ nasum in se jam comprehendit, simum enim nihil aliud significare, quàm nasum curvum, *l. 6. Metaph. c. 1.* ac propterea dum respondens dixit, hunc habere nasum simum, idem esse, ac si dixisset, hunc habere nasum nasum curvum; ubi iterum facilè *expedire se poterit respondens*, si solutionem præcedentem huc quoqve accommodet & dicat, *simum per se & separatim acceptum aliud significare, aliud verò conjunctum naso* in unâ eademqve oratione, ibi scilicet connotare nasum, hîc verò non item, ac proinde rursus falsum esse, in hac oratione nasum semel in voce simum contineri, quo ipso & hîc omnis nugatio sublata erit: quanquam *fortè aliud quoq; responderi possit*, nempe non est concedendum Sophistæ, ut dum simum, quod est affectio nasi, definit, nasum in casu recto ponat & dicat, simum esse nasum curvum, sed in casu obliquo, simum esse nasi curvitatem, unde à respondente, dum hunc nasum simum habere dicit, repetitur quidem nasus, at in diverso casu, idem enim est, ac si diceret, hunc habere nasum talem, qui habeat nasi curvitatem, quod nec

nuga-

nugatio nec abſurdum aliquod eſſe videtur. (3.) Aliquando etiam fit, ut reſpondens *ſpeciem cum ſuo genere jungat* & v. c. phyſicam ſcientiam aut fortitudinem virtutem &c. appellet, ibi ſtatim clamare & nugationem objicere incipit Sophiſta, quaſi ſcientia & virtus bis dictæ ſint, ſemel quidem expreſsè, deinde verò tacitè in additis ſuis ſpeciebus, phyſica enim tanquam ſpecies ſcientiæ, ſcientiam in ſe tanquam genus jam continet, & ita quoqve fortitudo virtutem comprehendit; quod iterum *facilè ſolvet reſpondens*, ſi juxta præcedentes reſpondendi modos dicat, *phyſicam ſeorſim poſitam* includere quidem ſcientiam, ſic & fortitudinem includere virtutem, at *neutiquam id fieri, quando conjunctim cum genere accipiuntur*, tum enim vocabula hæc nihil præter ſe ipſa ſignificant, ut ex antè adducto exemplo hominis & animalis manifeſtum eſt: quo ipſo rurſus omnis nugatio & inutilis repetitio evaneſcit.

§. 2. Porrò quod ad *Solœciſmum* attinet, unde ille ducatur, jam ex *ſup. pag. 656.* patet, quem ut à ſe avertat reſpondens, commodum erit, *ut ab initio ſtatim oſtendat, quàm plenus impudentiæ modus ſit*, ſi quis ita in diſputando procedat, & verba alterius pervertat ac turpiter traducat, eaqve ſola, relictis rebus, ſectetur; deinde verò *orationem ſuam retexat* & ad grammaticæ regulas indolemqve linguæ revocet, & nihil inepti à ſe commiſſum eſſe demonſtret, eo modo, quem Ariſt. *l. Soph. Elench. c.33.* in exemplis deſcribit:

v. c.

v. c. inferat Sophista ita, Nonne quod reverà dicis, hoc reverà est, dicis autem esse lapidem, est igitur lapidem, solvitur hæc cavillatio, quia non sequitur aut rectè infertur, in primâ enim præmissarum τὸ *hoc* sumitur *in casu recto*, in conclusione vero pravè mutatur *in accusativum*, & infertur, est lapidem, cum inferendum esset *in nominativo*, est lapis, quæ solutio, quodqve concludendi vitium evidentius erit, si *loco neutrius generis masculinum accipiatur*, cum lapis masculini generis sit, nempe si loco hujus propositionis, nonne quod dicis esse, hoc est, ita quæratur, nonne quem tu dicis esse, hunc est? ubi statim vitium sermonis ab ipso Sophistâ, minimè autem à respondente commissum patet: in nominibus neutris verò hoc vitium adeò evidens non est, imò ne committitur quidem, quia accusativus à nominativo non differt, ut ex hoc exemplo apparet, quod tu esse dicis, id verè est, sed lignum esse dicis, ergò lignum verè est, in quo nullus planè solœcismus reperitur. Plura hujusmodi cavillationum & solutionum exempla partim *cit. sup. pag. 656.* partim *in præsente Arist. textu* vide.

§. 3. Postquam itaqve Arist. de omnibus Sophistarum Scopis hactenus egit, modosqve solutionum aperuit & absolvit, nunc porrò *l. Soph. Elench. c. 33.* præcepta & *admonitiones aliquot*, quæ ad solutiones supra traditas rectius intelligendas faciunt, suppeditat, ac initio quidem docet, *captiones aut fallacias Sophisticas aliquando*

quidem

quidem faciles eſſe, vitiumqve continere tam apertè, ut perſpici illud ejusqve cauſa videri ac proinde ſolvi poſſit à quovis, etiam minus oculato ac docto, *aliquando autem adeò difficiles & obſcuras eſſe, adeoq; acutas*, ut etiam doctisſimos quosqve impedire & fallere posſint, ut vel planè ſolvere easdem, vel ſaltem diſcernere nequeant, ad quodnam captionum genus pertineant; idqve obtinere dicit philoſophus, non tantùm in fallaciis diverſi generis, quaſi hujus ſolùm generis fallaciæ ſint difficiles, alterius autem generis faciles ſint, ſed *in eodem etiam genere hanc diverſitatem reperiri*, aliam enim v. c. æquivocationis fallaciam videmus eſſe facillimam, aliam verò admodùm acutam & difficilem, cum ſæpè etiam doctisſimi inter ſeſe de nominum ſignificationibus disſentiant, quod in reliquis etiam fallaciarum generibus perſpicuum eſt: quæ omnia Ariſt. præſente loco exemplis illuſtrat adeò perſpicuis, ut eadem hìc repetere opus non ſit, præprimis eâ etiam de causâ, quia utriusqve modi & difficilium ſeu acutarum & facilium captionum exempla in quovis fallaciæ genere ſupra ſatis copiosè adducta ſunt. *Acuta autem difficilis hujusmodi argumentatio dicitur*, quia nos quaſi pungit aut mordet ac plurimum dubitationis in animo relinquit, quæ *dubitatio non ſemper uno modo ſe habet*, ſed potisſimùm duplex eſt (1.) enim *in iis argumentationibus, quæ verè concludunt & ſyllogiſticâ neceſſitate conſtant*, oritur dubitatio, quando ignoro,

qua-

quænam præmisſarum neganda ſit, aut πρῶτον ψεῦδος contineat, (2.) in *contentioſis verò argumentationibus*, quæ concludere tantùm videntur, cauſa dubitationis eſt, quando ignoro, *ubi lateat fallacia*, aut ubi ſit occurrendum, vel *ad quodnam fallaciæ genus argumentatio ſit revocanda*, quidnam illud ſit, quod inutiliter abundat, an ad præmiſſas an ad concluſionem ſit maximè reſpiciendum? &c. Hinc in iis, *quæ verè concludunt, duobus modis fieri poteſt, ut acuta ſit argumentatio*, (1.) quando quis *ex iis, quæ maximè ἔνδοξα ſunt*, confirmat aut refutat quidpiam, quod pariter maximè ἔνδοξον eſt, ibi enim hærebit alter, nec firmi quidpiam, in quo conſiſtere poſſit, habebit, talisqve argumentatio maximè *& à propoſitionibus & à concluſione* dubitationem affert, propoſitiones enim reſpondens propter evidentiam ſuam negare non audebit, concluſionem verò ſi conceſſis præmiſſis negare auſus fuerit, interrogans ejus contrarium accipiet & alteram ex conceſſis propoſitionibus refutabit, atqve adeò reſpondentem nihilominus conſtringet per converſionem ſyllogiſticam *ſupra pag. 533.* deſcriptam. (2.) quando *præmiſſæ, ex quibus infertur concluſio, æq; ἔνδοξοι ſunt, aut æqualem pariunt dubitandi occaſionem*, ut certum quidem ſit, vel per negationem vel per diſtinctionem reſpondendum eſſe, incertum tamen & dubium exiſtat, quænam ex iis neganda aut diſtinguenda ſit, cum

utraqve

utraqve æqve ἔνδοξος exiſtat. In contentioſis autem & *Sophiſticis iterum duobus modis fieri poteſt, ut acuta ſit argumentatio* (1.) quando *non ſtatim apparet conſequentiæ vitium*, ſed incertum eſt, utrum rectè concludat nec ne? utrum in formâ an in materiâ ſit peccatum? utrum neganda an diſtinguenda ſit aliqua propoſitio necne? &c. (2.) quando perſpicuum quidem eſt, reſpondendum eſſe per negationem aut diſtinctionem, *id tamen dubium eſt, quænam ex præmiſſis ſit neganda, quæ vero diſtinguenda?* ut & an adverſus præmiſſas, an verò adverſus concluſionem negatio aut diſtinctio dirigenda ſit? &c. in quibus omnibus itaqve dialecticum probè exercitatum eſſe oportet, ut qualem cuivis deceptioni reſponſionem accommodare debeat, probè ſciat. Ex his autem id ſimul conſtat, *quænam ſit hebes aut obtuſa argumentatio*, nempe ex iis, quæ verè non concludunt, ſed conſequentiâ laborant, ea planè fatua eſt, *quæ ex ſumptionibus incredibilibus & prorſus falſis progreditur*, ut & ea, *quæ non omnes habet partes*, ſed tales omiſit propoſitiones, ſine quibus vis argumenti conſiſtere non poteſt; quanquam aliquando fieri poſſit, ut etiamſi argumentatio propoſitionem aliquam omiſerit, eapropter tamen contemnenda non ſit, quod *ſupr. pag. 513. & 521.* definitum eſt: plures obtuſæ argumentationis ſpecies ex ſpeciebus acutæ argumentationis ante enarratis elicere quilibet valebit. Tandem quemadmodum *modus reſpondendi triplex eſt* (1.) aliquando e-

nim *respondetur ad rem ipsam*, de quo solvendi & respondendi modo præcipuè hactenus actum est, (2.) aliquando responsio dirigitur *adversus interrogantem*, uti etiam *supra jam pag. 502.* indicavimus, quando α) vel *ipsam interrogantis personam*, vel interrogationem ejus, ut ineptam & fatuam, *extenuamus abjicimus ac contemnimus*, idqve vel gestu & risu, vel pronunciatione & verbis, vel factis, vel aliis modis *supr. pag. 658.* descriptis, (β.) quando interroganti *quæstionem aliquam proponenti per compensationem aliam quandam quæstionem objicimus* & quasi retorquemus, quomodo Christus Pharisæis quæstionem de censu proponentibus, quæstionem aliam objiciebat, aut quomodo Diogenes Sophistæ argumentanti, quod ego sum tu non es, ego sum homo, ergò tu non es, respondebat, à me incipe, *ap. A. Gell. l. 18. Noct. Att. c. 13.* (3.) aliquando deniq; ad neutrum, id est, neqve ad rem ipsam, neqve ad interrogantem, sed *ad tempus* responsio dirigitur, quâ de re iterum dictum jam *est sup. pag. 505.* quando vel *prolixam & difficilem responsioni immiscemus controversiam*, quæ tempore disputationi præfinito decidi non potest, vel ita adversarii argumentum eludimus, *ut de eo nos alio loco & tempore commodius dicturos* esse prætendamus: sic quoqve *ipsæ argumentationes* (1.) aliquando *adversus rem ipsam* & propositam thesin (2.) verò aliquando *adversus personam contradisputantis* diriguntur, (3.) aliquando etiam qui argumenta-

tur,

tur, ne victus aut inferior esse videatur, altercando & rixando *tempus terit*, quod disputationi destinatum esse novit.

§. 4. Atqve ita Arist. suam de Sophisticis Elenchis doctrinam, ac proinde ipsam dialecticam concludit, seqve *l. Soph. Elench. c. 34.* omnia ea absolvisse dicit, quæ *l. 1. Top. c. 1.* proposuerat, adeoqve *doctrinam de Sophisticâ cum dialecticâ, unum opus esse significat*, uti *supr. pag. 558. & seqq.* fusius probatum est; porrò quoqve sese *inter omnes primum facultatem hanc, ante sua tempora variè sparsam & disjectam, in artis formam & præcepta redegisse*, docet, uti *supra pag. 484.* monuimus, cum anteà usus tantùm hujus artis, minimè verò ars ipsa in certam formam redacta existeret, & Sophistæ, qui mercede ac pretio docebant, ut hodiè etiam à plerisqve fieri solet, orationes quasdam discipulis ediscendas traderent de iis rebus, in quas frequentissimè hominum incidebant sermones, qui exinde celeriter quidem de variis rebus disputare præsumebant, atqve adeò τὰ ἀπὸ τῆς τέχνης vel usum artis aut opus artis habebant, ipsius verò artis ignari & maximè rudes erant, ac proinde non magis dialectici dici poterant, quam si qui ab omnibus sutoribus calceos coëmant ac exinde se sutores appellari velint: quas & alias plures epilogi hujus operis particulas, cum in textu evidentissimæ sint, nos omittimus ac priori huic Organi Aristotelei parti, nempe Dialecticæ, cum Deo feliciter finem imponimus.

Gr

le

pag

p. 8

p. 9

p. 11

p. 17

p. 19

p. 21

p. 4

p. 42

p. 4

p. 57

p. 58

Graviora commissa & omissa ante lectionem operis æqvus lector ita emendabit & complebit.

pag. 6. lin. 1. & 2. deleantur hæc verba: propositionem, quod sit vel affirmatio, vel negatio. *l. 1. Prior. c. 1.*
lin. 3. pro *l. 1. Polit. c. 1.* legatur, *l. 3. Polit. c. 1.*

p. 82. l. ult. post: *ad Trojam*, addatur, *æstate*,

p. 99. l. 16. *Elench. c. 8. & 11.*

p. 119. l. 19. & 20. deleantur hæc verba: sidus illud cœleste cancer vel canis, & loco illorum legantur hæc: fastigium ædificii aquila,
l. 26. pro ἀπέχοσα, legatur, ἀπέχοντα,

p. 173. tria folia usqve ad pag. 179. rejiciantur atq; alia recens excusa ac post Indicem rerum & verborum adjecta, in locum eorundem restituantur.

p. 194. l. 9. pro Tribalos, legatur, Triballos.

p. 216. l. 27. pro *(3.)* ponatur (2.)

p. 420. l. 20. pro interitur, legatur, interitus

p. 439. l. 7. ante finem. deleatur vox, medicina, & substituatur, vox, eadem

p. 469. supr. prò 496. ponatur 469.

p. 572. l. 10. post verba: terrestri habet, addatur: aut etiam ad conservandam memoriam historiæ vel fabulæ cujusdam, ut *Hygin. in Poët. Astron. lib. 2. c. 35.* tradit,

p. 586. l. 22. & 23. pro musæo, scribatur, museo.

p. 588. l. 19. pro *lib. 17.* legatur, *lib. 18.*
l. 20. deleantur hæc : *lib. 18. c.*
p. 602. l. 25. & 26. pro Causaci, legatur, Caucasi.
l. 28. deleatur : &.
p. 605. l 17. pro, conditionem, scribatur, contradictionem
p. 633. integrum hoc folium rejiciendum & loco ejusdem aliud recens excusum ac post indicem rerum & verborum adjectum, inserendum est.
p. 676. l. 18. pro, alterius esse, legatur, alterius est,

Cœtera quoqve, si fortè plura occurrant, benevolentiæ Lectoris corrigenda committuntur.

INDEX I.

INDEX I.

Locorum ex Aristotele tum citatorum tum explicatorum.

I. Rhetor.

 IX. 7.

X. Eth.

INDEX II.
RERUM ET VERBORUM.

A.

Ac-

2. con-

Appe-

Coi-

Dicta

genera

Neq̀ ambulare in foro. p.300. nec Canescere. H.

Igna-

Irra-

fluunt

Memo-

Φιλεῖν

terrogat

Præ-

Pudicitia

mum

Z.

FINIS.

